





VAL. THILONIS

ORATIONES ACADEMICAE

VARIA OCCASIONE HABITAE,

CUM

ALLOQVIIS NATALITIIS ET EJUS GENERIS ALIIS.



Sum Christiani Risii.
Rastenburgo – Prussi.
Anno 1684.
d. 3. [illegible]

DESCRIPTAE
TYPIS REUSNERIANIS,
cIɔ Iɔ C LIII.

NOBILISSIMO ET CONSVLTISSIMO

DN. JOHANNI SCHIM-
MELFENGIO,

VIRO CNIPHOVII REGIOMON-
TANI CONSVLARI OPTIME
MERENTI,

INAESTIMABILI LITERARVM
PATRONO,

AMICO MEO HONORATISSIMO,

QVOD

LIBERALISSIMIS SVMPTIBVS
OPELLAS MEAS ORATORIAS
E SITV ET TENEBRIS
IN LVCEM PVBLICAM PRODVXERIT
HOC QVICQVID EST.

D. C.

HEVS. AMICE.
QVISQVIS. HAEC. LEGIS.
NE. OMNE. BONARVM. ARTIVM.
ET.
PRINCIPIS. IN. IIS. ORATORIAE.
EVILVISSE. PRETIVM. ARBITRERIS.
PROPENSISSIMVS.
JOHANNIS.SCHIMMELFENGII
AFFECTVS. PRAECIPIT.
QVO. ACTVS.
POSTQVAM.
BONORVM. OMNIVM. AMOR.
LITERARVM.FAVTOR. BENEFICENTISS.
ELOQVENTIAE. CVLTOR. FELIX.
DIV. AVDIVERAT.
NVNC.
TENERAM. HVJVS. ATQVE. CRVDAM. FERE.
PROLEM.
SINGVLARI. LIBERALITATE.
VELVT. BLANDISSIMO. CALORIS. FOMENTO.
ANIMANS.
INQVE. LVCE. PVBLICA. SISTENS.
ET. PATRONI.
ET. PATRIS.
A. CELSISSIMA. DIVA.
CONCESSVM.
PRO. EO. MVNERE.
TENET. NOMEN.

QVOD.
NISI. AETERNO. ELOGIO. VENERERIS,
DIGNVS,
QVI. AETERNVM. DIVAE. SACRARIIS. EXCLVDARIS.
ESTO.
SIN.
VT. DECET.
CVLTIOR. TIBI. MENS. ADEST.
AETERNA. VENERATIONE.
HOC.
SCHIMMELFENGIANO. NOMINI.
SACRVM. MONIMENTVM.
ITA. COLES.
AC.
VT. AETERNOS. HVJVS. CVRAE. CAPIAT. FRVCTVS.
PRECABERIS.
VTI.
DEBITI. HONORIS.
GRATISSIMIQVE. ANIMI.
DECLARANDI. E.
ID. POSVIT.
AMICO. AMICVS.
V. T. P. P.
cIↄ. Iↄ. C. LIII.

TEMPORIS. EST. SPOLIVM. QVICQVID. FORTVNA. MINISTRAT.
QVEM. MVSAE. STATVVNT. TEMPORA. VINCIT. HONOR.

APPLAV-

APPLAVSVS AMICORVM.


Xi auſpicatò, exi faventibus Muſis,
Alter Thilonis partus elegans, pulcher,
Primi gemellæ delicatæ, idem nectar
Favosq; ſimiles undequaq; deſtillans,
Nullaq; parte degener patris tanti.
Exi auſpicatò, & altero doce exemplo,
Quantum invenuſtis literis & incultis,
Ratio ſtudendi amœna, læta, præclara,
Et liberalis eruditio diſtet:
Quanto nitore, quaq; luce colluſtret
Artes ſeveras, & ſcientias rerum,
Cordatioris eloquentiæ lumen.

VINCENTIVS FABRITIVS,
J.V.L. SYNDICVS GEDANENSIS.

TVLLIVS Eloquij Romani gloria prima est,
PERICLES Graji gloria prima fuit.
Tute THILO ΤΕΛΟΣ es, Suadæq; utriusq; Corona,
Altius Eloquij scandere nescit honos.

REINHOLDVS ADAMI
A ROELLEN, AVLAE RADZIVILIANAE, â Sacris, Consiliisq;; Scholarum M. Duc. Lith. Reformatarum Visitator Generalis, Bibliothecarius Ducalis, αὐτοσχεδίως apposuit.

Mons

MOns Helicon sedes quondam placidissima, sed nunc
Non placet, adloquitur Præses Apollo Deas.
Facundi THILONIS iit cùm fama per- (aures,
Perque oculos nostros scripta diserta Viri.
Vos, unà mecum, doctæ migrate sorores
In REGISMONEM: Mons placet ille mihi.
Græcia nostra VALE; Tuq; altera Græcia SALVE
Prussia; Tu nobis Pindus & Hæmus eris.

Observantiæ & amoris causâ Cajoduno misit,

JOAN. FRIDERICUS STARCKIUS DANTISCANUS, Illustris RADZIVILIANI Cajodunensis RECTOR.

Quid

QVid mirum, LECTOR, quod Magni ſcripta THILONIS
Mireris? ſtupeas ora diſerta Viri?
Miramur cuncti, veneratur ſummus Apollo,
Quicquid THILONIS diſpoſuere manus.
PRVSSIA teſtatur, quæ Poſſeſſore ſuperbit,
Quid ſuadæ, Veneris, TVLLIVS hic habeat.
Fallor? an affirmat, quod talia pandere dignè,
Proq; Viri merito, non, niſi THILO, queat.

Conſummatiſſimo Boruſſiæ noſtræ Oratori

Fecit

Obſervantiæ E.

M. GEORGIVS FVNCCIVS.

ORATIO



ORATIO I.

VINDICIAE ELOQVENTIAE ADVERSVS OBTRECTATORES,

OLIM INAVGVRALIS LOCO, CVM PROFESSIONEM ORATORIAM AVSPICARER, PROPOSITAE.

INVITATIO AVDITORVM.

QVem Creatorum omnium Dominum, constituit Aeternus Creator, hominem, cum non uno modo, quibusdam inferiorem creavit, hocce tamen præstare eundem plurimis voluit, quod intelligere possit, atq; loqui. Rationem quippe concessit eidem, quò, quodcunq; vellet, & prospiceret sibi emolumentum, & evitaret damnum. Quâ quidem excellentius quid nemini, extra cœlestium sublimitatem, cogitare licet, ac, nisi linguæ beneficium pari æstimandum esset censu, reliquis omnibus una hæc anteferretur. Nunc cum, sine oratione, ratio minus inserviat mortalium rebus, utramq; boni omnes, eadem curiositate, colunt & excolunt. Sapientiæ studium, atq; Eloquentiæ dico sive artem; sive facultatem; sive exercitationem quandam: cui utriq; verè, quicquid boni nobis evenit, ultro tribuimus. Ac Eloquentiæ quidem, sine sapientia, ut-

ut raros fructus, crebriora damna vides; Sapientiæ tamen major, si Eloquentia accedat, utilitas, quàm si destituta hâc, sola ista hominum cœtui præsit. Metallorum omnium nobilissimum, cui non arridet? magis tamen, si, rejectis scoreis, fulgore noto obiiciatur, animos afficit. Ea sapientiæ conditio, ut, cum, vi propriâ, mirè alliciat divinas mentes; si linguæ gratia accesserit, atq; Suadæ venustas, quascunq; ad se rapiat. Non id pluribus, hâc quidem vice, dico, ne divinissimæ facultatis desperare videar excellentiam. Quod non ingenium, Eloquentiæ laus prædicanda, fatigavit, cujus dignitatem nulli unquam, perfectè assequi licuit? Vnâ hac, quodcunq; aliàs vix sperabas, obtines facilius. Si Glosso-petram, linguæ humanæ similitudine lapidem, non terreno ortui, sed cœlesti bonitati Plinius adscribit: hæc, divina verè, linguæ humanæ facultas, cœli quoddam donum est. Non est, mihi crede, humanæ mentis opus, animos, quò velis, impellere, & , quo nolint ipsi, trahere. Si ventorum compressionem, atq; sedationem, gemma præstat; hæc ea est, quæ non ventorum ponit furores, sed affectus effrenes in ordinem cogit. Hæc ea est, quæ motus, inconsultæ multitudinis, ponit, & tranquillitatis reducit serenitatem. Si Achati tanta & colorum varietas est, ut vix omnes gemmarum colores, uni huic sufficiant; & specierum exhibitarum differentia, ut, quicquid ferè velis, natura, in ea ludens, referat: Hæc ea est, cui venustas multiplex, & amœnissima varietas, dum, quod politissimus Politianus ait,

Varios sese in vultus facundia dives

Induit, & vasto nunc torrens impete fertur,
Fluminis in morem, ſicco nunc aret in alveo:
Nunc ſeſe laxat, nunc exſpatiata coercet:
Nunc inculta docet, nunc blandis plena renidet
Floribus.

Si in India lapis haud ignobilis, Pantarba eſt, qui lapides omnes, etiam profundiſſimo ſubmerſos mari, atq; diſſipatos, mirâ vi ad ſe pertrahit, & congregat: hæc ea Eloquentiæ vis eſt, quæ, Oratore teſte, dicendo tenet hominum cœtus, mentes allicit, voluntates, quocumq; libet, impellit. Atq; hinc quid mirum; ſi, eodem judice, præclarum quoddam adeptus ſit is, qui, quâ re homines beſtiis præſtant, ea in re hominibus ipſis antecellit? Quod ipſum ut & plurimis, in hac noſtra Patria, eveniat, mandante SERENISS. ELECTORE, DOMINO AC NUTRITIO NOSTRO MUNIFICENTISSIMO, poſthac, quod fortunet cœleſtis gratia, laborabo. Cæterum, cum univerſam hanc rem feliciſſimè aſſequaris, ſi &, quæ ab aliis ſuper eadem tradita ſunt, præcepta, communia licet & contrita, mente teneas; &, quod unum maxime valet, dicendo linguam, ſtylumq; ſcribendo exerceas; & deniq;, quod omnis bonæ dictionis fundamentum eſt, aſſidue, cum ſpectatiſſimæ autoritatis ſcriptoribus, vivas: duo hæc privatis operis reſervata ſunto, quæ, ut cuivis placitum fuerit, pro viribus, Deo juvante, exponentur; prius iſtud laboribus ordinariis publicis abſolvetur. Cumq;, quod minimè ingratum putavero, hoſce ſolenni oratione auſpicari, ad XXVI. Octobris horam IX. conſtituerim, ad hanc

benevolè, in Auditorio majori, audiendam, Amicos & Cives Academiæ hujus nostræ omnes, officiosissimè invito. Non dubito de eâ, quam toties mihi exhibuerunt, benevolentiâ: Quam si & hâc vice, quod oro, testatam fecerint, ego, prout dabitur, à servitiis officiisq; singulorum ero. Favete, Honoratissimi Domini, undiq; pressis Musis, ac cogitate, non minus fruges, solis clementiâ, provocari; quam bonorum favore, literarum studia. Ita, quæ & Juveni ornamentum, & senio refectio; privatorum gloria, publicorum præsidium sunt; diu nobis supersint artium studia! P.P. XIX. Trinitatis. M. DC. XXXIV.



Vm bonas literas amare, & tractare æquè necessum sit; ac non necessum est, laudare apud amantes: veritus sum initio, ne vitiosum esset, de re pulcherrimâ, ac amœnissima literarum parte, Eloquentia, audientibus vobis, Musarum patronis atq; cultoribus, prolixius disserere. Nam quod iis evenire constat, qui, quando reculas suas levissimas exposuerunt, eas confictis, in laudem, præconiis exornare laborant, ac, quam genuinam non habent, spuriâ venustate fucatas, imprudenti plebi obtrudunt: idem mihi metuebam. Aut enim vester in Musas amor frigus sensisse, qui resuscitandus novis fomentis esset; aut divinissimæ facultati, plurimum decessisse nativi honoris, atque majestatis, cui, emendicato encomio, restituenda; aut oratio deniq; hæc mea, vana operâ Amplissimum ludere Auditorium

dicatur, si, quæ omnibus rata manet sententia, eam gignere in vobis nitar: colendum Eloquentiæ studium. Verum enim verò, & vestrum, in juvandis bonis artibus, studium, quandocunque licuit, testati abundè estis: Habent & hic, inter vos, suos Musæ Hercules, quorum virtute, insultantium monstrorum eludant conatus. Et ipsarum æternus non minus floret honor, quàm quidem perpetuo flore, dominatur laurus. Neq; ego, in asserendo illo, operam ullam locassem, nî, imperitorum nonnullorum vitio, lis moveretur optimæ rei. Hi quippe, se suaque suspicientes solum, reliquorum damnant operam, ac, infra virtutum sublimitatem, longè abiiciunt. Contra quos dum pugnabit meus hic sermo, non anxiè conquiret verborum lenocinia, sed exquisitissimum rerum delectum: ne splendidè magis, quàm validè, eximia Facultas propugnari videatur. Non enim hac vice à me agetur aliud, quàm ut proprio nitore, vera, in medium producta, Eloquentia sistatur omnibus, atque ut, eâ à crudelissimis, qui ipsi vim inferunt, liberatâ prædonibus, constet, neque me imposterum de re turpi acturum; nec alios inhonesto studio; sed rei omnium honoratissimæ, ac mortalium rebus utilissimæ, operam impensuros suam. Non moror hîc obstrepentem calumniam, quæ, sublimitate facultatis attonita veluti, per furorem proclamat; Abjectissimos atq; pestilentissimos, humano generi, Oratores exstitisse, quorum eloquentia,

tanquam nocentissimâ stirpe, infinita producta sint damna. Sed parcite, boni viri, magno nomini, neque enim, quid illud sit, quod brevi voce exprimitis, capere satis videmini? Quid enim? An vos Oratorem putatis, causidicum nescio quem, (non hic venerandos, sacratissimæ justitiæ, antistites, atque juratos patronos dico, sine quorum operâ civitas nulla staret) aut proclamatorem ac rabulam, aut præconem quendam actionum, cantoremque formularum, qui mercedulâ adductus ministrum se præbet, in judicio, omnium litibus, quique, prout domi, longo ordine, collectarum formularum aut inops, aut dives est; ita publico vel clamore, vel silentio claret? An verò Oratorem dicentes, aucupem quendam concipitis Syllabarum, atque dictionum, qui in omni re literariâ mirè tumultuatur, atque solus obtinere regnum videtur, si crebris interpunctionibus, lituris, & lectionum mutationibusne dicam, an confusionibus? aliorum scriptis imperet, ac virgula censoriâ, quodcunque lubitum fuerit, notet? qui acriùs pro punctulo, quàm pro vastissimo imperio Monarcha, præliatur, ac palam profitetur, suis argutiis id licere in bonos viros, quod cerdoni in cerdonem vix licitum? O speciem honoratissimi quondam ordinis, quem gentes terrarum dominæ coluerunt, cui barbari, indomitam tyrannidem submiserunt! multitudinem scilicet hominum, ex operariis lingua celeri atque exercitata, vanissimæque scientiæ sectatoribus,

ribus, collectam ac congregatam. Ille, ille inquam, hoc gravi dignus nomine est, cujus pectus sapientiæ quoddam sacrarium, voluntas virtutum omnium chorus, lingua Venerum ac Gratiarum sedes; qui, dum Eloquentiam habere studet, virtutes simul omnes, quarum commune quoddam, Eloquentia erat compendium Mnesarcho, sibi tenendas cogitat; qui denique, cum bonum virtutes tot effecerint, nil, nisi bona, dicit atque persvadet. Quem quidem numeris omnibus adeò absolutum, cum vix concedat mortalitatis conditio; prout proximè tamen à primis, secundis, tertiisve quisquis abfuerit, ita optimum judices. Et, si non summâ emineat virtute, vitiis saltem careat atq; liber sit. Hic jam, quicunque estis Eloquentiæ mastiges, atque contemptores, quid mentis vobis sit, explicate, dum ei rei utilitatem adimitis, cujus, in omnem vitam, infinita exstant merita. Sed pressius vobiscum congrediamur, ut, quo tandem fine utilitatem terminetis, perspiciamus. Fortè enim eas demum utiles artes habetis, quæ cultorum crumenulas, aureo imbre perpluunt, sicque novæ Danaes more, aureos hosce Joves solùm colitis. Verum miseret me vestrûm, si ita statuitis. Anne adeò obliti estis, vestræ dignitatis atque literarum, ut, plane eâ abdicatâ, vulgi sordes adoretis? Hoc enim, prout mente hebeti est atque crassa, terrenæ glebæ adhærescit, cujus pondere oppressum, non valet altiùs eniti, ac, quæ vera virtu-

tum

tum ſcientiarumque præmia ſint, animo contingere. Longè ſublimior ſapientum mens, quæ honorem pro lucro deputans, ridet abjectiſſimum lutum, quod, qoſtquam de raritate pretium invenit, nunquam tam feliciter acquiritur, aut poſſidetur acquiſitum, ut non plus oneris, quàm fructus ſuo pariat cultori. Quanquam, ſi & hoc adeò requiritis, ut, ſine eo, arti operam dandam nolitis, Eumenium Rhetorem vobis ſiſto, cui certè Eloquentiæ facultas, minimè ſterilis fuit, quæ annuo, ſexcentorum ſeſtertium, proventu eundem ditavit; alium item, cui quingenta annuatim expenſa fuerunt. Sed quid pluribus rem indignam demonſtrem? Neque enim mercenariam artem volumus, quæ auri inſatiatâ cupidine conſtet, quod uti ſubtraxeris, ita collapſa illa, nullo fundamine ſuſtineatur. Eſt ſuis artibus honor, ac, ſi Magnatũ affuerit munificentia, præmia quoque ſtatuenda: ne tamen, ad illorum defectum, artes ipſæ deficiant, providendum maturè. Anne verò, ſi, rei turpitudine motis, alia mens eſt, eo inutilem Eloquentiam judicatis, quod damnorum plurimorum, ex peſtilenti hoc fonte, promanarit copia, quibus, florentiſſimæ etiã, Reſpubl. inundatæ emarcuerunt, atq; ſublatæ ſunt. Difficile id nobis negatu, quod exactiſſimâ temporum memoriâ conſtat. Atque hæc ipſa res, credo, ſummi oratoris diſtraxit animum, atque ancipitem cogitandi curam attulit, bonine an mali plus, afferat hominibus & civitatibus, copia dicendi,

cendi, ac ſummum Eloquentiæ ſtudium? Nam *& cum noſtræ*, inquit, *Reipubl. detrimenta conſidero, &, maximarum civitatum, veteres animo calamitates colligo, non minimam video, per diſertiſſimos homines, invectam eſſe partem incommodorum.* Sed jam eſt in mundo ratio, quâ res omnis plana fiat. Hinc &, quod dicitis, ultrò accipimus: &, quod excidit fortè, ſuggerimus? Quid vulgatiùs, quam non ſolùm publicas, ſed & ſingulorum res privatas, jurgiis, rixis & turbis infeſtari, malè feriatorum clamatorculorum culpâ, qui cùm, ut ſangvine ſangviſugæ, ſic ipſi hominum, quos exſugunt, paſcantur ſudoribus; miſerè ſecum actum putant, niſi clientum alant rixas, quo crepantem inaniis alant ventrem. Eos dico, qui, è feſtiviſſimi Comici mente,

Quaſi mures ſemper edunt alienum cibum.
Ubi res prolatæ ſunt, cum rus homines eunt,
Simul prolatæ ſunt horum dentibus.
Quaſi cum caletur, cochleæ in occulto latent,
Suo ſibi ſucco vivunt, ros ſi non cadit,
Item quoq; rebus iſti prolatis latent
In occulto, miſeri victitant ſucco ſuo.

Neque tamen vel hi, vel illi, quicquam, genuinæ Eloquentiæ, utilitatis detrahunt. Quid enim rei, natura ſua bonæ, officiat, ſi vitio malè utentium nocet? Imò eas; abſtruſiſſimos ampliſſimi orbis perreptes angulos, &, ſi quicqúam tam manifeſtæ utilitatis invenire liceat, vide, quod non in contrariũ transferat culpa. Adeò B Nil

Nil prodest, quod non lædere possit idem.

Adeò nihil, in rebus omnibus, tam innoxium dices, quin id possit aliqua obesse: nec tam lætum, quin possit ad tristitudinem intelligi. Aut ergo, rebus omnibus damnatis, careas necesse est; aut eadem, quâ res alias, conniventiâ, excuses, & nostram hanc dicendi peritiam. Hæc enim, si, sapientia comite, & colligat dispersos, & collectos arctissimè inter se devinciat; quid agat, si, insaniente sapientiâ temerata, dissidiorum atque odiorum causa audiat? Hæc, si sacrosanctarum legum, cum ferendarum, tum servandarum, felicissimum medium sit; anne luet, si, à nequissimis profanitatis sectatoribus, perrumpendo illarum robori adhibeatur? Hæc, si neque sociorum querelas, nec amici vel propinqui necem, nec erupturas in Rempubl. conspirationes, inultas patitur; culpam qui præstare poterit, si ab effreni licentia, in contrarium, per vim trahatur? Hæc, si DEI ipsius prolem, universitatis mundanæ vinculum, Imperiorum stabilimentum, oppressorum refugium, JUSTITIAM defendit; quid potest, si ab injustitiæ administris, scelerum suorum palliamentum rapitur? Si Rerumpublicarum denique felicissima conservatrix, hæc una est: vitiatur ea, quotiescunque, à turbulento possessa ingenio, destruxisse civitates dicitur. Hoc justissimi Aristidis judicium erat, quo, *donec medicina sanatura esset ægros, & ars gubernandi navigantes servatura, ac leges eos, qui ipsis uterentur;* *Rhe-*

Rhetoricæ quoq; ſermones, quos oportet, ſervaturos, & juſtitiam defenſuros decernebat. Hoc Athenienſis illius Viri effatum erat, qui *Minervam* (quæ, quod urbibus præeſſet, Polias dicebatur, & conſiliariæ Themidos interpres) *unico orationis uti inſtrumento aſſerebat: quo alia quidem fingens & concinnans; alia, quæ operi impedimento ſunt, velut nodos quosdam in ligno, aut abſceſſus in ferro, molliens atq; levigans; urbem exornaret.* Atque hinc quid mirum, ſi tot & tanti, omni ævo, Eloquentiæ fuerunt Mæcenates atque Patroni, qui quam utiliſſimam ſuis ampliandis, moderandisque terris videbant artem, eam honoribus, ſupra reliquas, ingentibus mactarunt? Quod dum negant adverſarii, aut inconſulti temporum videntur; aut alieni honoris obtrectatores. Quid enim eſt, quod eam honoribus ſpoliare conentur, in qua, totius pene honoris, domicilium conſtitutum fuit. Quod quam lepidè, non ſine acumine, more ſuo, Lucianus tradat, niſi moleſtum eſt, accipite. Eloquentiam ille, in eminentiſſimo locatam ſolio, elegantiſſimâ fingit, atque venuſtiſſimâ ſpecie. Dextræ Amaltheæ decantatum cornu, plenâ fertilitate; ſiniſtræ divitias addit, prorſus aureas, ac amabiles. Hinc, ne quid deſit, Gloriam; inde comitem, Potentiam jungit. Et locum omnem laudibus permultis, quæ parvis amoribus ſimiles, Divam circumvolitent, frequentari ait. Ipſi, credo, videtis, quid, venuſtisſimo involucro, tegat ingenioſisſimus autor: quod ſi explicare li-

buerit, summis genuinam Eloquentiam, atque perpetuis germinare honoribus, cognoscetis. Felix arbor, nobilissimorum fructuum mater! Non ego lauri feraces ramos desidero, modò hanc mihi arborem colere liceat, quæ feliciori proventu beat cultorem. Constabit id, si, annalium memoriam evolvere, non piguerit. Statuas Demetrio Phalereo, trecentas & sexagintā, non unius materiæ, Diogenes Laërtius; nonnullis aureas etiam positas Oratoribus, Eunapius autor est, quas & Imperatorum diademata, sibi depoposcerunt: Non iniquum rati, si, quem, Reginæ Rerum, Eloquentiæ decrevissent honorem, eundem, ipsi quoque terræ Reges, affectarent & obtinerent. Ac si Imperatorum honoribus, laurum consecratam testis Historia est; Oratoribus palmam destinatam, eadem docet. Ita nimirum, quod victoriæ insigne habitum est semper, affectuum victricem, atque animorum dominam, Eloquentiam decebat. Ita æternum, inter medios rigidissimæ hyemis furores, florens arbor, æternum Eloquentiæ honorem, optimè notare videbatur. Ita fertilissimâ, fructibusq; abundantissimâ, palmâ, infinitas indicari Eloquentiæ utilitates, statuebant. Sphinges præterea, quæ, Aegyptiorum populo, interioris sapientiæ notæ erant, Eloquentibus dum videmus assignatas, quid aliud, nisi summam sapientiam, cum oratore, esse debere colligamus? ut Sphinges, quemadmodum, in Deorum templis, limina tenebant; ita

Elo-

Eloquentis viri pectus, ſapientiæ quandam ædem eſſe, doceant. Eant nunc, quicunque adverſantur honoratisſimæ facultati, contemptam atque abjectam declament, ut, quàm falſi ſint, cognoſcant. Neque, ſi malignorum culpa, plurimum dignitatis nobilisſimæ facultati ereptum eſt, aliquid, nativi ſplendoris, amiſiſſe, ipſa putanda eſt. Tu, ſi omnibus ſapientiæ ſtudium faſtidio eſſet, ſapientiam ipſam deſerendam diceres? Alit honos artes: jacentque ea ſemper, quæ apud quosque improbantur. Nam, quod in noſtro corpore vides, labaſcere illud paulatim, ac ad interitum accedere, ſi debita victus ſubſidia ei neges: idem hic velim cogites, langveſcunt bonæ artes, poſtquam conveniens ipſis ſubtraxeris pabulum, honorem. At, quemadmodum ſtultus eſſes, ſi quem fame necaveris, corporis vitio occidiſſe queraris; ita minimè ſapiens videaris, ſi artes incuſes, ubi, deſtitutæ veneratione, ipſæ contabeſcunt. Quis, quòd imperita plebecula, minus dignè, de ſacratiſſimis divini verbi, ſentiat præconibus, non eſſe divinis literis operandum dixerit, ſed aliis ſibi mediis parandum honorem? Quid verò, indomitæ juventutis, putandi formatores? an propterea, non maximum Reipublicæ munus præſtant, atque digniſſimum, quod humilis nimis, atque abjecta eorum conditio, inſulſo cuivis videatur? O fatuas mentes, atque hellebori indigas, quo cerebrum purgent, ac vitiatis infectum humoribus evacuent! Sic alii, qui-

bus major domi prudentia eſt, inducunt animum; quò indignius, rem honeſtiſſimam & rectiſſimam, violet ſtultorumq; improborum temeritas, & audacia, ſummo cum Reip. detrimento; eò ſtudioſius & illis reſiſtendum eſſe, & Reipubl. conſulendum. Cum plerumque ita uſu veniat, ut quò ſublimior ſit virtus, eò majoribus calumniæ petatur inſultibus. Nam cujus aſſequi deſperant dignitatē, contemnendo minuere conantur maligni. Quo ipſo quidem ſpeculo illi, quod Smyrnæ templum habuit, ſimiles videntur, egregias quaſvis objectas res, aſpectu horribiles exhibenti atque deformes: Planè idē agunt, qui præſtantiſſima quæcunque, & ſanctiſſima, teterrimâ turpitudine, deformant, ut, quo pervenire ipſi nequeunt, alios, ne accedant, prohibeant. Sed aliis urgemur: Quò enim, inquiunt, hæc dicis? Vel an tantæ ſublimitatis res Eloquentia eſt? quaſi verò, non cuivis, tantum verborum naturâ ſuppetat, quantum rebus agendis ſufficiat? Quot copioſiſſimâ oratione loqui audias, quibus nulla ars, nulla dicendi ſtructura, quicquam contulit ſubſidii? Mirum, ni & Pſittacos enumerent atque picos, quibus

— — — — *ſuum χαῖρε*
Magiſter artis, ingeniiq; largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces

conceſſit: aut ſi mavis, aniculam quamvis olidam atque edentulam, dicendi optimè peritam ſtatuant? Nam & hæc, & iſti tempus terere garriendo, optimè

pos-

possunt. At quanta nobis hinc Rhetorum existeret copia? Non jam mirari opus haberet, tam exiguum, ex omni memoria ætatum, temporum, civitatum, oratorum numerum Eloquentiæ Magister. Nunc verò raritatis hujus, in maximâ discentium multitudine, summa Magistrorum copia, præstantissimis hominum ingeniis, infinita causarum varietate, amplissimis eloquentiæ propositis præmiis, quid aliud esse causæ putet, nisi rei quandam incredibilem magnitudinem, atque sublimitatem? Ita revera est: Magnum quiddam & varium eloquentia est, nec adhuc ulli se ita indulsit, ut tota contingeret: abundè felix, & præclarè actũ cum eo videri potest, cui portio contigit honesta. Atq; hoc loco quidẽ, nonnullorũ detegendus error est, qui eximiè dicturi sibi videntur, si triplex orationum genus norint, cujus tractationem sex vulgatis partibus, tanquam cancellis, includunt, ac, ne verborum deficiat copia, videas eos, etiam inferiorum subselliorum, autores assidue terere: quos ubi firmiter legendo impresserit, in publicum prodit novellus, si Diis placet, Orator. Audias hic monstrosæ orationis genitorem, qui non rebus verba aptat, sed, verbis undique compilatis, res contorquet; atque clausis, Andabatarum more, quod ajunt, pugnans oculis, nihil minus, quàm rem attingit: cum non curet,

— — *Quo tendat, & in quod dirigat arcum.*

Sed quis Eloquentiam hanc dixerit, & non garrulitatem

tatem potius, atq; volubilitatem quandam verborum, ridendam ac inanem? Tu verò, quicunq;, celsissimum Eloquentiæ fastigium, superare gaudes, montem conscendendum tibi, præruptum undiq;, & vix avibus transvolatu facilem, propone. Semitam ipsam angustam invenies, atq; asperam: multumq; sitis, atq; sudoris, præ se ferentem videbis. Sed nolo hîc singula, difficultatem facultatis hujus augentia, recensere prolixius: ne & temporis rationem parum habere; &, sub auspicium oratorii laboris, deterrere magis nobilissimi studii amatores, quàm, ad suscipiendum id ipsum, cohortari videar. Vos proinde, Nobilissima Juvenum corona, quæcunque hoc loco audistis, eo fine dicta putate: quò calumniandi ansa præcidatur iis, qui, cum maximo nobilissimæ facultatis dehonestamento, è publico suppetere viros Eloquentes, nec tantum operæ huic operi destinandum, impudenter clamant. Est certè magnum quid, consummata Eloquentia; neq; ad eam pervenire tamen, natura humani ingenii prohibet: qvod si non contingat, altiùs certo ibunt, qui ad summa nitentur, quàm qui, præsumpta desperatione, quò velint, evadendi, protenus circa ima constiterint. Hoc vobis animi sit, nec deterreat vos sedes, nobilissimæ Divæ, in rupibus, aditu difficilimis, fixa: neqve enim cuivis se objecit animo, sed strenuo, atq; laborum patienti: quò carior esset possessio, cujus acqvisitio difficilior. Magnificentissimum templum

à Dio-

à Dionyſio, Indiæ ſubjugatore, conſtructum ſcimus, quo trecentis & ſexaginta quinque gradibus, è Sapphiro, aſcendebatur. Annuum dierum numerum, graduum æquat numerus: Singuli dies, ſinguli gradus ſunt. Singulos gradus attingere, antequam conſcenderetur, neceſſum erat; ſingulos qvoqve vitæ dies, laboribus teratis, oportet, dum ſplendidiſſimis Eloquentiæ honoribus gaudeatis. Inite modò, bonis auſpiciis, Deoqve ipſo juvante: Veſter ero ſive Dux, ſive comes; ſive, qvicqvid volueritis; Veſter certè ero. Non pigebit, in ipſa ſacratiſſimæ Divæ penetrare adyta, & qvodcunq; objectum fuerit, ſplendoris atq; amœnitatis, veſtris applicare uſibus. Quid videbitur, ubi jam tonantem, jam fulminantem, jam ſereniſſimâ voce blandientem, Deam ipſam viderimus? Quid verò ubi ipſa, ſvaviter porrectâ dextrâ, ducet nos, ac vacillantem ſuſtinebit greſſum? Quid ubi, per amœniſſimum mundi theatrum ductis, jam cœlo fulgentia aſtra, atqve infinitum ſtellarum exercitum: jam terræ immenſas explicabit divitias: hinc fulgentes ferro acies, inde gratiſſimam pacis quietem; &, ſi quod aliud, ex immenſo bonorum penu, ſuppeditabit ejus benignitas? Imò poſtquam, perruptis nubium obſtaculis, immenſum, &, quicquid infinitum eſt, oculis ſubiicietatqve animis, annon cœlo noſtro, in terris etiam, intereſſe videbimur? Favete modo noſtris laboribus, Viri Honoratiſſimi, ac, quam modò, in humaniores haſce

literas, demonſtraſtis præſentia veſtra, eademq;, imposterum qvoqve, benevolentia promovere ipſas pergite. Tu verò immenſe DEVS, ΛΟΓΟΥ æterni æterne Pater: Tu VERBVM PATRIS coæternum non creatum: Tu LINGVARVM INSTAVRATOR, SANCTISSIME SPIRITVS: Te Doctore, facilime diſcitur: Te verba ſuggerente, feliciſſime dicitur. Tu finis expers, ſine principio, principium omnium es; Tu noſtri quoqve laboris ſis, peto, principium, finemqve concede optatum. Sub auſpiciis ac feliciſſimâ protectione, SACRAE REGIAE MAJESTATIS, POLONIAE & SVECIAE, ac SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBVRGICI, DN. AC NVTRITII NOSTRI CLEMENTISSIMI, Academiæ incremento laboremus ſtrenui, ut à te incipientes, ad te proficiamus! Sic, cui deſtinaras nos in principio, finem obtinebimus beatitudinis æternæ, atqve conſummatæ.



ORATIO II.

IMMORTALITAS TRVCHSESIANA,

IN

VIRO

MAGNI-



MAGNIFICO, GENEROSO, NOBILISSIMO ATQVE STRENVO DN. JOHANNE TRVCHSES à Wetzhausen/ SVPREMI IN PRVSSIA REGIMINIS CONSILIARIO, AC BVRGGRABIO SVPREMO LAVDATISSIMO, SVB PVBLICAM PARENTATIONEM DEMONSTRATA.

INVITATIO AVDITORVM.



Vm patriam, difficultatibus bellicis, liberatura plurimorum virtus, arma fortiter sumeret, ac strenuè dimicans, pro salute publicâ caderet; primum omnium, in eadem prædicanda, se exercuit Oratorum industria, ut, quod obtinuisset honoris decus, æternum perennaret. Quo quidem in genere, multorum Rhetorum & Romana, & Græca laboravit facundia, postquam Græcæ, Solon; Romanæ vero Reipublicæ, Valerius Poplicola, primus ejus rei autor exstiterat. Nec vanum fuit consilium, quo debitus virtuti honor decernitur, & publica gratitudo, patronorum meritis indicatur. Verum enim vero cum non armis

mis solum, sed prudentia quoq; ac consilio regantur, serventurq; Respublicæ; merito eadem veneratione coluntur, qui, eadem curâ, bono publico student. Catilinariæ sanè conspirationi, Rempubl: eripuit Consulis Oratoris prudentia, non minore cum gloria, quam si, cruentis armis, oppressorem hostem fudisset: Hinc togato ipsi, supplicatio decreta, quod, nisi ab armis reduci, vix cuiquam contigerat; Triumphos ille solenniores egit, quam, inter opima spolia, superbiens victor. Et, si rem probe subducas, nunquam felicius pugnatur, quam si armorum præses atq; dux Ratio sit. Hujus prudentiâ, optimè succedit prælium, quæ æquali, cum juvenum robore, successu suos juvat. Pacis verò tempora, cum arma ignorent, unicâ prudentiâ reguntur, quæ sæpissime effrenis licentiæ tumultus ponit, in patriæ ruinam progressuros. An verò illud tanti est, suo interitu patriæ salutem emere? Agunt id etiam, qui, suo consilio, rem juvant publicam. Quibus hi curarum oneribus premantur, nemo, nisi qui manum ipsus admoverit, explicabit. Franguntur vires molestiis, ac enervatur corporis vigor, continuâ solicitudine, usq; dum deficientes indies spiritus, vix sufficiant corpori regendo, trahendæq; animæ. Et hos publicæ saluti, languentem spiritum impendisse, quis neget? Loquitur idipsum Funus lugubre, MAGNIFICI, GENEROSI, NOBILISSIMI atque STRENUI DN. JOHANNIS TRUCHSES von Wetzhausen/ IN SUPREMO BORUSSIAE REGIMINE CONSILIARII, AC SUPREMI BURGGRABII LAUDATISSIMI,

SIMI, qui, ultra XXX. annos, curas suas, patriæ bono promovendo, destinavit: sed, inter quas molestias, gravissimosq; morbos, passim constat; qui ipsi tamen nunquam, laudabile gubernandi propositum, interpellarunt, quin stimulos subdiderunt, ut, quantum corporis vires decrescerent, animi prudentia ac consilium accrescerent. Quod cum, ad vitæ novissimum terminum, strenuè continuaverit, æquissimum duximus, ejus Viri venerari manes, cujus gubernationi, multum debet patria. Sed &, alio nomine, exigebat id NOBILISSIMVS VIR, nam cum munificentiam, suumq; in Musas affectum, vivus simul, ac mortuus testatus sit: necessum erat, ut & hæ gratitudinem suam, signo aliquo testarentur. Destinarunt huic rei horam Nonam XI. Januarii, quâ, publicâ oratione, memoria Magni Patroni, in Auditorio majori, celebrabitur. Quam ut præsentiâ suâ MAECENATES, Amici, ac Cives nostri cohonestent, rogantur, monentur. P. P. ipso Epiphanias festo 1636.

MAGNIFICI GENEROSI, NOBILISSIMI DNN. CONSILIARII BORVSSI REGIMINIS SVPREMI: MAGNIFICE DN. RECTOR: GENEROSI, NOBILISSIMI, STRENVI, FORTISSIMI, EQVITES; ADMODVM REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, CONSVLTISSIMI, CLARISSIMI DNN. COLLEGAE PROFESSORES: PRAESTANTISSIMI DNN. STVDIOSI;

 Dum,

DVm, Illustris TRVCHSESIANAE Domus, splendidissimum decus, VIRVM GENEROSVM, MAGNIFICVM NOBILISSIMVM ET STRENVVM DN. JOHANNEM Truchses von Wetzhausen / in Supremo PRVSSIAE REGIMINE CONSILIARIVM, ac SVPREMVM BVRGGRABIVM audatissimum, supremus mundi Rector, post mortem placidam, novo ac ignoto lætitiæ genere in cœlis; tot verò chara lumina, quibus amor suus subtractus, insveto luctu atqve dolore perfudit: planctus undiqve audiuntur, tristesqve singultus, quibus aut ponendis, omnis industria laborat; aut mitigandis saltem, sua affert solatia. Alii, quibus mortalitatis sors constat, hoc fine nasci omnia, ut suo termino claudantur; & ad occasum, cum magno mundi oculo, ab ortu rapi: nec proinde ut insperatum, quod certissimum erat, accipi putant. Alii, qui ærumnas nostri generis expendunt, ut variis hoc prematur; ut, quoties novum lucis patrem, diem aspiciunt, toties novæ molestiæ causam sentiant: vel, uno hoc modo, beatos nos prædicant, cum scopulis, & mille navigationum periculis, elapsi, portum; gravissima militiæ pugnandiqve necessitate erepti, triumphum nacti, calamitates infinitas, interminis deliciis commutamus. Alii, quibus altior mens, summi Domini voluntatem proponunt, ac, quàm nefas sit, ejus mandata invita mente ca-

te ca-

te capessere, cujus ministerio omnis orbis, &, quæcũ-qve hoc comprehenditur, natura famulatur; quàm inconveniens, ejus obluctari placito, qui bonitatis omnis origo cum sit, non nisi saluberrima nobis præcipit, & boni nostri promovendi, etiam, dum durior videtur, curiosus est, exponunt. Sunt qui & luctum omnem tollunt, dum nunquam mortuum dicunt, qui Dei, adversus mortis ictum, sermone tutus, elusit impotentem hujus dominatum; qvi totvirtutum vigore, ac fumosissimis imaginibus florens, nominis sui immortalitatem diu tenuit, ut non, nisi cum virtute, desiturum sit istud. Et hoc quidem, nisi vanus sum, efficacissimum omnis luctus remedium, quo nunquã obiisse Charissimum Conjugem, Nobilissima Matrona vidua; Optimum Parentem, Generosa soboles; Honoratissimum Decus Illustris familia credunt: sed, si oculis ejus præsentiam usurpare nequeant, id quodam Dei imperio evenire statuunt, ad quod evocata, beatissima anima abiit, ut lateret aliqvantulum, mox suis restituenda; mortis solum nomen rei tam divinæ adesse, imperium longè inde exulare. Neque enim coguntur hoc ipso, quicunqve immortalitatis honore beati, mortalitatis omnis vicissitudinem, magnâ mente spernunt. Id si, BVRGGRABIVM Beatissimum, continuò egisse, dixero, qvis obsistat? immortalis est, qui, ut talis esset, nunqvam mortalia optavit. Non hic ea fusiùs explico, quæ communia, cum omnibus, habuit im-

mor-

mortalitatis documenta; qvod tamen si facerem, magnum Orationi meæ lumen adderent atq; decus. Animæ immortalitatem, mortali corpori, æternum conditorem addidisse, tam certum est; qvam certissimum, Autorem ipsum, qvi istam huic inspiravit, immortali potentiâ dominari. Atqve hinc cogita, mirandum istud primæ unionis vinculum, qvo mortalitati immortalitas conjungitur. Mirare imortalitaté, in ipsa mortalitate, stabulari (liceat dicere) aut certè diversari. Certè cœlũ terræ sociatũ videtur: quoties terreæ glebæ, cœlestis auræ particulam inclusam cogito. Quæ, cum nunquam mutetur, eadem semper ac æterna; tot vicissitudinibus subjacens, corpus ingreditur. Quæ absqve occasu oritur, absqve termino incipit, absque langvore viget: mortali, finito, inque horas mutabili, gaudet socio. Quæ etiam, ubi, soluta suâ compage, corpus corruit, libera evolat, ruinam nullam timescens: nisi scelerum contagione impura, divinitatem corrupit, æterno cruciatui adjudicanda. Sed ô miseram hanc immortalitatem! quæ mille mortibus pressa, nunquam opprimitur; mille tormentis affecta, nunquam conficitur; sed, perenni suo vigore, dolorum moram protrahit, quasi novum semper, novo tormento, sufficiat corpus! Est ea suâ culpâ infelix; reliqua illa, quæ primæ suæ originis memor, ut servet, quo adepta est, immortalitatis decus, amœnissimis virtutum floribus se ornat, postquam primùm, initiantis Sacra-

cramenti, divino fonte rigata; hinc diviniori cœleſtis verbi pluvia, gratiæqve æternæ rore aſperſa, inter furentes calamitatum æſtus, infelixqve vitiorum lolium, læta in cœlum ſuum aſſurgit. Jam, intra mortalitatem, immortalem quandam deitatis ſpeciem, præſtat, qvæcunqve cœleſti virtutum ſtudio, ſuo Deo conformis eſſe ſtudet. Felix hæc æmulatio, quam non, ut levem illam protoplaſtarum, cum deitatem affectaret, mortis inſectatur dedecus; ſed æternitatis honor. Habuit hanc, cum reliqvis eandem, MAGNVS VIR, qui Vivæ ſemper Arbori Chriſto inſitus, nunqvam ab eo ſe divelli patiebatur, quod hujus beneficio, ab omni interitu, ſe tutum noſſet. Sed qvoties huius rei exponendæ, alia datur occaſio? nunc, qvæ peculiaria immortalitatis habuerit fundamenta, GENEROSVS VIR, diſpicienda ſunt, niſi cuivis perſpecta ſint, dum TRVCHSESIORVM magnum nomen audiverit. Certè ejus gentis immortalis memoria erit, quæ innumeris opulenta virtutibus, præter alia decora plurima, immortalitatis gloriam ſuis poſteris tradit. Et quis ejus nominis deſperet immortaliatem, quod, cum multis abhinc ſeculis (neqve enim ortus certum tempus, deficiens hominum memoria, concedit) cœperit, eodem, quo cœpit, hodiè perſtat vigore, novâ indies reviviſcens virtute? Nec alia LVSIAINAE GENTIS, qvæ matrem BEATISSIMO BVRGGRABIO dedit, gloria; cujus ſi u-

triusqve explicanda virtus esset, quis verborum modus? Illud unum qvis non prædicet, omnes humanarum rerum status, harum familiarum fulcris sustentatos fuisse? qvod ut clariùs constet, dabitis mihi id veniæ, ut, quod volo, longiùs deducam. Atqve hic opportune, credo, occurrit Gelasii Episcopi Afri sapientia, quâ, *duo sunt, IMPERATOR AUGUSTE, quibus principaliter mundus regitur*, dicebat, *auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.* Ipsi videtis, qvid velit piissimus Vir; qvæcunqve felicitatis humanæ sint incrementa, ea omnia iis fontibus derivari, si & Deo sacer cultus, curiosâ administretur devotione; &, quæ huic sæpissimè vires addit atqve robur, secularis potestas, solertissimâ prudentia regatur. Eos namqve ordines, omni hominum generi, etiam barbaro maximè, præfuisse, jura dixisse, imperasse, omnis ætas loquitur. Sit gens rudis, sit impia, sit ab omni humanitate remotissima, sacra sua habet, etiamsi suo vitio corrupta; quemadmodum DEum suum, licet impia interdum superstitione effictum: sed & caput habet, quod, reliquæ multitudini regendæ præfectum, si non colit, fert tamen. Solis Lunæqve arbores, cujusdam loci, scripta testantur, quarum singulis, singulorum ordinum, potestatem pingi, fabulæ volunt. Non ad fabulas descendimus, quibus constat, hisce bona publica, privataqve omnia, salutaria esse: quibus si priventur, aut collabi, aut perniciosa suis evadere possessoribus. Hinc jam conjice, annon summum divinæ gratiæ te-

ſtimonium ſit,ſi dignos utroqve ordine Rectores largiatur? Et jam, qva utraqve GENEROSI VIRI familia laude polleat, quæ & civilibus, & Eccleſiaſticis, laudatiſſimos conceſſit Præſides, conſtabit. Materno namqve genere annon REVERENDISSIMI EPISCOPI ſacrarum; ILLVSTRISSIMI ſimul PALATINI ſecularium rerum, ordinatione inſignes, orti ſunt? Teſtem voco Varmiam, Culmiam, nobiliſſimas hujus provinciæ partes; nec ipſum Poloniæ Regnum inclytiſſimum, huic confirmando deerit, nam & hoc, & iſta, & illa virtutem eorum, qvos diximus, olim experiebantur. De qva qvidem plura dicerem, niſi in ſuas laudes raperet me paterna gens, tot Viris illuſtribus clara, ut vix recenſendis, nedum prædicandis, iisdem præſens tempus ſufficiat. Hinc non repeto fortitudinem, aliasqve virtutes, quas in ludis equeſtribus, virtutum gymnaſiis, maſculæ fortitudinis feliciſſimis parentibus, veræq; gloriæ fundamentis, TRVCHSESIANA domus oſtendit. PAR ſaltem lucidiſſimorum ſiderum, præ reliquis ſplendidiſſimis ſtellulis radiantium, hic produco, qvorum lux & externas gentes, & patriam hanc noſtram diu duxit. REVERENDISSIMOS & ILLVSTRISSIMOS MANGOLDVM, & MARTINVM TRVCHSESIOS dico, quorũ Ille Herbipolitanus Epiſcopus, Franciæqve Dux; Hic verò Supremus Ordinis Teutonici Magiſter, patriæqve noſtræ Rector feliciſſimus fuit: quorum laudibus nil ad-

do, præter, ea, quæ Hiſtoriæ probant. Et MANGOLDVM quidem honeſtè non minus, quàm utiliter res ſuas geſſiſſe, non ignobilis ſcriptor autor eſt. Videte A. quàm ad Genium priſcæ Romanæ dignitatis, qvæ hoc rerum benè geſtarum ſummum præmium æſtimabat, ſi ſibi honorem, ſuis ſalutem peperiſſet! Non tum libido privatarum rerum dominabatur, ſed ſalus populi; nec hujus curiosa magis erat, quàm propriæ famæ gloriæqve cohoneſtandæ, ſimplex virtus. Et qvid melius dici poteſt, quàm honeſtè, & utiliter res publicas gerere? Huc adeſte, quicunqve Regendi artem exercetis, id agite, ut ne, qvem ſupremum, inter homines, Dei beneficio tenetis, honor veſtrâ culpâ obfuſcetur; ſed clariſſimis virtutibus, indies radiet illuſtrior. Terra, objecta noctis ſideri, tenebras offundit; nec veſtrum decus ſplendet, niſi quam longè inde removeatur, quicqvid ad terram deprimit. Cœlum petite grandibus factis, quibus ut honorem illuſtraveritis, ita immortales ipſi audietis. Sed & utiliter veſtra regenda eſt provincia: cui quot bona conceditis, tot laudum veſtrarum incentiva, vobis paratis. Hâc arte immortalis MANGOLDVS adhuc eſt; nec alia, quem ſecundo loco diximus, MARTINVS. Servat eqvidem, clauſa ejus membra, gratæ patriæ tellus; ſed nullis incluſa terminis, libera paſſim, per hominum ora, vagatur magna ejus fama. Obruta iſta ſitu, ac ſqualido pulvere, quod primum erant, in ſuos cineres

neres abierunt: ſed nunquam ejus Herois memoriam, ætas ulla obruet ac oblivio. Annon enim hic ipſus eſt, quem, cum devotiſſima ejus religio, omnibus perſpecta eſſet, ſimulqve fortitudo inſignis undique celebraretur, DOMI MONACHVM, EGREGIVM in CAMPO LEONEM patriæ Hiſtoriæ dicunt. O feliciſſimum divinarum virtutum conſortium, quod, rariſſimo exemplo, refellit vatis antiqui dicterium, quo fides pietasqve omnis è caſtris proſcribuntur: qui ſanè ſi in iſtud ſeculum delatus fuiſſet, eâdem cum laude, ſacræ, profanæq; militiæ operari, divinum militem vidiſſet. Et eſt ea profectò non militandi ſolùm, ſed gubernandi etiam feliciſſima ratio, ſi, quæ robuſtiſſimum omnis regiminis fundamen eſt, pietas princeps ſit: huicqve comes addatur, bene fundata ſervans regna, magnus animus atqve fortis; non, quæ obvios omnes cœco impetu proterat, calcatosqve pedibus evertat, furens inſania.

Parcere ſubjectis ſcit nobilis ira Leonum;

ſciat etiam, qvicunqve, inter omnes alios, eminet poteſtate; ſciat, dico, moderamen debitum ſuæ iræ, & non, niſi manſvetudine temperatam, exerceat pœnam. Sit mitis, ſit manſvetus, ne odium; ſit gravis, ſit durus, ne contemptum incurrat. Nunqvam ſibi diu conſtat impotens Tyrannis; ſed nec ſuſtinet imperii molem, indulgens mollities: utramqve ita prudentia temperet, ne ſe ſuâ laude, regna ſuo incre-

mento privet. Hoc, & alio, innumeræ laudis genere, clarissimâ stirpe ortus NOBILISSIMVS VIR, jam inter clarissimam, immortalis honoris, lucem versabatur, qvæ, ne suo vitio caligaret, sedulus cavebat. Nam, etsi sacra est magnarum virtutum memoria, adeo etiam, ut, sub majorum luce, interdum inertes delitescentes resplendeant, non aliter ac loca sordida, solis repercussu illustrantur: tamen ea summa laus est, si non cum majoribus virtus cadat; sed, qvam ab his adepti sunt, claritatis lucem, propria virtute illustriorem reddant posteri. Ab ea mente prodiit, credo, Antigoni vox, qva adolescentulo cuidam molli, honores, quòd fortissimo patre natus esset, poscenti, *apud me*, respondit, *propriæ; non patriæ, virtutis sunt præmia.* Hæc animo tenens BEATISSIMVS VIR, parum ducebat, alienâ gloriâ celebrem esse, nisi propria laus accederet: ideoqve, quâ via ad immortalitatem feliciter contenderant majores, pergit; virtutis ac eruditionis. Atqve hac non tantùm eam, Illustrissimorum Principum, clementiam, eas honoratissimas functiones, ac rerum summarum gubernationem, qvas alibi prolixiores proposuimus, obtinuit: sed &, quam hoc loco solùm curamus, immortalitatem sui nominis acquisivit, familiæ vero, ac gentis universæ, novo augmento ampliavit. Ingenio vivitur ac doctrinâ, antiqua vox est: hoc itaqve si coleret, à morte vindicatum iri, sui memoriam statuebat, non vano omine. Hinc is labor & indefessa

fessa industria, quâ Musas juvenis sectatus est, cùm illustres aliquot Academias, bonarum artium sacraria, adiret, quò, quam cœperat, studiorum telam pertexeret. Quoties huic suo laudatissimo instituto, plurima objecta impedimenta strenuus superavit, ne, vanitate aliarum rerum, averteretur constans animus? JENAM adi, quisquis de hoc dubitas, & quâ facundiâ, de FORTITVDINE, disseruerit, fortissimus Musarum miles, cognosces. Hinc is amor etiam, quo, cum semel in Musas inflammatus esset animus, æternùm ardebat. Quoties huic nostro Lyceo, ornamentum contulit ac splendorem, gravissima MAGNI PATRONI præsentia? Non gravissima regiminis negotia, non molestissimæ morborum difficultates, se ut nobis subtraheret, unquam permoverunt. Quin has esse suas delicias, si inter Musas, harumque cultores versaretur, quibus publicis curis langvens reficeretur animus, semel atqve iterum testatus est. Hinc deniqve favor is, ac propensus in easdem affectus, quo, re magis, quàm verbis, quantum juvaret, demonstrans, quotiescunqve licebat, earum inopiæ subveniebat. Et id quidem cum, vitâ omni ante actâ, fecisset abundè, tum verò sub mortem clarissimè testatus, amplissimo legato, res Academicas sublevavit. Quod quidem, si quicquam aliud, verissimum immortalitatis medium est. Neqve enim, nisi collabente (qvod Deus prohibeat) Academiâ, tam nobilis facti, ac chari nominis, interla-
betur

betur veneratio. Cogito hîc, qvæ Poetarum fabulæ tradunt: Orphei percussi cruorem, originem flori (qvem Cytharam dicunt, qvod statis temporibus, in vatis laudem, Cytharæ sonum edat) dedisse. Tu, si, subducto mantello, rem contempleris, qui non videas, immortalem virorum doctorum, Musisqve amicorum, proponi honorem? Certe non omnes moriuntur, sed multa ipsorum pars, Libitinam vitat. Quin, si mortis inevitabili necessitati, eripi mortale neqveat corpus: memoria saltem eorum mori prohibetur, servaturqve æterna. Vocales, in eorum laudibus, ipsæ Musæ existunt, vel eo modo gratitudinem testaturæ. Quod qvidem si, hoc ipso die, mea tenuitas, in MAGNO PATRONO laudando, asseqvi neqvit: illud cogito, quod haud ita pridem, in Magni Scaligeri funere, aliunde depromptum CL. Baudius habet,

Et finem pietas contigit ista suum,

Viveres utinam adhuc! MAGNE MECAENAS, ac, lætiori aliquo argumento, occupatas nostras operas, præsens videres: non dubito, quin multum vigoris iisdem additura sit, gravissima illa tua species, ac plenus humanitate vultus. Verùm ignoscite, Auditores, si mei oblitus videar: qui ejus viri desiisse vitam conquerar, qvem DEI GRATIA, MAJORVM GLORIA, SVA VIRTVTE diu immortalem dixi. Affectu, nescio qvo, abreptus animus impeditur, qvò minus, quæ sentiebat, ipse cernat.

Assve-

Assvetus is corporis aspectui, hunc, dum eo caret, desiderat: parum cogitans, longè diviniorem, quo jam fruitur, intuitum beata anima. Quæ simul, ac exuta suis vinculis est, Dei ineffabilem contemplatur imaginem, mundique rejectis sordibus, novâ immortalitate æternùm viget. Vos modò, qui, in mortali corpore, immortalem geritis animam, id agite, ut, quam semper optavit hæc, nunc tenet, beatitatem ingrediamini. Vos dico, meum genus, quicunque humano patri ortum debetis; qui, si æternis destituamini, miserrimi estis; qui mortalitate nihil certius, immortali beatitudine nihil optabilius habetis: hunc tandem exitum, omnis vestræ vitæ cogitate, qui vobis felix, qui salutaris sit. Ea summa felicitas fuerit, si, qui primus miseriarum fuit, ita, certo ordine, continuetur dies, ut claudatur auspicio felicissimæ æternitatis. Sic in principium recurrens finis, nunquam terminabitur: quemadmodum nec unquam mortalium immortalis anima occidit. Sic æternum æternæ vitæ principium erit, qui mundanæ terminus mortalitatis est. Sed terminus etiam hîc, ac modus verborum sit: Tibi proinde, felix cœli incola, ac æternitatis hospes, novam beatudinem gratulantur, perpetuumque cultum tuæ virtutis, fidâ sponsione, pollicentur Musæ nostræ. Vobis itidem A. qui id honori MAGNI VIRI dedistis, & justis eidem solvendis, præsentiam vestram comodâstis, cum omnigenæ prosperitatis voto, paratissimâ grati-

titudinem promittunt. Cumprimis verò, Illustri TRVCHSESIORVM Domui, propitia fata, quibus imposterum tegatur, ut, quæ jam dolore, luctuque obnubilatur, suo brevi restituta splendori, diu fulgeat, ore non minus, quam animo precantur.



ORATIO III.

VIRTVS KREYTZIANA,

IN FVNERE

MAGNIFICI, GENEROSI NOBILISSIMI AC STRENVI

DOMINI

ANDREAE A KREYTZEN,

SVPREMI IN BORVSSIAE REGIMINE CONSILIARII, ET PROVINCIALIS AVLAE MAGISTRI,

INCOMPARABILIS LITERARVM PATRONI,

PVBLICE PROPOSITA.

INVITATIONEM AVDITORVM, supplebit PROGRAMMA FVNEBRE

CHER



HERNITEN lapidem, & ebori, & Pario lapidi, candore duritiaq; similimum, Plinius refert, eâ virtute pollentem, ut ab interitu defunctorum corpora vindicet, & corruptione: quod cum cognovisset, novissimus potestatis Persicæ Rector, Darius, hunc unum, ex quo Sarcophagus sibi fieret, selegit. Ita ille quidem, communi mortalitatis sorte, exempturus sibi corpus videbatur, quâ, æterno DEI edicto, damnatum erat, postquam eidem, cum omnibus, legi subdebatur; PVLVIS ES, ET IN PVLVEREM REVERTERIS: Sed, num ad votum contigerit eventus, quis edicat? Nec Chernitæ, nec ullius, inter creata omnia, ea vis est, eaq; potestas, ut mutare, quæcunque æterna creatoris mens sanxit, possit. Quisquis itaque â corruptione immunis, æternum vigorem desiderat: divinioribus mediis tantum rem agat. Pietate, virtute, ac bene gestorum studio, prout cujusvis animus luxerit; ita præsentissimum corruptionis habet antidotum. Nam prout scelera impiorum animas, vivis etiam corporibus, lethali quodam rigore opprimunt, ut vivi cadaveris instar, exe-crandum circumferant quidem corpus, ast, virtutibus operandis, omnis vis absit atq; vigor: ita iis, qui, pietate ac virtute, coluerunt mentes, tantam vivacitatem adesse deprehendas, ut &, corporibus morte rigentibus, cœlestis anima, mortis ictum evitans, æterno beatissimæ vitæ vigore sit superstes. Et prout cœlum ipsum, simplicissimâ suâ puritate, corruptionis omnis expers est: ita horum animus, magnus cœli æmulator, simplici pietate purissimus, corru-

ptionis vitiò nunquam fœdatur. Neq; verò, inter cœlestes tantum, hæc pietatis virtutisq; æternitas, sed, in terris, perpetuo viget eadem, atq; vivit. Quæ enim ætas aut Abrahami fidem, aut Josephi pudorem, aut Jobi tolerantiam, aut Davidis pœnitentiam, aut infinitam laudatissimorum capitum virtutem abolevit? Imo, si ad Paganos descendas, quis Alexandri magnitudinem, quis Aristidis justitiam, quis Cæsaris felicitatem, quis Vespasiani clementiam fando non usurpat? Et non nisi virtus est, quæ, tot retro seculis, fato functos viros, nobis ita sistit, ut nec clarius, artis penicillo, exprimi queant. Scilicet ille virtutis splendor, qui omni ebore, Pariove marmore candidior, mortis quoq; caliginem rumpens, æternâ luce, cultores suos visendos, exhibet. Hæc firmitudo ejusdem, quæ, omni saxo solidior, æterno retinaculo servat, quod superstruitur. Nihil in hanc temporum edacissima vis, nihil invidiæ livor, nil mortis deniq; ipsius oppugnatio potest; perstat illa inoffenso robore, & inter medios fluctus, ventorum debellantium eludit insaniam. Pertinax quidem vitiorum quandoq; (pleraq; enim suâ sponte obliterantur, indigna quippe hominum memoriâ) recordatio evadit, sed quanto cum dehonestamento? ita ut si damnanda illa in pœnam, apud Poetas, nonnullorum vivacitas videatur; longè magis execrabilis vivax hæc, in ignominiam, memoria sit censenda. At nobilior multo virtutum sors, quarum tantò illustrior splendor, quanto honoratior memoria existit. Illud tantum miserandum videtur, corpora piorum, juxtà ac impiorum, communi lege, in leves cineres abire, ac ver-

mium pabulo adeo interire, ut ne tenuissima corundē linea, appareat usquam. Et hæccine tanta piorum immunitas, quæ, æternæ animæ hospitium, tam horridâ destruit ruinâ? Sed ô boni! divinior subeat mens, quæ divinis edocta oraculis, longè sanctius hæc cogitat, postquam fortissimam DEI SOSPITATORIS, è sepulchro, perruptionem accepit. Hujus potestate, semel subacta mortis Tyrannis, nunquam eâ crudelitate dominari nobis valet, ut, sacratissima divinæ Triados ædicula destructa, æterno cinere obruta jaceat. Quin, quodcunq; interitus nomine tibi venit, atque horridi squaloris, curiosissima æterni Numinis lustratio est, quâ, consumtis corporum sordibus ac infirmitatibus, novæ, suo tempore, vitæ restituendus homo, politissimâ atq; cultissimâ specie producatur. Vel fidelissima ejusdem custodia est, quâ, intra suum dormitorium, reconditus homo, brumalibus, hujus turbidissimi ævi, injuriis eripiatur, ac illæso flore, postquam æternum cœli ver illuxerit, revirescens, semper vivâ amœnitate lætetur. Ita namq; statuit piorum fides, non facilius lætam arbori comam, aut vernantem telluri faciem, post hyemem solutam, redire; quam vita reditura sit, excitando, stata die, corpori. Atq; hæc quisquis cogitat, qui non feliciores nos prædicet, gentilium vanitate, qui, â creatorum vanitate, corruptionis remedium sibi pollicebantur? qui præterea & præsentis vitæ debilitatem, morbos, adversitatem, & mortis ipsius minas, æterni vigoris spe, non sublevet atq; vincat? Egisti ita, BEATISSIME VIR, cui dum hodierno die justa facimus, immensus nos dolor impediret, nisi lætissimæ vicissi-

tudinis, quâ morbos sanitate, adversitates tranquillitate, labores deniq; quiete, verè commutasti, memores, felicitatem tibi tuam gratulari mallemus. Nam & famæ nominisq; æternitatem Tua tibi virtus; & animæ salutem fides; & corporis certissimam resurrectionem, immota, qua, resuscitatorum Principi, Tuo DEO adhærebas, spes concessit. Cæterum Hujus VIRI memoriam dum vobis, Cives Academici exponimus, non expectabitis ullam laudum recitationem : publica eas proponet Parentatio, quam crastina luce, cum DEO, Hora IX. In Auditorio Majori, instituendâ, ut frequentiâ vestrâ ornetis, quorum interest, officiose rogant: *Nunc proinde simplicem Historiam ita accipite.*

MAGNIFICVS, GENEROSVS, NOBILISSIMVS, AC MAXIME STRENVVS DOMINVS, ANDREAS à KREYTZEN, SVPREMVS IN BORVSSO REGIMINE CONSILIARIVS, AC HVJVS PROVINCIAE AVLAEQVE MAGISTER EMINENTISSIMVS , HEREDITARIVS in Wolffs- und Weßelshöfen &c. MAECENAS NOSTER, AETERNVM COLENDVS, nunc BEATISSIMVS, natus DOMNAVIAE Anno M.DC. LXXIX. X. Augusti, habuit.

PATREM.

MAGNIFICVM, NOBILISS. MAXIMEq; STRENVVM.DN.MELCHIOREM von Kreytzen/ NOBILISSIMI JVDICII AVLICI, IN BORVSSIA, PRAESIDEM, HEREDITARIVM IN Domnau &c.

MATREM,

GENEROSAM, NOBILISS. VIRTVTIBVSq; SVI SEXVS LAVDATISSIMAM MATRONAM, ANNAM Packmorin:

AVVM

AVVM PATERNVM.

GENEROSVM, NOBILISS. MAXIMEq; STREN. DN. CHRISTOPH: à Kreyßen/ SVPREMI IN BORVSSIAE REGIMINE Consiliarium ac supremum Burggrabium, HEREDIT. in Domnaw / cujus Conjux GENEROSA ET NOBILISS. DOROTHEA VON LENTZIN / REVERENDISS. ET GENEROSI GEORGII à Polentz Episcopi Sambiensis Filia.

AVVM MATERNVM.

NOBILISSIMVM AC MAXIME STRENVVM: ANDREAM von Packmor/ PROVINCIALIS MILITIAE PRAEFECTVM, cujus NOBILISSIMA Conjux ELISABETHA, ex nobili Megapolitanâ Familia, derer von Halberstadt.

PROAVVM PATERNVM.

GENEROSVM NOBILISS. MAXIMEq; STREN. DN. MELCHIOREM à Kreytzen/ qui cum D. ALBERTO in Boruss. venit, &, ob insignes animi dotes, hujus Provinciæ Supremus Præfectus creatus est, cujus GENEROSA ET NOBILISS. Conjux, ELISABETHA ab Egloffstein.

PROAVVM MATERNVM.

NOBILISSIMVM, MAXIMEQVE STRENVVM LEONEM à Packmor/ cujus NOBILISSIMA conjux CATHARINA, EX GENEROSA ET NOBILISSIMA LESCHGEVVANGIORVM FAMILIA.

Hisce Nobilißimis Parentibus, Majoribusq; ortus, postquam DEO, regenerationis lavacro, oblatus esset, prima statim

ſtatim educatione, ut Majorum virtutem honoresq́ aſſequeretur, ſolertiſsimè curarunt GENEROSI PARENTES. Hinc non modo, in Lötzenſi Schola, cum Linguæ Polonicæ, tum pietatis Artiumq́ principia percepit: ſed & Regiomonti, induſtrio literarum ſtudio, eadem auxit. Quod continuaturus, poſt aliquot annos, in Academiâ noſtra, laudabiliter exactos, Germaniam Anno M. D. XCVI. adit, in eaq́ principes Academias, quæ Lipſiæ, Jenæ, VVitebergæ, Marpurgi, Argentorati, Tubingæ ſunt, quinquennio luſtrat, ac, cujus tum feliciſsima Mater erat, diruta nunc proh dolor! fere Germania, doctrinæ, eruditionisq́ non leve incrementum, ad ſuos, inde refert. Sed, prout magnæ mentes, cœlum æmulatæ, ſuo motu gaudent, eodem, quo felix Patriam ingreſsus erat, Anno, ſolidiori prudentiâ confirmaturus, quod animo poſsidebat, doctrinæ peculium, novo itineri ſe accingit: ac peregrinatione ſuſcepta, Belgium, Galliam, Italiam, hisq́ confines terras, perſpicit, ut ex variis hominum moribus, quod Patriæ ſuæ bono impendat, colligat. Quo feliciter obtento, anno M. D. C. IV. ſecundum in patriam redux, â CELSISSIMO PRINCIPE AC DN. DN. ALBERTO FRIDERICO, BORVSSIAE DVCE &c. &c. DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO. B. R. Cubicularii munere ornatur. Sequenti anno, videlicet M. DC. V. XXV. Jun: auſpicatiſsimis nuptiis jungit ſibi NOBILISS. ac MATRONALIBVS VIRTVTIBVS ORNATISSIMAM, DOMINAM ANNAM MARIAM von der Oelſchnitz: *cum qua & tranquilliſsimum, & fœcundiſsimum Anno-*

rum

rum XXIX. Mensiumq; circiter IV. (Anno namque M. D C. XXXIV. XXVIII. Octob. dilectissimâ Conjuge viduabatur) conjugium exegit. Nobilissimâ quippe septem filiorum, totidemq; filiarum propagine, auctam domum, non absq; insigni lætitiâ vidit, quæ utut, acerbo quatuor Filiorum obitu, non leviter turbata videatur: superstitum tamen (quibus diu faveat cœli bonitas, Patriæq; servet bono) felicissimâ virtute, ac honoratissimis thalamis, non minus dolor prior leniebatur. Dum namq; honorem quorundam lætissimè florentem, quorundam vero felicissimè succrescentem virtutem, ad summa niti videt, summo gaudio Patriæ virtutis, dignitatisq; sectatores, contemplatur. Nam & ipse, ut revertamur ad eum, post prima Cubicularii munia, spectatissimâ virtute, CELSISSIMI & ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DN: DN. GEORGII FRIDERICI MARCH: BRANDEBVR: &c. &c. curam t. t. Provinciæ hujus gerentis, clementissimum affectum provocans, merebatur, ut Anno M. DC. VII. Capitaneus Angerburgensis constitueretur. Atq; eo munere fidelissimè functus, Anno M. D C. XIII. XIII. Febr. à SERENIS: PRINCIPE AC DOMINO, DN. JOHANNE SIGISMVNDO MARCHIONE BRANDENB. ARCHICAMERARIO ac ELECTORE, DVCE BORVSSIAE &c. &c. &c. DN. AC NVTRITIO NOSTRO MVNIFICENTISSIMO. B. R. districtui Fischusiensi Capitaneus præficitur, usque dum Anno M. D. C. XXI. XXIII. Octobr. à SERENISS. ELECTORE AC DOMINO DN. GEORGIO

VVILHELMO &c. &c. &c. DN. AC NVTRITIO NOSTRO ITIDEM MVNIFICENTISSIMO (cujus, nunc Beatißimi, acerbißimam mortem adhuc, proh dolor! universa luget Patria) superiori in Borußia regimini adhibitus, primo SVPREMI MARSCHALLI, & post, ob eminentißimas dotes, Anno M. D. C. XXVIII. XV. Febr. MAGISTRI CVRIAE PROVINCIALIS, eminentißimâ dignitate honoraretur. Horum gerendorum munerum fidem, felicißimos successus, infinitos labores, gravißimarum, præter hæc, legationum, & Commißionum prosperrimas expeditiones, quia peculiarem operam requirunt, hic non addimus. Illud saltem dolemus, tantum rebus patriis fulcrum, mortis violentiâ, subtractum. Cum namque, circa finem superioris anni, inter varias curas, crebrioresque valetudinis adversitates, vehementior adoriretur eum morbus, tanta pertinacia præsenti curæ restitit, ut tandem, prostratis omnibus viribus, terrenis hisce eriperet magnam animam, Divinoque Sacramento firmatam, XXIV. Januarii hujus anni, circa V. Vespertinâ, inter ardentißima suspiria, cœlestibus sociaret. Ubi illa nunc, æterno, quem diximus, vigore vivens, morborum omnium, acutißimorumq; dolorum est ignara. Neq; tamen, inter nos, unquam esse desinet: qui, æternæ memoriæ cultu, magnam virtutem venerari nunquam desinemus. Quin corpus ipsum, quod vigere jam, inq; suum cinerem mox reditu- rum vides, æterna, resurgentis Dei virtute, suo tempore novâ vitâ, at quam incolumi? quam quieta? quam perenni? animabitur. Hac spe dum hodie magnæ matri creditur,



tur, ut summo Musarum Patrono ac Mæcenati; cujus affectum sæpius experta est nostra Academia, debitum cultum cives ejusdem solvant; NOBILISSIMAE VERO FAMILIAE ulteriorem affectum, frequenti funeris deductione, demereantur, monemus. P. P. 11. April. Anno 1641.



Vnquam illud quidem, aut suspicabatur animus, aut vota sperabant, cum paucissimis, ante emortualem morbum, mensibus MAGNIFICVM, GENEROSVM, NOBILISSIMVM, MAXIMEQVE STRENVVM DOMINVM, ANDREAM A KREYTZEN, CONSILIARIVM BORVSSI REGIMINIS SVPREMVM, AC PROVINCIALEM CVRIAE MAGISTRVM, ex hoc ipso Musarum domicilio, postquam tirocinii Oratorii, lætus atqve plaudens spectator fuisset, discedentem comitarer, fore, ut, inter atratum cathedræ hujus squalorem, ac lugubres undiqve gementes nænias, hoc ipsi, novissimum humanitatis officium, à me solveretur. O miserrimum ultimi alloquii fructum, tam subitò, SVMMI PATRONI, orbari præsidio! O miseras meas Musas, quarum quanto, tum temporis, AMPLISSIMA MAGNI VIRI præsentiâ, quam nec valetudinis imbecillitas, nec austerioris cœli inclementia, prohibere poterat, vigore animabatur languor; tanto jam squalore prosternitur

nitur vigor, dum eum desiderant, à quo & decus, & incrementum suum, felicissimè assertum, semper expertæ sunt. Non Trophonii hîc antro opus puto, ut lugubris frontis, vultusq; existat species: Illud adi, quisquis duriori pectore, hunc luctum non sentis, venerandum antrum, quo, hesterna luce, nobilissimum hoc cœli depositum, Patriæ salutare sidus, Gentis suæ splendidissimum decus, reconditum nosti, &, quo inde animo sis regressurus, experire. Jacet ibi jam miranda illa divinæ prudentiæ vis, jacet ibi tot oppressorum patrocinium, tot saluberrimorum consiliorum sacrarium, tot egenorum munificum levamen, tot denique summarum virtutum exactum exemplar. Ita vana, ita lubrica sunt, quæcunque summa hic noster orbis ostentat! nec Romuli saltem manipulares milites, fœni manipulus docebat, sed universa ubiq; caro, fœno quovis citiùs arescit atq; emoritur. O si ea tantùm fatorum clementia esset, ut spectatissimæ atq; exactæ virtuti, vivacior, in exemplum aliorum ac salutem, ætas tribueretur, sicque, quæ divinitatis peculiare quippiam habet, communi mortalitatis sorte exempta, æterno inter homines vigore coleretur! Sed ô vanam mentem, quæ adeò sui oblita, ut, æternam summi arbitri mentem, redarguere non vereatur! Ignoscite, Auditores Honoratissimi, lapsui, atque, dum abreptam dolore revoco, meliorem sententiam cognoscite. Ita siquidem videtur, diu id, quod tam anxiis
votis

votis desiderabatur, virtuti omni cœlitùs esse concessum, ut nunquam intermoritura vivacitate, omni tempore locoque sit, atque maneat, superstes. Quàm id quidem amœnissimè, in florentissimâ KREYTZIADVM familia, quæ quatuor seculorum, (vix regnorum plerorumque, tantæ ætatis potestas!) inoffenso vigore, quantum quidem memoriâ assequimur, diu illustris fuit, demonstrarem, nisi omnem & florem, & ornatum fastidiret, mœrore squalens animus. Agite ergò, quod mihi non licet, propria ipsorum virtus vobis præstet, quam dum simplici sermone explico, facilè, quo animo acerbissima hæc mors toleranda sit, patebit. Neque enim ea mentes, credo, vanitas obsedit, ut, si sentiri nequeat, esse neque statuatis, illustrissimam virtutem: nisi simul solem ipsum, inter noctis caliginem, desiisse putetis. Est plerumque sua rebus creatis virtus, quâ, temporum superatis injuriis, præstò sunt, etiã cum diu abolita videntur. Ipsi credo, videtis, Auditores, quorsum hìc tendat Oratio, sed sufflaminanda est, nec committendum, ut extra cancellos vagata, quicquam huc admisceat peregrini. KREYTZIORVM hic dies esto: etiamsi atratus ac infaustus, tanta jacturâ, non tamen inglorius. Quam KREYTZIANA namque VIRTVS, & superioribus seculis, & nostra ætate polluerit, dum audietis, satis superque æternitatem ejus perspicietis. Atque hìc vellem, ut corporum oculis, divinam hanc æternita-

tis matrem, subiicere possem, non dubitarem, plurimos illustrissimo fulgore caligaturos. Quod proinde cum neque possim, neque audeam, involucro quodam, ac velamento indutam, faciliùs admittetis. Non præmia modo, sed testes quoque, & simulacra magnarum Virtutum INSIGNIA GENTILITIA esse, omnes scimus. Eo quippe seculo, quo nondum insaniens ambitio, fastidita majorum casâ, aut emendicatum, aut nimis caro emptum, sangvinis decus mentiebatur, ac, quorum manus ligones ac rastra, si non alia vilioris operæ instrumenta occuparant, eorum capita cristatis galeis, aliisque virtutis, à cujus apice longè tamen abfuerant, insignibus ornari conabatur; sed humili simplicitate, patrium avitumque genus virtute, citra omnem vanissimi fastus fucum, colebat: eo, inquam, seculo spectatissimæ virtuti, spectatissimus, inque oculos omnium, incurrens, decretus fuit insignium honos. Quem cum fumosis majorum imaginibus Roma, aliarum enim gentium hac in re studia omittimus, testari vellet, illustrissimis familiis, quarumque virtute patria adiuta ac servata esset: ob earum rerum laborem ac solicitudinem, præter alios fructus, imaginesquoq;, ad memoriam posteritatemque, gentilitatis præterea jura prodenda, concedebat. Hinc & imaginum voce, nobilitatem; & defectu istarum, terræ filios, novosque homines notari videmus. Succedebat inde alia ætas, quæ, uti sunt humana omnia, suis muta-

tatio-

tationibus obnoxia, imaginum iſtum honorem, inſignium uſu commutans, Heraldis ſive Fecialibus id muneris conferebat, ut ſingulorum virtutem, inſignibus peculiaribus, tanquam ſolennibus, ac publicis documentis, honorarent; quæ gentilitia poſtmodum, nepotum filiorumque virtute, fierent. Ita quidem Alexandri, Macedonum Monarchæ, mentem, à Philoſopho Præceptore, formatam fuiſſe, qua militum fortitudinem veneratus, inſignia, vexilla, aliaque decora conceſſit, Hiſtoria dicit. Atque hinc primò omnium ejus, de quâ ſermo nobis eſt, Nobiliſſimæ familiæ mirandam virtutem æſtimate: quæ eo jam tempore, cujus initium memoriam omnem fugit, cujus adhuc ſimplex candor virtutem, absque invidiâ, vitia, absque adulatione, cenſebat, tanti meriti extitit, ut raro inſignium honore fuerit culta. Si id ſottis meæ conditio ferret, non modò debito ſplendore illuſtrata, exhiberem eadem veſtris oculis, ſed & æternis clavis, VIRTVTIS KREYTZIANAE teſtimonio, his parietibus affixa, omni poſteritati legenda, proponerem. Quidni enim imaginum, in quarum locum ſurrogata ſunt, vicem, in funebri pompa, inſignia exequantur? Verùm, cum excludat eâ fortunâ, calamo ſaltem adumbrare, non absque oblectamento veſtro, conabor. Quid namque palus ille ſ. columna, fuſci coloris, intra argenteum ſolum? quid in vertice galeæ eminens criſta, triplex nobiliſſimi Corallii ramulus, plumarum

can-

candore cinctus, videtur? Annon omnia ſingularem virtutem, eximiamque fortitudinem ſpirant? Scilicet, merebatur prima KREYTZIORVM virtus, columnæ loco, rebus & publicis, & privatis aliorum ſuſtentandis, cenſeri: poſtquam ſemel atque iterum, conſtanti robore, intra militiæ oppreſſiones, non modo ipſi perſtiterant, ſed &, ne ſumma rerum collaberetur omninò, fortiſſimè providerant. Totam huc antiquiſſimorum, ex GENEROSA FAMILIA, nominum ſeriem referrem, quorum omnium equeſtris dignitas, atque excellentia toti orbi innotuit; niſi exactiſſimè conſignata eadem alibi, aliorum induſtria propoſuiſſet. Nunc illud ſaltem videte, quàm, feliciſſimo omine, hanc inſignium partem obtinuerint. Nam cum duo Rerumpublic. quaſi fulcra ſint, Literæ atq; arma, una hæc familia dubium reliquit, utra laude amœnius floruerit. Sive enim Martium campum luſtres, tot militiæ præfectos, tot Colonellos, quos vocant, excellentiſſimos & floruiſſe olim, & hodienum florere deprehendes, ut plurimæ aliæ nobiliſſimæ familiæ, uni huic palmam ultrò concedant; quorum plerorumque non minus corpora oculis, quàm virtutem animo, dum hoc ipſo die contemplamur, qui non, fauſtiſſimâ acclamatione, perenne incrementum, tam caro nomini, comprecemur? Sed ad Muſarum ſacra feſtinatis fortaſſe, &, quo cultu his operatum ſit KREYTZIANVM NOMEN, deſideratis: nullâ ite-

rum

rum anxiâ opus inquiſitione, ultrò occurrent tot Provinciarum præfecti, tot judiciorum juſtitiæque Præſides, ut nil, niſi columnæ rerum humanarum, videantur. Luſit pro ſua amœnitate priſcorum vatum ſapientia, dum, rerum mundanarum ſuſtentationem exhibitura, Jovem Centumpedam, & Tigillum proponebat: Equidem ſi à Dei mente, cujus providentiâ omne, quod exiſtit, conſtat, receſſeris, nullum aliud rerum noſtrarum fortius fulcrum experieris, quàm prudentiſſimorũ ſaluberrimas cogitationes, ac divinâ ſapientiâ illuſtres mentes. Hæc ſunt ſolidiſſima illa tigilla, quibus probè junctis, ita combinatur Rerumpublicarũ compages, ut etiam graviſſimo adverſitatũ impetu, nunquâ ſolvatur: quin hiſce quaſi pedibus innitens, perſtat ſemper atque durat. Hæc dum aſſiduè cogitat GENEROSA FAMILIA, ea rei literariæ protulit lumina, quæ &, abſolutiſſimæ eruditionis, ſumma præmia obtinuerunt. Nam & tuos cineres hac luce veneramur, qui parum ducens, NOBILISSIMO MAJORVM ſanguine niti, proprio eum honore volebas mactare. Hinc non ſatiabatur divinus animus, niſi, quodcunque magnæ eruditioni, deſtinarant decus AVGVSTA CAPITA, ipſe quoque obtineret. DOCTORIS itaque titulum, abſoluto JVRIS VTRIVSQVE STVDIO, MAGNO KREYTZIORVM NOMINI jungebas, ut illuſtriſſima eorundem fama perficeretur. Adhæc quis ejus Svadæ leporem dignis expri-

meret verbis, quæ Tulliani oris effigies, CICERONIS PRISCI nomen suo cultori conciliabat? Ignosce, MAGNA ANIMA, si oris tui facundiam, jejuna hujus lingvæ infantia, polluat magis, quam honoret: saltem nefas videbatur, illud gentis tuæ decus silere, quo, qui Romæ eminentissimus honor fuit, huic provinciæ contigit,

Flos delibatus populi, Svadæq; medulla.

Fuit, fuit illud tempus, quo literis suus honor constabat, quo nec summos viros pudebat calamum tractare, suisque chartis impallescere: quorum omnium usum, quia armorũ studium hodie oppressit, quid mirum, si non sua undique constet imperiis atque regnis quies? quid mirum si consvetudinis fascino, intra ferri feritatem, animi ipsi efferentur atque mores. Sed non ego hic censoris mihi partes sumo, absit ea judicandi temeritas, illud tamen optem, redeat saltem aliquando priscus ille discendi ardor, subeat tandem generosissima pectora verè divinus impetus, quo non minus fortitudo corpori, quàm sapientia animo procuretur. Non usque adeò omne Musis decus, Martialis furor subvertit, ut squalidæ ipsæ & abjectæ, nullo honore, cultores suos prosequi queant. Imò est adhuc suus Musis honor, quo qui illustris est, sæpè cruentum armorum fulgorem vincit. Ita quidem experta sæpius est, GENEROSA KREYTZIORVM familia, de quâ, quicquid dixi, omne illud, in BEATISSIME DE-

FVN-

FVNCTO, affatim occurrit, qui quanta rebus noſtris columna fuerit, utinam adhuc patriæ videre potius, quàm audire liceret. Ex quo enim ſummis patriæ muneribus, ob eminentiſſimas dotes, & rariſſimam prudentiam, adhibitus fuit, quis neſcit, quanto patriæ cum bono ac emolumento, præfuerit iisdem? Incidit hîc, nec importunè adeò credo, Illuſtris cujusdam, è Proceribus Boruſſiæ, Viri, memoranda vox, quâ nil periculi metuendum Patriæ, dum Prudentisſimus hic Provinciæ præfectus ſupereſſet, ominabatur, hujus quippe virtute (invidiam deprecor verbo) feliciſſimè proviſum iri, ne quid Patria detrimenti caperet. Quod quantopere feliciſſimo eventu confirmatum ſit, dum hîc explico, non omnes gravisſimarum Legationum expeditiones, quas tamen & crebrò & feliciſſimè geſſit; non indefeſſam, pro ſalute publicâ, vigilantiam; non acutiſſima, inter acutisſimos morbos, conſilia; non reliquam judicii, ſine exemplo fere, exactiſſimi promptitudinem referam; unum ſaltem illud difficilimum Patriæ, inter furentes undique Martialium motuum fluctus, aſſerendæ negotium, tam conſtanter, tam feliciter ab eo geſtum, quis unquam digna gratitudine veneretur? Te appello Patriam univerſam, quæ, quod adhuc vigeas, nec avidiſſimorum prædonum faucibus direpta ſis, niſi huic, poſt DEVM ATQVE ELECTOREM, KREYTZIANAE virtuti tribuas, iniqua ſis & ingrata. Hæc tibi tunc una, ſolidiſſi-

ma columna, quâ suffulta, ab interitu & ruina sustinebaris. Flagrabant inveteratæ hostilium armorum iræ, quæ non, nisi prudentissimis consiliis, extingui poterant: sedandus erat infensissimus undique militis furor, ac ab internecione, cui destinata erat hostium consilio, asserenda Patria: At huic tam grandi, tam gloriosæ, tam salutari rei feliciter conficiendæ, quis aptior esset, Prudentissimo KREYTZIO? Hic itaque nil morbos corporis, nil luem castrensem, nil odia infestorum curans, ita saluberrima consilia dirigebat, exequebaturq;, ut divino Pacis dono beata Provincia, evitaret præsentissimam devastationem. Hinc si ad alia digrediamur, quis non KREYTZIANA VIRTVTE sublevatum se sæpius sensit, cujus domus, commune quoddam, oppressorum refugium videbatur: unde, sive consilii, sive aliarum rerum indigus esses, petere, quod liberet, posses. Vos appello, quorum collegio, Divina dispositione, junctus sum, quicũq; Reipubl. hujus literariæ bono præfecti estis: ipsi scitis, quoties vacillantẽ hujus fortunã fortissimè sustinuerit, quoties inopiæ ejusdem, promptissimo auxilio subvenerit; quoties Ecclesiasticarum rerũ salutẽ promoverit, promotã conservaverit, ampliaverit, atq; ornaverit; quoties singulorum etiam necessitates ita curaverit, ut verè Mæcenatis, ac PATRONI honoratissimum nomen gerat. Ego quidem, si fas est, tenuitatis meæ memoriam, Augustissimo huic Auditorio, inferre, libera voce edico, u-
nius

nius hujus consilio, & munificentia, summum afflictissimis meis rebus & præsidium, & incrementum contigisse. Tu, MAGNE VIR, ad interiorem familiaritatem me provocans, ultrò in necessitatis meas inquirebas, &, quacunqve levari possent ratione, patriâ ferè curâ decernebas. Quid ad hæc ego? Mirari saltem tantum affectum, quem non poteram demereri, studebam. Et ô voluisset utinam Deus, diutius me tanto studio detineri! Verùm enim verò, luctu ac mœrore undiqve nunc circumfusus, desiderare tantum Patronum, ac, solâ memoriâ, ejus cultum exeqvi cogor. Sed ne rerum privatarum studio, publicos hosce honores violasse dicar, ad KREYTZIANAM virtutem revertor, quæ obfuscari nonnullis videtur, atro columnæ colore, inferiori, juxta Heraldicæ artis scriptores, atqve ignobiliori: Sed eximendus horum error. Adeone enim vilis is vobis color est, qui, cum avium Regi Aquilæ familiaris sit, non modò olim Romanæ virtutis, sed &, nostro hoc ævo, Augustissimi Imperii Index est atqve testis? Adeóne vilis is vobis color est, qui, cum alios omnes obfuscatione sua aboleat, atqve obscuret, nunqvam aliis oblitus, tolli in solidum potest? Cujus virtutem qui exactiùs expendunt; unum hunc dignum, qvem Gemmarum principi conferant, putent, Adamanti: eoqve non modo perseverantiam, sed taciturnitatem quoqve, & patientiam (ast quàm utiles, summeqve necessarias Consiliario virtutes?)

 notent.

notent. Iterum videtis, quantum KREYTZIANAE laudi accedat incrementum. Si namqve consiliorum anima secretum est, quæ major Consiliariis virtus adesse potest, quàm obscurissimâ noctis caligine premere ea omnia, quæcunqve in medium, pro bono publico, consuluerit. Apertam suo Domino, clausam reliqvis omnibus mentem gerat, quâ qvicqvid reconditum latet, pateat nemini. Aut si, constantissimo tenore, perstat spectatissima prudentia, quis consilii virtutem aptius nigredine exprimat color? Hîc mihi fides KREYTZIANA explicanda esset, nisi & ex iis, quæ dicta sunt, & ex actis publicis satis constaret, quam religioso Sacramento, BORVSSSIAE obstrictam fidem servârit. Sæpius suo lectulo affixus, patriæ, quàm sibi, ægrè esse, graviùs tulit; proindeqve curandi corporis immemor, hanc prudentissimis consiliis curabat. Illud, illud est bono publico prodesse, si postpositis omnib9, etiã inter privatorum incom̃oda, hujus com̃odo labores. Sed, nisi molestum sit, ulteriùs amœnitatibus hisce indulgere; nigredinem Saturno dicatam esse reperio. Saturni autem dona, consilium, ingenium, senilemqve sapientiam esse, jam olim priscorum sapientia constituit, adeò ut huic, juxta Solem & Janum, clavem virgamqve, communis increata imperii signa, concesserit. Vos, rogo, quicunqve involucrorum Poeticorum evolutione occupamini, constituite, quænam venustior Prudentiæ imago esset queat. An-
non

non una hæc exactiſſima illa clavis eſt, quâ & reſeras, quæcunqve abſtruſiſſimis penetralibus recondita jacent; &, ſi quæ ſecretiorem cuſtodiam requirunt, obſeras viciſſim. Ita ſanè videtur ſapientis animus, ut ciſtula quædam, opulentiſſimis divitiis referta, ex qua ſi depromendum quid ſit, nunquam, absqve prudentia comite, accede: neqve enim absqve clave ſera, neqve absq; prudentia ſapiens pateſcit. Quorſum hæc dicantur, videtis, Auditores, quicunqve velociſſimam rerum dubiarum expeditionem, à BEATISSIMO præſtitam, non ignoratis. Ea hic judicandi dexteritas aderat, ut, quod inter ſudorem, atqve ungvis morſum, alios angit, huic ultrò, aliud qvaſi agenti, occurreret. Si namqve ea argentei coloris, apud Heraldos, virtus, ut & omnibus aliis recipiendis aptiſſimus, & ipſe alioquin lucidiſſimus ſit: iterum, quàm omnium convenientiſſimè, columnā fuſcam, argenteo inſiſtentem ſolo, KREYTZIANA uſurpet familia, facilè conjicitis. Cujus quidem honoratiſſima nomina, quo tempori parcam, nunc omittens, unum, cui hic honor debetur, produco. Neqve tamen & ejus omnia ornamenta, quæ huc referenda eſſent, enarro: aliàs enim dicerem, quantum ille omnis fortunæ capax, nunquam ejus aut fulmine, aut ſerenitate fuerit motus. Nam prout argentum, inconſtantiſſimo Lunæ ſideri ſubjacet, ita & MAGNO VIRO ſuæ fuerunt viciſſitudines: quibus tamen omnibus, ne qvicqvam obfuſcatus fuit,

fuit, argenteus virtutis candor. Dicerem præterea, quàm omnium & infimæ, & summæ sortis hominum capax fuerit, dum & hanc debita submissione venerari, & istam decenti comitate ac humanitate juvare nôrat: Sed prætermissis his, illa videamus, qvæ lucem argenti concernunt. Quantâ mentis luce perspiciebat, singularum rerum eventus? quantâ facilitate, difficilimorum consiliorum felicissimos successus, ordinabat? Astræum quendam historia refert, qui Lunæ alternationes, oculorum quodam signo denotârit; sit sua fides dicto, hoc tamen certum nobis est, judicii bonitate, plurimas rerum patriarum vicissitudines, diu antea non prævidisse solùm, sed &, ne graviori malo nocerent, curasse, MAGNIFICUM VIRUM. Et id quis miretur, qui solertissimam primæ ætatis curam attendat, quâ, ut expulsis mentis tenebris, scientiæ luce eadem fulgeret, laboravit? Non tanquam fasciis, patriæ cancellis involutus, suæ glebæ adhærebat: nec inter exteros versans, mentium oculorumqve sectabatur vanitates: sed de iis prospiciebat sibi, quæ, utut magno labore acquirantur, non tamen, absqve honore, possidentur. Inde tantum studium, non modò Germaniæ ferè universæ; sed Bataviæ insuper, Galliæ, Italiæ lustrandæ, ut undiqve, qvod clariùs illustraret animum, accederet. Atqve iis artibus non tantum primæ ætatis hostes, sed &, vitæ succedentis omnis, fortunam virtute vincere didicit. Inprimis, qvæ magnæ for-

fortunæ nimiùm adjacere ſolet, arrogantiam, prudentiſſimâ modeſtiâ ſemper vicit, dum nunquam faſtidivit aliorum tenuitatem. Scilicet hic glorioſiſſimus triumphus, quem, à Fortuna victa, ſapiens dum reportat, omnium triumphatorum, glorioſiſſimam famam tranſcendit. Argenti quidem candore, triumphantium ſplenduiſſe veſtes, notiſſimum eſt; ſed quis ejus victoriæ, quam virtus concedit, ſplendorem exponas? Unicum illud credo ſufficiat, cœleſtis triumphi, non ſublimius fore ornamentum, quàm veſtitus candorem. Quid namqve ſtolæ illæ albicantes, quibus amictos, beatiſſimos cœli incolas, ſacer Dei Spiritus edicit, aliud, quàm abſolutiſſimam, nullaqve macula fœdatam, victoriam notat? Et denuò, quanta argentei, inter hæc inſignia, coloris ſublimitas exiſtat, hîc dicendum eſſet, niſi ad galeæ criſtam avocarer, quæ quamvis ſola, ampliſſimum dicendi campum, aperiat, tamen, ne moroſè Auguſtiſſimum Auditorium detineam, paucis ſaltem indicabo, quæ copioſiſſimè, ex generoſiſſimi fruticis ramulis, deduci poſſent. Neque enim adeò quenquam naturæ inconſultum æſtimo, cui Coralliì ignota ſit generoſitas, quod non modò nobiliſſimis, inter gemmas, margaritis æquatum; ſed & eâ veneratione priſcis cultum, ut Jovi Phœboque ſacrum id haberent, peculiarique religionis decore, averruncandis periculis prodeſſe putarent. Neque hinc aliena KREYTZIANA VIRTVS, quæ

quidem & intemeratâ Divini amoris purpurâ, pietatem; & devotissimâ fide, SERENISSIMIS POLONIAE SVECIAEQVE REGIBVS, ET DOMVS BRANDENBVRGICAE ELECTORIBVS, sacram mentem semper est testata. Horum ministeriis cum semel addixisset suam operam, nunquam eidem præstandæ defuit. Atque hinc, si vicissim clementissimum affectum, ac prolixam SVMMORVM CAPITVM propensionem est expertus: Corallium cogitate, quod quidem, jucundissimâ sua pulchritudine, amorem omnium provocat atque cultum. Ea quippe constans doctorum opinio legitur, tantam Corallii venustatem esse, ut ejus Rosæque color, omnium reliquorum pulchritudinem vincat, quasi & hunc maris fruticem, patriæ spumæ memor, suo sangvine Venus ipsa tinxerit, quam quidem Rosæ purpureæ originem fingunt. Quanquam nec Rosæ, nec Corallii externa elegantia, tantum præconium inveniret, nisi interna virtute, innumeris modis prodesset nostris rebus. Si namque Medicorum scholas adeas, non modo corporis membris ferè omnibus, præcipuis certè, mederi Corallium; sed & animi morbos, præsentissimè tollere disces. Et eadem KREYTZIANAE Virtutis facultas fuit, quâ semper Reipubl. utilis exstitit. Nam & hujus corpus, quoties pestilentissimis malis afflictum fuit: toties præsentissimum, ab hac, remedium oblatum audivimus. Sed nec sibi ipsi defuit unquam,

quam, qui, cum corporis morbos graviſſimos evitare non poſſet, hos ſaltem conſtantiſſimâ patientiâ toleravit, unicum hoc, deſperatorum morborum, feliciſſimum remedium ſciens. Animum verò ipſum, nec horum acutiſſimis doloribus, nec aliis, inter rectè agendi ſtudium, fortunæ adverſitatibus, unquam deſpondiſſe viſus eſt: ſed quemadmodum cordis deliquia Corallii vis pellit, vigoremque ſuum reducit; ita & hic ſuæ virtutis beneficio, præſentiſſimo ac forti animo ſemper fuit. Neque verò quicquam, ex ſolito tenore, ſub mortis ipſius decretoriam remiſit horam: ſed priſtinâ conſtantiâ hanc exſpectans, venenata iſtius ſpicula, verâ pietate, immotâque fiduciâ ſuperavit. Atque ſic (QVOD FELIX IPSI, AETERNVMQVE SALVTARE FVAT!) devictis omnibus hujus mundi difficultatibus, æterno in cœlis triumpho ovans, non levium plumarum, ſed immortali diademate cinctus, fructum ſuæ virtutis capit. Sic, quo ſemper dignam vitam egit, cœlum ille ſuum tenet; in terris autem, quam, ſuâ gente dignam, virtutem ſemper ſectatus eſt, ejus æternum cultum obtinebit. Et hinc, quod ſuum erit, inſignium plumæ acturæ, æterno pennarum præconio, KREYTZIANAM VIRTVTEM poſteris ſeculis explicabunt. Atque hæc demum ea vita eſt, qua & mortem ipſi vincimus, & aliorum facilius admittimus. Cujus quidem rei, dum, hac vice, exiguum ſpecimen edere ſum cona-

tus, illud unicum deprecor, ne ex turbatâ orationis ſerie, affectus quoque, & obſervantiæ devotio æſtimetur. Hæc enim, uti ſemper MAGNI PATRONI obſequio fuit addicta; ita nunquam ſanctiſſimam Ejusdem memoriam, venerari intermittet. Illud modo fiat, ut diu florentiſſimæ KREYTZIORVM familiæ, devinctiſſimum animum, non tamen funeſtis his (procul hæc poſthac abeſſe hinc velis ô Deus!) ſed lætioribus atque optatioribus ſignis, poſſim demonſtrare.



ORATIO IV.

DE ORIGINE ET INCREMENTO GRADVVM ACADEMICORVM,

IN SOLENNI MAGISTRORVM PROMOTIONE HABITA.

HVIC ORATIONI PROGRAMMATA EVNDEM ACTVM CONCERNENTIA PRAEMITTERE LIBVIT.

INVITATIO AD SVPREMOS PHILOSOPHIAE HONORES SVSCIPIENDOS.

TRO



ROPHONII *lucum & antrum, non tantum oraculi certitudine, sed opulentissimis divitiis inclytum, plurimis describit, inter Bœotica, Pausanias: quod ut quam multi petierunt; ita non, nisi solennissimo ritu initiati, accesserunt. Quid si ego augustissima, Divinæ sapientiæ, penetralia hinc coniiciam? Num ignotum, ejus beneficio patere, quicquid omnibus clausum, ac obscurum jacebat? Est ea caligo mentis nostræ, ut vix, imo ne vix quidem, quâ serie ordinanda vita sit, perspiciat, ac proinde futurorum inconsulta, præsentibus, præter opinionem, obruta, nil, nisi acerbam præteritorum memoriam, retineat: quæ, sive prospera, amissione pectus mordent; sive adversa fuerint, horrore similiumq; metu, angunt. Ast una, quæ huic malo remedium parit, sapientia adest, quæ, omni oraculo certius, & futura prospicit, & præsentia felicissimè moderatur, & præteritorum gratam reddit memoriam. Cujus si animo contempleris divitias, quis splendor, quanta majestas? Si enim, post sacras literas, gentilium audias edicta, sapientiam thesaurum, divite etiam auro, præstantiorem, quem ubi nactus sis, magis te eo delectari, quam si princeps omnium hominum aurum possideas, peritissimus sapientiæ arcanorum, Orpheus censet. Nec aliter Romanæ Lyræ Princeps*

Sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex deniq; Regum.

Ac, proinde quid mirum, tot divinas mentes, rei tam illustris, non minori amore abripi, quam Trophonii cultores?

Quid mirum, tam opulentißimis sedibus, non nisi post gravißimos labores, locari? Innumeram laborum molem, qua TROPHONII accedebatur oraculum, alii loco reservo: nunc illud tantum pono, quod, quisquis accessum illuc sperabat, certo dierum numero, intra geminam ædiculam, commorandum eidem fuerit; BONI GENII, & BONAE FORTVNAE. Nec tibi, uno impetu, intra Sapientiæ regiam irruere licet, sed utriusq; limina salutanda prius, quam, quo velis, penetres. Patent utique ædes, quæ GENIVM & mentem formant: quæ instar officinarum, quicquid doctrinæ ac literaturæ occurrit, largâ manu depromunt, ac subinde præparant imperitos animos, ne insuetos, subitò objecta, majestas offendat. Scholas dico ac Academias, quas eo fine superiorum munificentia aperit, quo sint conventus, & consensus hominum doctorum pariter, & bonorum, congregatorum ad tales reddendos eos, qui illuc disciplinæ gratiæ venerint, CL. Vive dicente. His primos vitæ annos addicat, quisquis progredi, dictâ viâ, cupit. Sed & BONA FORTVNA opus est, sine quâ, successus vix sperandus. Domi suppetat, quod foris expendatur: aut, si, familiaris bonæ menti, adsit comes, PAVPERTAS, post Dei adoratum numen, potentiorum ambiat favorem ac munificentiam, quibus maximè sustentantur plurimorum studia. Horum si obtineas subsidiarium oculum, Fortunâ respiciente uteris, ac eò felicius iter conficis. Favor posthac aliorum etiam, non minus studiosè conservandus, quam solerter quærendus, quod eò multum provehatur noster viator. Sic itaque, â sacrorum præfectis, ad speratam felicitatem

tatem

tatem ducebatur, Trophonii consultor: Et iis, quæ dicta fuerunt, viæ principiis, eorum, quibus id curæ voluerunt SVPREMI MAGISTRATVS, ductu, pergit Sapientiæ alumnus. Atque ut eodem hac vice contendatis, ac SVPREMOS PHILOSOPHIAE HONORES suscipiatis, omnes moneo ac invito, quicunque omnes vitæ dies, cum hic, tum alibi, PHILOSOPHIAE ac Sapientiæ inquirendæ dicastis. BONI GENII, eo fine, coluistis huc usq; ædes, ut inde provecti, ultimam viæ vestræ metam, Augustissimum Sapientiæ delubrum, ingrediamini, ac sperata opulentiâ, indefessum, satis scio, studium reficiatis. Ipsa solio suo residens, CELSISSIMA DIVA, vos præstolatur, ac, prodigâ dexterâ, quicquid divitiarum possidet, lætabunda vobis offert. Gaudet suis deliciis eos mactare, quos tot molestiis subjectos vidit. Gaudet sibi sociari, quos nunquam vitiis, aut ignorantiæ sociatos vidit. Vos modò, ne desitis vestræ felicitati, videte: ne aspernari DIVAE studium videamini. Non BONA FORTVNA, non successus deerunt: En DEI favorem, qui, inter undique tumultuantes turbas, illæsum hunc sapientiæ honorem, offerri concessit! En mirandum, ILLVSTRISSIMI ac CELSISSIMI, FVNDATORIS ACADEMIAE, semper laudatissimi PRINCIPIS ac DOMINI, in Musas affectum, qui HONORVM PHILOSOPHICORVM significationem, ac oblationem tam sedulò injunxit! En sub cujus regimine jam (ac ut diutissimè id fiat, Deus velit) degimus, SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELECTORIS & DOMINI,

DO-

DOMINI & NUTRITII NOSTRI CLEMENTISSIMI, insignem munificentiam, quæ nunquam honori Musarum deest! Hæc qui non, felicissimum sperare successum, jubeant? Quare prout iis animatus, hanc vobis invitationem propono; ita vos, eandem & accipietis, &, ne frustra fiat, curabitis, scio. Sumite, quod vestrum est, decus: nec injusti in vos ipsos existite. Conficite, quod semel ingressi estis, iter: ego me vobis, ubi quam primum nomina confessi fueritis, ducem profiteor: quo, si DEus (quod serio opto) adjuverit, ad summa SAPIENTIAE evecti, debitum honorem teneatis, ac optatissimo laborum fructu, æternum gaudeatis. Ita vos æternum juvent bonæ literæ! P.P. 31. Januarii 1638.

INVITATIO
AD EXAMEN
DDNN. CANDIDATORUM
PUBLICUM.

SUccedit ergò, DEO prosperante, quod nuper, cum eodem, constitueram, iter; ac læto progressu, ad Augustissimam sapientiæ ædem, TROPHONII anteà opulentissimo oraculo notatam, pergitur, à Reverendis quibusdam, atque Eximiis Viris & Juvenibus. Hi namq., postquam exquisitissimâ initiatione, ab AMPLISSIMA FACULTATE

TATE

TATE PHILOSOPHICA, lustrati, ac rigoroso, quod vocant, Examine admisso, spectatissimam Eruditionem ac Honestatem testati, digni, qui penetralia DIVAE adeant, judicati sunt; â vobis, HONORATISSIMI VIRI ac DOMINI, quorum interest, ultimam curam atque promotionem petunt. Nam quemadmodum TROPHONII cultor, intimis victimarum visceribus, de Numinis favore, suiq; admissione certior factus, omnium postremo, â peculiariter destinatis, quos HERMAS vocabant, olei inunctione, aliisq; ritibus perficiebatur: ita quorum virtutem mens, animiq; interior vis jam prolocuta est, ultimâ saltem, prout mos obtinuit, lustrabimus solennitate. Nec alios huic operi adhibebimus, quàm HERMAS ante dictos: qui cum ipsi sapientiâ, ac eloquii diserti (id enim Mercurii aut HERMAE munus est) polleant virtute, exercere omnium optimè, prudentissimo colloquio, DNN. nostros Candidatos possunt. Nam veluti certaminum exercitia, corporis aut robur, aut debilitatem loquuntur, hincque, qui pares, imparesve laboribus ferendis existant, decernunt: sic amicæ, discursuum literatorum, dissensiones, animi vel impotentiam, vel facultatem aperiunt, indeque qui constituri sint, quive collapsuri, ad insignem Sapientiæ splendorem, docent. Et hoc fine, olei additus liquor, id est, saluberrima sanæ sapientiæ dicta, quæ & ipsa, illius more, animum mitigant, ac vigorem expeditum eidem addunt. Equidem Minervæ inventum Oleam, olei matrem, prædicant: nos ejus rei, hâc vice, incuriosi, illud dicimus, promanare, è verâ sapientiâ, gratissimum eum liquorem, qui

non modo ignorantiæ æruginem, mentibus pellit; sed & splendidissimo nitore easdem illustrat, quo & ipsæ abstrusissima veritatis perspiciant, aliisq; commonstrent. Sic, sic vestrâ operâ, HONORATISSIMI DOMINI, non imparatos ad DIVAM admittemus ullos. Equidem unum, ex omnibus TROPHONII cultoribus, Demetrii speculatorem, neglectis initiationum sacris, nec sciscitandi, sed opulentissimi thesauri eripiendi causâ, oraculum adiisse memorat Pausanias: verùm eundem, nunquam ex antro reducem, miserrimè discerptum, atq; enectum addit ibidem. Nec omnibus salutaris Sapientia est, quippe plurimos, extremâ turpitudine ac supplicio, mactavit: & notum est Plinii; Etiam morbus est aliquis, per sapientiam mori. Sic si male feriata mens sit, quo fructu sapientiam adorietur? Annon ut, quam plurimis secum exitio datis, ipse corroat? Sic, si ad quæstum sapias, quæ alia tibi laus, quam ei, qui lucelli avidus, etiam nobilissima quæq; prostituit, atq; deturpat? Ea laudatissima Sapientiæ possessio est, quæ & citra impudentiã ambitur, & citra fastum servatur: quæ non minus mentem doctrinæ radiis illustrem, quam vitam omnem, modestâ concinnitate, splendentem reddit, utraque autem prodesse aliis quamplurimis conatur. Si vanâ ostentatione honorum Sapientiæ superbire; aut palliare saltem vitæ errores velis: cave, ut obruat te Augustissima DIVA, ac perdat omnino. Ac ea, credo, ratio erat, quâ urgente, proximè ad TROPHONII lucum, & LETHES s. oblivionis, & MNEMOSYNES s. Memoriæ aqua, cultoribus bibenda erat. Scilicet & sapientiæ cultores, inde qui-

quidem oblivio vanitatum, &, si qui prius contigerunt, errorū; hinc verò exquisitissima decet memoria subsequentiū curarū, quibus semper id agant, ne aut temerè invasisse, aut indecorè possidere unquam, SAPIENTIAE HONORES *videantur. Ea omnia uti, de dictis* DNN. CANDIDATIS, *spondemus; ita ut eadem quoq; prudens vestra,* MAGNIFICE DOMINE RECTOR, SPECTABILES FACULTATUM DECANI, VIRI ADMODUM REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, CLARISSIMI, PRAESTANTISSIMI, GRADUUM ACADEMICORUM HONORIBUS INSIGNES, *judicandi dexteritas cognoscat, XXII. & sequentibus Martii diebus proximis, horis, à Prima, Pomeridianis Auditorium Philosophicum (quod officiosè, nomine,* AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE, *peto) ingredimini, ac, amicis dissertationibus, in ea omnia inquirite, Dominosq; Candidatos, ad feliciter consummandum iter, animate. Quod quidem officii genus, quamvis primùm, bono literarum publico, concedatis; tamen, cum & affectui vestro, in nos, testando præstetis, nos quoque & prædicando, ac demerendo, officia promptissima, nunquam defutura, pollicemur. P.P. Dominicâ Judica XXI. Martii* 1638.

INVITATIO

AD

SOLENNEM PROMOTIONIS

ACTUM.

DEO

DEO PROSPERANTE!

SVB AVSPICIIS,

MAXIMI POLONORVM REGIS,

VLADISLAI IV. S. A. P. P. F.

NVTRITIO MVNIFICEN TISSIMO,

SERENISSIMO AC POTENTISSI MO DOMINO,

DN. GEORGIO WILHELMO,

ELECTORE BRANDENBVR GICO,

DVCE BORVSSIAE,

MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE,

DN.

CHRISTOPHORO TINCTORIO,

PHIL. ET. MED. DOCTORE,

SVFFRAGANTE AMPLISSIMO COLLEGIO PHILOSOPHICO,

VIRIS

REVERENDIS, AC PROBE ERVDITIS,

(Hac

(Hac ſerie partim officiorum, partim ordinis habita ratione, citra omne præjudicium, locatis)

1. VRIELI BERTRAM, Salfeld:Bor:Paſtori Angerburgenſi.
2. JOACHIMO VISMARO, Primisl. March: Paſt: Dittersdorfenſi.
3. CHRISTIANO MARTINO WILLICHIO, Hamburgenſi.
4. JOHANNI MASIO, Holſato.
5. HARTWICO WICHELMANNO, Luneburgenſi.
6. CASPARI MAVRITIO, Holſato.
7. CHRISTOPHORO BRAVN, Holſato.
8. JOHANNI WEBERO, Lubecenſi.
9. JOHANNI HASSIO, Vlzenſi.
10. JOHANNI RHETIO, Golnoâ-Pomerano.
11. JOHANNI REIMARO, Lubecenſi.
12. THOMAE HÖPFERO, Auguſtano.
13. JACOBO WEISSELIO, Schiffenburgâ Boruſſo.
14. GEORGIO JANICHIO, Dirſchaviâ Boruſſo.

Poſt

Egregiam Eruditionem,

&

Morum vitæque concinnitatem,

In

In
Tentaminibus, & Examinibus, Privatis
Publicisq; perspectam,
SVPREMOS PHILOSOPHIAE
HONORES, LABORVM
Partim feliciter confectorum præmia,
Partim posthac strenuè continuandorum
stimulos,
BORVSSORVM ACADEMIA,
SOLEMNI PR. MORE.
In Auditorio Magno
VOCE AC MANV,
M. VALENT. THILONIS ELOQ.
P. P. FAC: PHIL:
Nunc Decani
X. APR. COLLATVRA
DOMINOS, EVERGETAS, MAE-
CENATES,
AMICOS
AC CIVES SVOS
SVSPICIENDOS, COLENDOS, AMANDOS,
AD SACRVM HOC MVSARVM,

Dato Signo, in Ecclesia Cathedrali, campanæ, EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA INVITAT.

P.P. V. APRIL. M.DC. XXXVIII.


Eliciori, solennitatis hujus literariæ, auspicio, quisquis velit, sive Phœbum Patrem, ex Helicone, aut Pindo suo; sive galeatam, è Jovis cerebro, literarum præsidem, Minervam, junctamque huic, omnem Musarum Charitumque trigam, ac alia, cœlo ignota, nomina evocet: ego, hoc quidem tempore, te DEVM, te O.M. DEVM, ut felicitatis omnis, sic hujus quoq; festi felicissimum principiũ, quò dexter mihi, nobisque adsis omnibus, devotè adoro, idque eò magis, quò illustrior nobis gratia tua affulget. Equidem animo meo illud excuti non poterit, singularem DEI affectum esse, qui, mirando beneficio, Borussiæ huic nostræ propensior, ea hoc die concedit, quæ nunquam debitâ laude æstimari poterunt: ut, dum squalens, inter fumum ac sangvinem, Germania, proscriptarum, tristi exilio, Musarum obtunditur planctu, ac lugubri ejulatu conficitur; Borussorum Musæ fulgidissimo splendore, inter undi-

undique resonantia jubila, lætum, suoque honore superbum, decernant triumphum, ac solennissima festivitate exultent. Hinc quidni credam, (neque enim temerè habebunt beneficium) illarum, cum omnibus, unam, hoc die, vocem esse?

BENEDICTVS DOMINVS DEVS ISRAEL, QVI FACIS MIRABILIA SOLVS, ET BENEDICTVM NOMEN MAJESTATIS TVAE, IN AETERNVM, ET REPLEBITVR OMNIS TERRA MAJESTATE TVA, FIAT, FIAT!

Post hæc, ne & eam vel clementiam, quam SERENISSIMVS ET POTENTISSIMVS DN. DN. GEORGIVS WILHELMVS, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS S. R. I. ARCHICAMERARIVS, ET PRINCEPS ELECTOR, DVX BORVSSIAE &c. &c. DOMINVS ET NVTRITIVS NOSTER MVNIFICENTISSIMVS, per MAGNIFICVM DN. LEGATVM; vel eum favorem ac amorem, quem MAGNIFICI, NOBILISSIMI, STRENVI, PLVRIMVM REVERENDI, SPECTABILES, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, CLARISSIMI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, SPECTATISSIMI, DOMINI, ac Hospites omnium ordinum Honoratissimi, frequentiâ suâ, huic actui testantur, parum æstimâsse audiant: id solertissimè curant, ne vel temerè, vel molestè se hic fuisse, quisquam conqueratur. Vtrum-

trumque obtinuisse se confidunt, si, quæ maximè huic actui conveniunt, privilegia (ut vocant) s. prærogativas literatorum, potissimum accuratiùs excutiant, eorumque, quam brevissimè, indagent ortum atque progressum. Neque enim eorum, quempiam vestrum, sectaturum mentem sperant, qui aut omnium ordinum eversores, omnia pari turba confundunt, &c, prout eâdem glebâ producti sumus homines; sic, nullo aliquo intervallo, hunc illi præferendum judicant: aut, si, in omnibus aliis, dignitatum gradus admiserint, literas tantum non admittendas, ad aliquod fastigium; quod tantæ non videantur, ut mereri quandam queant, præ reliquis, eminentem dignitatem, declamant. Quorum quidem, hac vice, redarguere errorem, nec rei dignitas, nec modestia mea, mihi permittunt: illud suffecisse putavero, si brevissimis eos dignitatum gradus, tum ex Naturâ, tum ex Historia, derivavero; vindicias alius gerat. Sanè quoties magnum illum mundi oculum, lucis fontem, cœli decus, terræ gaudium, felicissimum terrestrium patrem, reliquis omnibus majorem astris, cum noctis sidere, Lunâ, minori quantumvis, luminarium magnorum classe, conceptâ voce, locatum lustro; jam prima ejus, quam dixi, rei fundamina concipio: dum non modò, ob splendorem, præesse alia aliis; sed & prodesse, ob virtutem, voluit, sapientissimus creator. Quod quidem pòst, per omnia creatorum genera pergens, cla-

rius deprehendo. Nam poſtquam ſuam avibus Aquilam, ſuum animalibus Leonem, ſuam arboribus Laurum (nec minus enim hanc Arborum; quàm virtutum Reginam, ſapientiam cenſeo) ſuam floribus Roſam, ſuum metallis Aurum, ſuum lapidibus Adamantem præfecerat; tandem hiſce omnibus qui emineret, ac imperio quaſi præeſſet, hominem conſtituit: quem, vili terræ portiuncula, creatum, tot privilegiorum dotavit inſignibus, quot ipſe creatis omnibus antecellebat; ac, ne quid deeſſet ſupremæ dignitati, ſui ipſius notavit imagine atque ornavit. Vide hîc, quisquis ordinis contemptor, tuo chao gaudes, mirandam Numinis providentiam, quod non ordinis tantum amans, ſuperiora inferioribus, præſtantiora vilioribus, majora minoribus, poſt cœli ordinem, aërem, circa terram ſuppoſitam, porrigens, præfecit: ſed &, ſapientiſſimâ mente, bonam incolumitatis mundanæ partem, tam concinno ordine ſuſtineri voluit; ita ut, eo confuſo, non minus peritura ſint plurima, quàm, vel leviter, loco motos artus uſum perdere, vel impedimento ſibi eſſe, turbatos exercitus, dicente prudentiſſimo dicendi Magiſtro deprehendes. Nec, alio poſtmodum fine, tum patrias, tum heriles, ac ſuperiores Imperantium dignitates conſtituit; quàm ut, paulatim deflectentibus hominum rebus, perpetuum adderetur moderamen: ac, quemadmodum, inter creata, dignitate primi ipſi erant; ſic, inter hos, quos ſupremus arbiter,

Naz. Orat. 26.

Quint. l. 8.

ter,

ter, peculiari majeſtate donarat, eminerent. Quid multis? quod Comicus ait,

Ordinatum oportet facere prudentem maxime omnium:

Ariſtoph. in Concionant. Plato in Timæo.

Id ſapientiſſimum Deum, egiſſe videas: quod ordinem, perturbatione omnino, meliorem eſſe atque præſtantiorem videret. Sed ad noſtrum, agite! revertamur genus, ac, quàm feliciter, eo lumine, ductum hoc ſit, cognoſcamus. Qui ſolum naturæ hunc ordinem contemplabantur, pagani (altiùs enim, nec prolixè tamen, progredi placet) eodem componendas res ſuas, non abſque proſperrimo incremento, cenſebant. Romam illam, priſcam urbium Reginam, mundi caput, ac imperiorum fœcundam genitricem contemplare, &, quàm ea graduum curioſa fuerit, conſtitue. Scilicet, non poterat aliter, quæ Rerumpubl. futura erat imago, quàm præcipuum earundem decus, ſuperiorum ac inferiorum, exquiſitum ordinem ſervare. Non dicam hîc cenſus maximos, imos, & medioxumos, qui utrum laudis, an vituperii plus, cum vitæ pretia peſſum dederint, mereantur, dubitatur: non novos dicam homines, ac fumosâ imagine antiquos, quorum quidem utrinque nativitas, alienæ felicitatis erat: non Optimates ac populares, quos, pernicioſiſſimæ Rerumpubl. peſtes, factiones Romæ dabant: qui tamen omnes, magno cum Reipubl. Auguſtiſſimæ bono, prærogativis ſuis gaudebant, Patricios ac plebejos

Roſinus p. 166.

bejos ſaltem, &, ex his natos, Patronos atque Clienter adduco: quos utrosque, ſtabiliendæ novæ Vrbi, prudentiſſimè magnus Romulus, maximè ſi munia utrisque diſtributa expendas, inſtituebat. Iſtos, virtute ſuâ, aut gente, aut fortunâ evectos, opem atque conſilia præſtare fas erat, ſi qui uno alterove gradu inferior eſſet. Nec ſatis erat, pro hiſce, animorum cultus externus: jungendus erat ſplendor, Orcheſtra, Buleuticum, Proſcenium, Pulpitum, Podium, Quatuordecim gradus, Popularia denique ordinanda erant, ut ubiqve exquiſitiſſima ſeries occurreret. Atque horum omnium tamen, ſi antiquiorem requiras ortum, autor, Romæ parens, minimè exſtitit: ſed, multis pridem annis, antegreſſum Theſeum; qui, ſapientiæ omnis ſedem, Athenas, iisdem conſtruxerat claſſibus; Patricia regum dignitatem gerente, Plebeja verò, ultrò Magiſtratus honorem deprecante, Annales Græci teſtantur. Ignoſcite, quæſo, intra lætiſſimas has amœnitates, longius divaganti. Illud unum, quod propius nos tanget, breviter tangam. Militiæ Romanæ dignitates, adhuc luſtrandæ; &, quàm firmiſſimè iis, literariæ noſtræ nitantur, videndum. Neque hoc alienum, neque ingratum cuiquam fore credo, qui arctiſſimam & togatæ, & armatæ, militiæ conjunctionem noverit. Quam quidem liberalius, ſuo more, expreſſuri Poetæ, Galeatam, è Jovis cerebro, Minervam producunt, ac utrique unam eam Magiſtram concedunt. Nec deeſt

Roſ p. 151 & p. 694.

res

res lepidæ faculæ, quam quidem alio loco fusius, nunc usu saltem nominum firmabo. Quid Palæstrâ, quid Arenâ, quid Gymnasio, quid concertationibus in literaturâ usitatius? Atqui ea omnia, è castris, ad hanc transiisse, num ignotum? Scholas, quarum nomen toties frequentamus, quoties istas tirones, anne Martias, ac Sagittariorum, anne undecim militibus constitutas fuisse, ex Imperatoris Jure, ignotum? Ostentent, magni Cassiodori vox est, juvenes nostri bellis, quid in gymnasio didicere virtutis: schola Martia mittat examina. Tirones omitto, quod notus sit, armis primùm se terens: Illustrior est, illustris Vegetii, dictio, per diversas scholas, milites promoveri recensentis. Quid clarius, etiam promotionis voce additâ? quâ quidem monente, multum hoc tempore contrahor, ac, quæ passim per omne jus sparsæ sunt, veteranorum immunitatibus missis, convenientissima huic actui perstringo. Occurrit, inter ipsos militares honores, Baccalaureatus dignitas, & annon eadem Scholastica? Quidni enim eo, quod ludit verius, quàm evolvit, etymo misso, verò vocum usui insistamus? ac nota Gallis voce (quibus, meo quidem judicio, haud pauca rerum nomina, sub confuso hoc Romæ idiomate, debemus) Baccalariũ, sive, ut CL. Vivi placet, Batalarium dicamus, ex militari stylo, qui pugnæ unius alteriusve, modico labore superato, ac virtutis spe facta, primũ Equestris dignitatis ordine sit locatꝰ, inferior Illustrissimis, ple-

Rof. p. 54. l. Licet. 35. C. de Loc. con.

p. 104. de C. Cor. Artium.

 bejis

bejis ſuperior quam multis? Quid magis ad palatum ſcholarum, quæ, quos eo honore dignentur, citra verbum patet? Succedit exercitiorum, imo exercituum Magiſter, Tironum ille monitor,

ſub quo tolerare Magiſtro
Militiam, & grave Martis opus,

ſolebant, quem quidē, pro effœminata, ævo ſuo, Romanorum indole, graviter græculum nuncupat, diſertiſſimus Panegyricus. Plinius. Et annon eodem gradu, eodemque fine, Magiſtros tibi Scholæ noſtræ ſiſtunt? quibus ſi adderem, ſummæ autoritatis Campidoctores, &, ſi conceſſerint Græcæ voci, clarius exponenti, ὁπλοδιδακτὰς, Armorum puta tractandorum Doctores, quid tandem novi, quod docti mirentur; quid inſoliti, quod non omne, in antiquiſſima militia, occurrat, ſupereſt ſcholis? Quin prout eadem utilitate, res noſtras juvant; ita iisdem honoribus promovendæ erant, atque augendæ. Nam absqve literis furunt magis arma, quàm ſuccurrunt: cum ea demum nobiliſſima vis ſit, quæ conſilio regitur. Jamque nil obſtare video, quò minus, non tam ut concedat, quàm jungatur Laurea lingvæ, inclamemus. Ille pulcherrimus nexus, quo Lauri decus, non modò victricem comam, ſed & doctam frontem honorat! Hoc illud pulcherrimū ſidus felicitatis, ſi geminatū appareat, literaturæ ac militiæ mixtione, certiſſimum ſignum; quorum altero divulſo, occidit alterum, & caligat. Quem quidem inſignem

uſum,

usum, ac summam, quâ literis dediti, eum Imperiis atqve regnis (neqve enim minori sudore, quàm inter arma, ab iis laboratur, qui, dicente AVGVSTISSIMO IMPERATORE, amore scientiæ exules facti, de divitibus pauperes, semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, &, à validissimis sæpè hominibus, quod graviter ferendum est, corporales injurias, sine causa, perferunt) pariebant, difficultatem, cum probè perspexissent D. IMPERATORES, nefas esse ducebant, eos, qui majori, aut pari, cum militibus, emolumento, terras suas mactarent, non eodem affici cultu. Inde pronascebantur paulatim eæ immunitates, quibus adhuc, (utinam pristino flore!) vigent literæ. Hinc Professoribus Academicis, generatim Privilegia decernit, (a) *Divus Pius* eleganti oratione, confirmantque eadem, *Diocletianus & Maximianus*: Legum Doctores, ac Medicinæ sacerdotes, (b) *Antonius* (c) *Diocletianus*, itemque (d) *Constantinus*; & Medicorum liberos quoque (e) *Honorius*, ac *Theodosius* immunitatibus muniunt: Magistris Philosophis (f) *Julianus*, (g) *Valentinianus* item, & *Valens*; Decanis iterum (h) *Honorius* & *Theodosius* sua beneficia concesserunt: Grammaticos & Oratores (i) *Gordianus* (k) *Honorius*, item & *Theodosius* vulgo secreverunt, suâque prærogativâ donarunt: Civibus verò Academiarum omnibus, quos scholarium nomine continebant, de suis privilegiis (l) *Theodosius*, *Arcadius* & *Valentinianus* (m) *Leo*, *Zeno*,

In Authent. Habita. C. Ne filius pro patre.

(a) lib. 10 C. de Professoribus & Medicis l. 4
(b) dicto loco l. 1.
(c) l. 5. d. l.
(d) d. l. l. 6.
(e) d. loc. l. 11.
(f) d. loc. l. 7.
(g) d. loc. l. 8.
(h) lib 12 t. 27. C. de decan. leg. 1
(i) d. lib. 10 tit. 52. l. 2.
(k) d. loc. l. 11.
(l) lib. 12. C. t. 30. d. privileg. Scholar. leg. 1.
(m) d. loc. leg. 2.

(n) in Constit. Omnẽ, in prooem. ff. de rat. & method. jur. doc.

no, ac laudatissimus (n) *Justinianus* prospexerunt. Ac, si ulterius progrediamur, specialesque, graduum Academicorum, prærogativas investigemus, en tibi! (quantum quidem, inter Historiarum dissidia, consensus enim vix astruetur, conjectura assequi mihi licet) en tibi Augustissimum LOTHARIVM Saxonem, qui ut jus Romanum (huic enim nobilissimæ, eruditionis humanæ, parti, rem omnem plerique acceptam ferunt) in Italia repertum, à corruptelis assereret, ei explanando, spectatæ, ac publicis speciminibus, probatæ eruditionis, Viros præficiebat, quos, ut vulgo exempti reverentius haberentur, Baccalareorum, Magistrorum ac Doctorum titulis notabat; Theologis interim, Lombardi sententias prælecturis, eodem honore affectis. Quæ quidem omnia, cum optimè essent constituta: tum verò, laudatissimè omnium, peculiari pòst Authenticâ, roborata sunt, à Divo Imperatore FRIDERICO, cujus quidem fortitudinémne, an prudentiam plus mirer? dubito. Certè immania, ac maxima bella, in Italia, ejus confecit virtus, quæ tamen omnia, non adeò divinam mentem efferarunt, ut non mirandâ, & rarâ, inter arma, virtute, mansvetudine, ac insigni, in humaniores artes, clementia ferretur. Scilicet, vel eo uno docente, quæ antea dicebamus, constabunt; & honores, & usus tum literarum, tum armorum, felicissimè in Rebuspubl, conjungi. Hæc verò dum dico, ignosce, DIVE ALBERTE, cum omnis

patriæ,

patriæ, tum peculiaris hujus Academiæ Parens, quæ quidem adhuc, tuo ſpiritu animata, oſſa non procul diſſita, ac vivam vultus imaginem, hodie quoque veneratur: ignoſce, inquam, quod, juſto ſerius, laudum tuarum facta mentio videatur. Non id ingratitudinis, ſed devotionis causâ accidit, ut videlicet, in venerandis tuis cineribus, terminaretur oratio. Tu abſolutiſſimum Principis exemplum, & quid armis fortitudo, & quid artibus ſapientia tua præſtitiſſet, docturus eras. Inde tot ſuperatæ pugnæ, tot occupatæ urbes; ac ea tamen omnia, quò Salutis Publicæ causâ ſuſcepta conſtarent, tempore ſvadente, feliciſſimâ pace terminabantur: Hinc verò, non artium modò officina, ſed &, munificentiſſimum, decretorum Honorum, alimentum prodierunt. Quæ omnia dum DIVI SVCCESSORES Tui, ac SERENISSIMVS Hic Ipſe (quo feliciſſimè, ac diu, nos regi cœlum velit) POTENTISSIMVSQVE ELECTOR, DOMINVS ET NVTRITIVS NOSTER CLEMENTISSIMVS, tam inoffenſo affectu (quem ſemper devotiſſimè prædicabimus) aſſerunt: Illuſtriſſimarum Tuarum Virtutum fulgore duce, laudatiſſimâ ſemitâ, ad immortale decus conſcendunt. Tibi tantùm, quod unum poſſumus, gratiſſimum tantæ virtutis præconiũ offerimus: quod quidẽ, ne prolixiori jactatione profanetur, hic finio. Nam & vobis, MAGNIFICI AC COLENDI DOMINI, quod volebam, pro-

batum credo, non temerè vos hic fuisse, qui rebus, tum divina constitutione, tum Prudentissimo, tantorum capitum, edicto firmatis, occupati fuistis. Illud modo, quod alterum promittebam, præcavendum, ne moleste hic sitis. Vindicias proinde horum privilegiorum, ut dixi, ab alio, hac fortè horâ, expectate. Ego, priusquam, ex Comico, loquacitas mea audiat,

Ah! Laßitudinem hercle verba tua mihi addunt, enecant:

bonâ cum pace vestrâ tacebo.

Intercedentem DNN. CANDIDATORVM Commendationem,

Responsio, atque ipse Promotionis Actus sequitur.

VIR EXCELLENTISSIME, FAVTOR AC COLLEGA HONORATISSIME:

ET quid, quod impedire ulterius, laudatissimum REVERENDORVN & EXIMIORVM DNN. CANDIDATORVM propositum, queat, inveniatur? Exactissima ad virtutis regulam vitæ concinnitas, quam omni ætate publicè, privatimque omnibus demonstrarunt; Versatissimus, in omni, disciplinarum Philosophicarum, genere animus, quem cum

cum lætiſſimo eorum, qui & privatis, & publicis interfuerunt examinibus, applauſu, haud ita pridem, clariſſime explicuerunt; jam talia videbantur, quæ meritiſſimo jure virtutis præmium, laborum fructum, depoſcere videbantur. Et tamen his omnibus juncta illa, non eruditione magis, quam Charitum Venerumque, quotquot ſunt, elegantiâ ſpectatiſſima interceſſiio, quid non impetraret? Næ iniquiſſimus ſim mortalium omnium, ſi aut æſtimare tam ſpectatiſſima merita, aut tam ſuaviſſimas tanti Amici preces admittere, nolim. Et tamen utriusque reus juſtiſſimè arguar, ſi, vel leviſſimâ interjectâ morula, petita explere ceſſem. Quin ergò, quod debeo, agam; atque & petitioni V. E. & deſiderio DNN. CANDIDATORVM ſatisfaciam, modo hi prius, quam id fiat, ſolenni juramenti formula, quam clarâ voce Miniſter publicus recitabit, fidem certis obſervandis capitibus obſtringant.

POST JVRAMENTVM PRAESTITVM.

QVod ergo ſui honoris, Eccleſiarum, Rerumpublicarum Academicarum pariter, atque Civicarum, incremento, æternùm felix ac ſalutare jubeat, æternus veræ ſapientiæ parens atque conſervator, D. O. M. Ego M. VALENTINVS THILO ORATORIAE P. P. AMPLISSIMAE FACVLTATIS PHILOSOPHICAE nunc DECANVS,

fretus eâ, quam conſpirantia hujus ſuffragia, ſolenniter mihi conceſſerunt, autoritate, vos REVERENDOS ET DOCTISSIMOS VIROS ATQVE JVVENES,

TE VRIELEM BERTRAMVM, SALFELD. BORVSS. PASTOREM ANGERBVRGENSEM.

TE JOACHIMVM VISMARVM, PRIMISLAV. MARCH. PASTOREM DITTERSDORFFENSEM.

TE CHRISTIANVM MARTINVM WILLICHIVM, HAMBVRGENSEM.

TE JOHANNEM MASIVM, HOLSATVM.

TE HARTWICVM WICHELMANNVM, LVNEBVRGENSEM.

TE CASPARVM MAVRITIVM, HOLSATVM.

TE CHRISTOPHORVM BRAVN, HOLSATVM.

TE JOHANNEM WEBERVM, LVBECENSEM.

TE JOHANNEM HASSIVM, VLZENSEM.

TE JOHANNEM RHETIVM, GOLNOA-POMERANVM.

TE JOHANNEM REIMARVM, LVBECENSEM.

TE THOMAM HöPFERVM, AVGVSTANVM.

TE JACOBVM WEISSELIVM, SCHIFFENBVRGA-BORVSSVM.

TE GEORGIVM JANICHIVM, DIRSCHAVIA-BORVSSVM.

Vos, inquam, omnes & ſingulos, initio quidem Liberalium artium & Linguarum BACCALAREOS; deinceps vero PHILOSOPHIAE MAGISTROS, ac, quem dignitatis gradum ſpecialis D. SIGISMVNDI clementia, ordini huic, inter nos, addidit,

didit, NOBILES simul creo, pronuncio, atque confirmo: talesque ut ubique habeamini, solennibus hisce intimo, in nomine DEI PATRIS, FILII ET SPIRITVS SANCTI.

Atque ita confecta res omnis esset, nisi, quod solennissimum, in majoris momenti rebus peragendis, priscæ sapientiæ legimus; idem Academicis, conferendorum graduum, solennitatibus adhiberi, atque, quæ maximè omnium sensus non minus, quàm animos, feriunt, externis quibusdam ceremoniarum speciebus, illustrari eas, ea ipsa voluisset. Quorum proinde secuturus ductum,

Primo locũ vos mutare, ac, SVPERIOREM ingressos CATHEDRAM, propiꝰ me accedere jubeo, simulq; eo ipso vos moneo, exemptis vobis, cõmuni Scholariũ turbâ, inter Doctores posthac locũ futurum. Semper & Cathedram, & sublimiorem sedem, docentium fuisse locum, præter innumera alia, & divinorum oraculorum confirmat veritas: dum in Cathedra Moysis docentes, horum autem qui doctrina erudiantur, ad pedes locat Gamaleelis. Et decebat ita Sapientiæ, quam professuri cum Deo estis, sublimitatem, quâ, omnem mortalitatis transcendens dignitatem, prima in cœlis incunabula tenens, excellissimum ibidem mundi universi Regem, Deum patrem habet atque autorem. Hujus itaque divinæ Majestatis, memores ut sitis, ipsius loci, unde explicabitis, sublimior admonebit status: simulque, &

quam ſobria ea, à Doctoribus, tractanda modeſtia; & quanta cum veneratione, ab inferiorum ſubſelliorum diſcipulis, accipienda ſit. Sed heus! Illud unum curate, ut nunquam temerè, in veneranda Divæ in voletis ſacraria, ſed, dum divino arbitrio ad ea tractanda vocemini, abſtineatis iisdem: quemadmodum & hunc ipſum, qui jam tenet vos, ſuperiorem locum, non pro lubitu veſtro, ſed meo evocantis judicio, licuit occupare.

Cum porro Cathedrã hanc ingreſſis, primo omnium LIBRI CLAVSI occurrũt, ita ſimul ſtatuere vos velim, multum ante, alios quam doceas, luſtrandis optimorum Autorum ſcriptis, laboris impendendum eſſe. Nam tenebras, absque lucis radio; & ignorantiæ caliginem, absque ſcientiæ luce, nunquam pelli videmus. Hinc quodcunque alios docturi eſtis, ita exactiſſime primò à vobis animo comprehenſum, ut, absque ſubſidiaria librorum inſpectione, veſtra vobis, ſua ſponte, memoria ſufficiat, curaveritis. Scimus commune illud, quo tantum quisque ſcire, quantum memoria teneat, judicatur. Hoc vobis dictum eſto, atque hinc religio vobis ſit, quicquam aliis, cujus ipſi peritiſſimi non ſitis, præcipere. Attamen cum & labilis hominum memoria, & pronus in errores exiſtat animus: utrique morbo remediũ procuraturus, clauſos vobis APERIO libros, non alio conſilio, quam ut, quicquid exciderit, hinc repetatis, & quicquid docturi ſitis, ad horum

rum exigatis normam. Ea quippe veritas humanæ ſapientiæ ſolidiſſima eſt, quæ ſpectatiſſimorum ſapientiæ Virorum nititur autoritate. Horum itaque ductum uti tutiſſimè ſequimur; ita maximarum ſemper turbarum cauſa fuit αὐθάδεια. Hinc & Zenoni, optimæ doctrinæ ſimul, atque vitæ deſignaturus tramitem, Apollo Delphicus, *mortuis ut concolor eſſet*, juſſit: quâ mente, facile ipſi videtis.

Hinc ad alia progreſſus, PILEVM præterea, qui non poſtremam, Romanorum rituum conſtituebat olim partem, capitibus veſtris impono. Solenniſſimum manumiſſionis atque libertatis argumentum, Romanis olim pileum fuiſſe, adeo manifeſtum eſt, ut & ad pileum vocari, qui libertate donabantur, dicerentur. Fuit ea veſtra, â primis annis, cura, fidiſſimis non minus ſervitiis, res Philoſophiæ curare; quam promptiſſimis, quæcunque præciperet ipſa, exequi obſequiis. Hinc compenſatura fidem veſtram, atque ſolertiam, cœleſtis Diva, decretum libertatis honorem, pilei concesſione confirmat. Neque enim & aperto capite, ſuperioribus venerationis cultum teſtari inferiores, & honoratiores tecto res ſuas agere, eſt obſcurum. Sed ſi cœli quoque adverſitates, undecunque exorientes, capitibus noſtris, pilei beneficio, arcemus: Virtus vobis veſtra atq; doctrina, adverſus omnem fortunæ impetũ, tutisſimũ præſidiũ præſtabit. Præſtabit ea, ne vel blanditiis ejus, immodicè abutamini; vel minis

plus

plus justo timeatis; sed, inoffenso medioritatis tenore, incolumes procedatis atq; felices.

Quod quidē quā certe, ulterius polliceri vobis, possitis, dum ANNVLORVM AVREORVM usū, voce mea, atq; manu offert docet. Certissimū sanctissimi, inter conjuges, amoris pignus, annulo confirmatur. Atq; tam arctissima se vobis communione, Sapientia jungens, eandē, cum auro, affectus puritatē, eandem, cum eodem, constantiam, sanctissima voce spondet. Vos saltem id curate, ut, digno amore, in amplexus Divæ feramini; ac, si turpissimæ iniquitatis res est, matrimonii fidem temerare, quam semel, sanctissima constantiâ præstandam, obstrinxisti: non levius crimen statuite, arcana sapientiæ profanare; quamq; jam, castissimâ copula, toto hoc Augustissimo Auditorio teste, vobis junxistis Sponsā, aut turpi deserere divortio, aut, inductione sordidarum pellicum, negligere. Aliud vos vestra docuit indoles; aliud splēdidissima, tam sancti amoris, vos docebit arrha, quam quoties intuebitur oculus, toties, quod suarū partium, discet animus.

Atq; ita, quæ splendidissima, Romanarū nuptiarum solennitatem, illustrarunt luce, vobis feliciter Neonymphis, & præluxerunt, in sacrarium hoc sapientiæ progressis, & porro, in sacram Dei deducendis ædē, prælucebūt ARDENTES FACES: non quidē ut, quæ stolidi popelli vana mens est, Soli lux addatur; sed quo vobis illustris ejus honoris, quo hoc donati estis


estis die, memoria, nunquam animo elabatur. Unde porrò ita sentietis: & crebra agitatione facibus lucem; & continuo exercitiorum motu, mentibus accrescere eruditionem. Nec proinde admittetis, ut vestra culpa deficiat ejus honoris splendor, quem vestra eruditio, atque optima institutæ vitæ ratio, incendit: sed pòst etiam illius incrementũ, hujus solerti fomento augebitis. Ita vos ipsi, in illustriori quotidie collocati luce, quotidie fortunarum vestrarum sentietis augmentum.

Intra summum vero hunc honorem constitutos, cum nihil magis, quam continuum modestiæ studium ornet: hinc ut ea semper vobis mens existat, in pristinum inferioris Cathedræ locũ dimitto, quo, quemadmodum in natura, sic fortuna quoque, summis ima adjacere cogitetis, hincque summam fortunam, ne præcipitio vobis noceat, reverenter habere discatis. Ne tamen omninò nihil, sub prima, noviter concessi honoris, auspicia egisse videamini, specimen aliquod eruditionis publicum prodetis: ac (quandoquidem Reverendis Dnn. Pastoribus, Ecclesiastici, exactæ Paschalis solennitatis, labores id non permiserunt)

Tu Eximie DN. M. CHRISTIANE MARTINE WILLICHI, Quæstionem quandam Philosophicam, oblectandæ hujus tam inclytæ concionis ergo, propones.

Tu verò Eximie DN. M. JOHANNES MASI, solenni gratiarum actione, HONORATISSIMIS DNN. AVDITORIBVS, devinctissimum affectum, omnium ore testaberis, sicque solennitatem universam lætùm concludes.

Ego interim, Te, D. O. M. supremum Sapientiæ, quæque hujus, in terris, officinæ sunt, Scholarum & Academiarum Præsidem atque Rectorem, ut, quos Tuâ gratia concessos, jã tenent noviter Promoti Magistri, honores ita prodesse iis jubeas, quò inprimis cœlestis Tui honoris, iisdem promoveatur incrementum; inde verò res hominum publica atque privata, sive Ecclesiarum id, sive Politiarum, sive ædium singularum requirat felicitas, augeatur atque confirmetur, supplici voce animoque veneror ac adoro.



ORATIO V.

VESTALIVM ROMANARVM HISTORIAM,

SVB SOLENNI MAGISTRORVM PROMOTIONE, SECVLARIBVS ACADEMIAE REGIOMONTANAE CELEBRATIS, INSTITVTA, PROPONENS.

CVI,



CVI, VT ANTECEDENTI, PARITER PROGRAMMATA PRAEMITTERE PLACVIT.

INVITATIO AD HONORES SVSCIPIENDOS.



Voluit ergo immortalis tua bonitas, æterne rerum conditor ac parens, cujus, cum æquævo Filio, ac Spiritu DEO, honor, gloria, benedictio ac claritas, nullis temporum locorumq; spatiis terminatur: ut, quod semel, cœlesti DIVI ALBERTI menti, inspiraras, consilium, non modo felicißimè succederet; sed &, omnipotenti tua virtute confirmatum, adversus omnes temporum, hostiumq; impetus, perstaret immotum. Tuum hoc munus, dum per seculi, integri elapsum, solidum ac illibatum, inter tot generis humani ruinas atque pestes, feliciter, quæ tua clementia, usurpavimus: qui non uno, hoc die, ore omnes illud solenne, inter pios plausus, ac ovationes, ingeminemus?

Simplex ætherei numinis unitas,
Quæ distincta eadem est, veraq; trinitas,
Aeternis vigeat semper honoribus,
Et terra simul & polo!

Et quis non divinum verè, atq; cœleste, MAGNI PRINCIPIS INSTITVTVM dixerit, quo, pace suis parta, ac undique rebus ita constitutis, ut publica salus, lætißimumq; terræ incrementum, nova subinde fœcunditate, augeri videre-

deretur, vana, caduca atq; instabilia ista omnia putabat: nisi, certiori aliquo securitatis pignore, roborarentur? Hinc, prout versatissima ejus, inter prudentiæ sapientiæq; sacraria, mens erat, Optimorum semper Principum, eam fuisse curam norat, ut, quam fieri posset, tutissimo præsidio, regni sui felicitatem assererent: nec discedendum proinde sibi, â tam divino consilio, statuebat. Quin, cum varia, â variis, media rei huic obtinendæ adhibita videret, quorum tamen nonnulla, haud leviter, deficere sentiebat: omnium maximè eorum sectabatur mentem, qui sapientiam, adeoq; literarum ipsarum studia, tanquam rem unam, inter mortalia, æternam ac divinam; indeq; optimum, stabiliendæ, ac in æternam promovendæ, felicitatis medium, id felicissimè omnium, præstare censuerant. Nec revocavit DIVVM HEROA, ab hoc tam cœlesti consilio, quicquid difficultatum obiiceretur: sed, prout solet magna virtus, exercita durioribus, fortius urgebat propositum, donec promovente DEI gratia, ac indulgente AVGVSTISSIMI POLONORVM REGIS voluntate, publica Musarum ædes statueretur; ac feliciter, quicquid bonarum artium, ac literarum, hinc inde, vigeret, intra Borussiæ quoque terminos, floreret atq; succresceret. Iactet jam Chaldæa, jactet Persis, jactet Græcia, jactet, cum Troja, Roma, præsidem imperiorum, Majestatisq; suæ, ignem: Hic nobis divinior ignis, quem non vana Promethei fabula, sed æternus ipse DEI Spiritus, è cœlis, in terram, ad nos detulit, ut, ejus præsidio, salvæ essent, ac incolumes hominum res, nimis heu! nimis avito errore projectæ. Aeternum sapientiæ

entiæ lumen dico, cujus & divinum ortum, & potentissimum robur, quis ignorat? Annon, ipso Dei oraculo teste, non aliunde, quam ab hoc ipso, quicquid sapientiæ, generi nostro contingit, optandum scimus? Nec adhuc excidisse cuiquam nostrum puto, quæ proximâ solennitate, delapsus è cœlis ignis, quo flagrantes divinorum nunciorum mentes, orbem omnem non subegerunt modò, divino imperio; sed & asseruerunt fortissimè, è publica cathedra nos docuerit. Scilicet nil feliciter evenire, nil solidè constare, absq; cœlesti hoc præsidio: contrà, hôc quicquid nititur, felix esse ac fortunatum. Et vide vim veritatis, quæ & paganorum caligini tam clarè affulsit, ut, cum ubiq; sanctissimè coleretur ignis splendor, tum Asiatici imprimis regibus suis, ejus quandam portionem, præferri semper juberent. Sed ô diviniorem, cœlesti radio incensam, faculam, quæ una feliciter regum Principumq; regit, atque gubernat consilia! O felicem tam divini luminis splendorem, quo affulgente, mox errorum turbarumq; caligini, lætissima lux succedit! Eum sapientiæ splendorem, terræ suæ procuraturus DIVVS ALBERTVS, non modo, curis nullis, sumtibusq;, omni patriâ testante, pepercit: Sed &, ne quid deesset tanto muneri, accuratissimè providit, quo religiosissimo cultu foveretur, neque profanaretur, temerariâ tractatione, tam cœleste depositũ. Omnium, quas diximus, gentium curam intuere, ac, quam sacrâ custodiâ, certissimum imperii hoc pignus, sacrum ignem asservarint, expende: Jam enim Flaminem Dialem; jam Mithræ, inter Indos, Sacerdotes; jam quarum, inter omnes, solennissima Historia est, Vestales Romanas

deprehendes: nec aliud quid, ab his omnibus, curatum esse, quam ignis fomentum. Ita egit DIVUS ALBERTUS, dum, quam tanto studio receperat, summa quoq; solertia colendam, Sapientiam instituit: Eo namq; fine, reliquis ejus Præsidibus, PHILOSOPHIAE quoq; DOCTORES junxit, quibus id potissimum muneris imposuit, ut providerent sedulo, ne divinus sapientiæ ignis, aut pollueretur, per profanationem; aut extingueretur, per socordiam. Ac liceret utinam! fusius de his agere: verum, cum præsentis Programmatis ratio, alii id reservare jubeat, nil addo, nisi eam, SUMMI PRINCIPIS prudentiam, qua, ut solertior hujus tam arduæ rei cura esset, præter præmia alia uberrima, HONORUM quoque ac TITULORUM PUBLICORUM concessionem, clementissimè est largitus: quo, hisce velut stimulis, validius eò impellerentur, unde, molestiarum difficultate, revocari facile possent. Honore enim multum ali generosas mentes; cum sapientissimis probè tenebat. Neque aliâ mente, juxta omnes DIVOS SUCCESSORES, AC NUTRITIOS MUNIFICENTISSIMOS, SERENISSIMUS AC POTENTISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS, DN. FRIDERICUS WILHELMUS, MARCHIO BRANDENBURGENSIS, S. R. I. ARCHICAMERARIUS ET ELECTOR, DUX BORUSSIAE &c. &c. NUTRITIUS NOSTER MUNIFICENTISSIMUS, uspiam apparet, qui, præter innumera clementiæ signa, MUNIFICENTIA etiam SINGULARI, decus hoc, in præsentiarum, clementissimè illustrat. Quæ omnia uti, devotissima mente, semper veneratur PHILOSOPHICA FACULTAS: ita nunquam, prout potest,

test, explere laudatissimam DIVI FVNDATORIS voluntatem, ulterioremq; SERENISSIMI NVTRITII clementiam provocare cessabit: sed modis omnibus id curabit, ut & sancta constet flammæ hujus puritas; & curandæ hujus studium, magis magisq; augeatur. Et id quoq;, hoc ipso tempore, testatura, publicâ honorum oblatione, me interprete, omnes ac singulos allicit atq; invitat, quibus ea res serio curæ fuit, ut errorum caligine pulsa, divina veræ sapientiæ luce, mentem verè illustrarent, quo arctius se nobis jungant: ac, postquam ejus rei, per publicos honores, potestatem nacti fuerint, tam laudatissimi laboris, pro Sapientiæ asserendo bono, partem in se suscipiant. Id quibus haud ingratum est, maturè, ob negotiorum aliorum copiam, nomina sua mihi profiteantur: quo, legitimâ initiatione factâ, muneri huic honoratissimo dignè gerendo, debite præparentur. Non est temerè habenda ejus functionis dignitas, quæ & autorem, & præsidem DEVM habet: cujus gratiam, huic etiam feliciter expediendo negotio, devotè expetimus. P. P. ipso S. S. Trinitati solenni festo: Anno Academiæ Seculari.

INVITATIO AD EXAMEN DNN. CANDIDATORVM PVBLICVM.

Quan-


Vantum, in igne fatali, fiduciæ, pagani passim repositum habuerint, adhuc dum iis, quæ proximis, ab hinc, septimanis, proposita fuerunt; uti nec minus istud, quod de summo cœlestis ignis, sapientiam dico, præsidio, quo Rebuspubl. imperiisq; omnibus prodest, istis addebatur: obversari Lectorum animis puto. Nunc verò illud quoq; cogitandum venit, quo plus felicitatis, ex tam divino pignore, sibi pollicebantur; eò solertius curatum fuisse, ne res tam divina, ullo modo profanaretur, sed sanctissimè ubiq; tractaretur. Quod ut constet, lubens illnd prætereo, non nisi in sacrum, è Flaminis Dialis domo, perferre ignem licitum fuisse: sed potius, cum communius id videatur, hoc, quod propius tangere rem videtur, propono. Vestalium nimirum operas consideres, quæ quantum curæ, operisq; huic rei impenderint, nemini, nisi Historiæ Romanæ omnis experti, est ignotum. Excubiis ergo continuis id initio, ne aut extingueretur, sub gravissimæ mortis pœna; aut, quoquo modo, profanaretur cœleste depositum, curabant. Et hinc quis non videat, primam eorum, quos divinior Sapientiæ ignis præsides habet, curam esse, ut solertiâ suâ indefessa, magis magisq; illustrissimus ejus splendor augeatur; illud autem, quod caliginem offundere eidem, ac tenebras possit, procul arceatur? Equidem, vitio temeritatis humanæ, id nonnunquam evenire videas, ut errorum tenebris cœcutientes nonnulli, haud parum elegantissimum sapientiæ decus obscurent; alii etiam vitiorum sordibus, eruditionis, quâ mentem illustrarunt, splendorem maculent: sed magno u-

trumq; cum, divinæ faculæ, detrimento. Ita terræ objectu, clarissima mundi sidera, decus amittere omne videas; nec aliam sortem sapientiæ puta, ubi in terrestres, ac sordidas hasce, mentes inciderit. Et tum quid agas, quo pristino eam restituas splendori? non equidem Corinthi æra hic juvant, quibus olim, succurrere sese nocturno sideri, credebant: sed sapientum constans consensus, quo, uno omnes ore, errores arguant, ac, quicquid obstare videbatur pristinæ claritati, fortiter depellant. Quod quidem eo solertius agetur; quo grandius, si intermittatur, periculum inde metuitur. Romæ equidem sacri ignis exstinctio, nunquam infaustitatis præsagio, carere credebatur; imo, quasi desperatis rebus, ea si accidisset, publica privataq; intermittebantur negotia, procuratione etiam solenni, ut, dum extinctus esset ignis, duraret imperium, ad Deos instituta. Ast quis infelicitatem, rerum humanarum omnium, describat satis, ubi sapientiæ lumen est extinctum? Quocunq; te vertas, vastitatem, barbariem, ac mille monstrorum pestes occurrere videbis, cum, hac una duce, quicquid feliciter accidit, omnium optimè expediatur. Nemini id dubium puto, quicunq; Rerumpublicarum sortem excusserit: quam tam diu viguisse experitur, quousq;, intra splendorem, hic Sapientiæ ignis affulserit. Ita namq; illustratæ præsidum, & Rectorum mentes, non modo tristissima, præsentium malorum, nubila, feliciter consiliis suis perruperunt, lætaq; omnia luce exhilararunt; sed & futuros, caliginosi temporis, exitus, tàm exactè prospexerunt, ut diu ante, quam opprimerent, malis, remedia opposita monstrarent. Quid

verò, inter hæc, insipientiæ caligine obrutus animus? Cæcutiens, inq; tenebris, Cimmerias excedentibus, titubans, nec se, nec alios juvare valet, sed incerto ubiq; titubans gressu, quo feratur, quidve agat, ipse ignorat. Et quid hinc felicitatis publicæ speres, ubi domestica undiquaq; affligitur? Id ergo ne Romæ contingeret, tanta solertiâ providebatur: neq; alia Sapientiæ antistitibus cura incumbit. Sed cum immensi laboris, hæc cura existat, non temerè quibusvis ea committenda. Scilicet ita agebat Roma, dum non modo Virgines huic tanto muneri destinabat, quas & omni corporei contagii carere labe, & pudoris huic sexui proprii, tam religiose curiosas esse oportebat, ut ne suspicione quadam vitiosâ laborarent, cum, teste Historico, ea una culpandæ cuidam suffecerit: sed &, eâ constitutione, illarum officia restringebat, ut, quæcunque hisce sacris operam addiceret, prioris decennii spatio, administrandorum eorundem rationem disceret, subsequenti eadem ipsamet administraret, & ultimo tandem alias doceret. Eam quoq; curam sapientiæ præsides decere, vel inde constat, quod, cum Musas virgines sciamus, nunquam ad sapientiam, quæ harum ignis est, colendam, nisi virginea puritate, & modestia spectatissimas mentes, admittendas, vulgo statuatur. Quæ ipsæ etiam ut dignè iis sacris operentur, multâ primum eruditione, imbutam mentem huc afferant, ut, quâ viâ, ritè progrediantur, probè sciant: & sic demum, ne ullo tempore, curatores sacrorum desint, alios quoq;, eorundem tractandorum rationẽ, fideliter doceant, quem supremum, scientiæ omnis, finem sapientes censent. Ea omnia, prout, AMPLIS-

SIMAE FACVLTATI PHILOSOPHICAE, in A-
cademiâ hâc Borussa, feliciter semper curata fuerunt: ita
neq; hoc tempore, cum, exigente ejus SOLENNITATE,
HONORES SVPREMI PHILOSOPHICI confe-
rendi, adeoq; plures, hujus tam sacræ rei, curatores consti-
tuendi essent, laudatissimæ huic curæ deesse voluit. Pro-
inde cum aliquot, non equidem numero multi, (credo enim
quosdam, tam Sancti ignis majestate, ne aut adurerentur,
aut temeritate sua istum profanarent, absterritos, hinc re-
cessisse) sua VIRTVTE AC ERVDITIONE
SPECTATI CANDIDATI, ei rei, studia sua offer-
rent: nostrum ante omnia duximus, ut, quâ morum sancti-
tate voluntatẽ, mentẽ vero, rerũ dignissimarũ cognitione,
exornassent, constaret, ne temerè hic quicquam fieret, in-
quirere. Factum id ergo non tentamine modo, sed exami-
ne quoq; rigoroso præmisso, in quo utroq;, laudatissima, utri-
usq; rei, incrementa ita ostenderunt, ut non infeliciter, pro-
movendo sapientiæ splendori, eos adhibitum iri, deprehen-
sum fuerit. Cum verò, præter domesticum hoc encomium,
publicum quoq; testimoniũ, mereri videatur eorum virtus:
eo fine MAGNIFICVM DOMINVM RECTOREM, SPECTABI-
LES FACVLTATVM RELIQVARVM DECANOS, VIROS AD-
MODVM REVERENDOS, EXCELLENTISSIMOS, CONSVL-
TISSIMOS, EXPERIENTISSIMOS, CLARISSIMOS, PRAE-
STANTISSIMOS, GRADVVM ACADEMICORVM HONORI-
BVS, INSIGNES, ut XXIV. & sequentibus hujus Mensis
diebus, Horis â PRIMA POMERIDIANIS, Audi-
torium Philosophicum ingredi, & ex colloquio, cum DNN.

CANDIDATIS instituto, pro magnâ sua prudentiâ, judicium super iis ferre, haud gravatim dignentur, nomine AMPLISSIMAE FACVLTATIS, cum devinctissimâ officiorum oblatione, amicè rogo. Ita & vobis, & omnibus, non modo auspicium hoc, sed & successura omnia, SECVLARIS FESTIVITATIS, solennia, feliciter cedere, jubeat Seculorum conditor atq; conservator. P.P. XXI. Augusti. ANNO ACADEMIAE SECVLARI.

INVITATIO
AD
SOLENNEM PROMOTIONIS ACTVM.

FELICITER.

VELIS. HANC. QVOQVE. ACADEMIAE. SOLENNITATEM. EXPEDIRI.

DEVS. OPTIME. MAXIME.

QVA.

SERENISSIMO. AC. INVICTISSIMO. PRINCIPE. AC. DOMINO. DOMINO.

VLADISLAO. IV.

POLONIAE. AC. SVECIAE. REGE.

POTENTISSIMO. &c. &c. &c.

DOMINO. NOSTRO. CLEMENTISSIMO.

AV-

AVSPICIIS. ET. INCREDIBILI. PENE.
MVNIFICENTIA.
SERENISSIMI. AC. POTENTISSIMI.
PRINCIPIS. AC. DOMINI.
DOMINI.
FRIDERICI. WILHELMI.
MARCHIONIS. BRANDENBVRGEN
SIS. S. R. I. ARCHICAMERARII. ET. PRIN
CIPIS. ELECTORIS. BORVSSIAE. DVCIS.
&c. &c. &c.
DOMINI. ET. NVTRITII. NOSTRI. MVNIFI
CENTISSIMI.
RECTORE. ACADEMIAE. MA
GNIFICO.
SIGISMVNDO. WEIERO.
HISTORIARVM. PROFESSORE.
EXCELLENTISSIMO. BIBLIOTHECARIO.
ELECTORALI. OPTIME. MERITO. LYCEI. SENIORE.
VENERANDO.
SECVLARI. FESTIVITATE. DVRANTE.
REVERENDO. ET. LITERATISSI
MIS. PHILOSOPHIAE. CANDIDATIS.
QVORVM. NOMINA. SEQVENTI. ORDINE.

NON

NON. QVOD. ERVDITIONIS. V'R TVTISQVE. DISPARITAS. EOS. ITA. DISCREVERIT. SED. CVM. VTRAQVE. ADEO. IN OMNIBVS. FERE. APPARERET. VT. VIX. DISCERNI. POSSENT. SORS, ET. AMICA. INTER. IPSOS. CONVENTIO. ISTVM. CITRA. VLLIVS. PRAEIVDICIVM. CONSTITVERIT,

NVMERANTVR,

I. ANDREAS. OTTO. COLBERGA. POMERANVS. DIACONVS. ECCLESIAE. ROSGARTENSIS.

II. STEPHANVS. GORLOVIVS. EX. BARONATV. NEVHOFFIANO BORVSSVS.

III. MICHAEL. FALCKIVS. GEDANENSIS.

IV. BENEDICTVS. COPPETIVS. ANGERBVRGENSIS. BORVSSVS.

V. JOHANNES. BAZELIVS. ZANDERSDORFENSIS. BORVSSVS.

VI. JACOBVS. TEICHER. REGIOMONTANVS. BORVSSVS.

VII. JACOBVS. BOHLIVS. BARTENSTEINENSIS. BORVSSVS.

VIII. JOHANNES. COLBERGIVS. COLBERGA. POMERANVS.

IX. ALBERTVS. HINCKIVS. GVSTROVIENSIS. MEGAPOLITANVS.

X. JO-

X. JOHANNES. JACOBVS. ZANGIVS. OHR-DRVFIO. THVRINGIVS.

XI. JOHANNES. CHRISTOPHORVS. SEGE-RVS. ERFFVRTO. THVRINGIVS.

DECANVS. AMPLISSIMAE. FACVLTATIS. PHILOSOPHICAE.

M. VALENTINVS. THILO.

ELOQVENTIAE. PROFESSOR. PVBLICVS.

EX. CONSILIO. COLLEGII.

SVPREMOS. PHILOSOPHIAE. HONORES.

SVPERATORVM. LABORVM. PRAEMIA.

SVPERANDORVM. STIMVLOS.

SOLENNI. RITV. CONFERET.

SED. ET. VOS.

DOMINI. MAECENATES. FAVTO-RES. AMICI. AC. CIVES. ACADEMICI.

QVIBVS. BONAE. ARTES. ET. PHILOSOPHIAE. STVDIA.

NON. SVNT. FASTIDIO.

AVGENDAE. CELEBRITATIS.

ET. AVSPICATIORIS. SVCCESSVS. CON-FIRMANDI. ERGO,

DIE. VIII. SEPTEMBRIS.

HORA.

QVAM. CAMPANAE. IN. ECCLESIA. CATHEDRALI. SONVS. INDICABIT.
ADESTE. AC. LINGVIS. MENTIBVSQVE. FAVETE.

ET. PRO. EO. DEVINCTISSIMA. OFFICIA. EXPECTATE.

P. P. IV. SEPTEMBRIS.

ANNO. ACADEMIAE. SECVLARI.

DEVS OPTIME, MAXIME, DOMINE IMMORTALIS, RECTOR OMNIVM POTENTISSIME, INFINITE, IMMENSE, MISERATOR CLEMENTISSIME, AC MVLTVM MISERICORS, PATER INGENITE, FILI VNIGENITE, VTRIVSQVE AETERNE SPIRITVS.



SI uſpiam ea rerum mortalium appareret conditio, ut, pro immenſis ac numero infinitis beneficiis tuis, dignum gratitudinis, ac devotionis præconium præſtari poſſet: nunquam hæc Academia, in eaque, Artium atque Philoſophiæ Facultas, pro rara ac ſtupenda tua bonitate, quâ, intra Seculi integri decurſum, cum variis, ac innumeris colluctantem temporum, fortunarumq; difficultatibus, non modò feliciter ſuperare, ſed &, publicâ ſecularium ſolennitate, lætiſſimè, de crudeliſſimis hoſtibus triumphare, clementer voluiſti, quin continuo id dicaretur Tuæ Maje-

Majeſtati, fuiſſet intermiſſura. Nunc cum omnia, quæcunque genus noſtrum novit, imperfectione quodammodo ſint damnata; necquicquam, quod Tuæ ſublimitati reſpōdeat, ullibi occurrat: illud humilis & ſubjecta orat, ut, pro blandi Patris affectu, balbutiem confitentis, ac celebrantis linguæ ne deſpicias, ſed, abſolutiſſimo perfectionis tuæ penu, ſuppleas defectum. Illa namque, & innumera, bonitatis Tuæ, argumenta æſtimans, nec ſolidius aliud, ſubſecuturæ felicitatis, fundamentum credens: te, præſentis operis, principium conſtituit, indeque non modo hujus, ſed & ſuccedentis operæ, feliciſſimos ſucceſſus ſibi promittit. Tu modo benignâ mente, & pronâ aure, accipe, quem tibi meditamur, hymnum: &, qui æterno Angelorum carmine, Sanctus, Sanctus, Sanctus audis, mortali voce celebrari non indignare. Eſt ita,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBVRGICI, DOMINI AC NVTRITII NOSTRI MVNIFICENTISSIMI, MAGNIFICE DOMINE LEGATE:

MAGNIFICE DOMINE RECTOR:

NOBILISSIMI, PLVRIMVM REVERENDI, SPECTABILES, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, CLARISSIMI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, SPECTATISSIMI, HVMANISSIMI, DOMINI, FAVTORES, AMICI, HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI:

NOBILISSIMI ITEM DOMINI STVDIOSI:

Eſt ita omni & Paganæ ſuperſtitionis, & ſanctioris pietatis, lege receptum, ut non, niſi à divinis auſpiciis, rerum felicitatem ſperare liceat: quam diviniſſimam conſtitutionem ſectatus & ego, nunc, peractis ſacris, vobiſcum A. H. quorum Auguſtiſſimam præſentiam, ſubmiſsè ac officiosè veneror; agere conſtitui, ſed paucis, ne loquacior, quàm prudentior videar. Ac quandoquidem varia, de igne ſacro, ſolennitati huic publicæ fuere præmiſſa, haud ingratum fore rebar, ſi præparatas mentes, eodem argumento oblectarem: & breviſſimè, ſub imagine Veſtalium, ſacri ignis cuſtodum, magno cultu honoratarum; honores eos, quibus cœlitùs delapſi ignis, ſapientiæ, præfectos, Philoſophos, DIVVS FVNDATOR, cumqve Eo, VNIVERSAE POTENTISSIMAE DOMVS BRANDENBVRGENSIS, quiq; imprimis ejus, hoc tempore, culmen conſtituit (ô feliciter!) POTENTISSIMI FRIDERICI WILHELMI, clementiſſima munificentia coli voluit, explicarem. Jam hîc etiã Numæ, religioſiſſimã cogitate ſapientiam, cum, inter prima incunabula, adoleſcens imperium ſtabiliturus, immenſæ, quã ſuo tempore dominaturum eſſet, potentiæ, prima firmaturus fundamenta, ſacrum ignem, præſidem tantæ rei conſtituit. Qui ſive Palladium ipſum, è Criticorum nonnullorum conjecturis, Troja Romam, per varios caſus, per tot diſcrimina, ab Ænea allatum; ſive diverſa, ab hoc, rei ſacræ particula fuerit,

erit, non diſquiro; ſed religioſiſſimã ejus curam, ſatis antea propoſitam, mente repeti peto: cujus vel inde ſpecimen capite, quod, negligentiâ cuſtodum, extincti flammam, nullo, ne profanaretur, niſi ſolaribus radiis, certo iis uſibus deſtinato, quod σκαφεῖον dicebant, inſtrumento exceptis, excitare licuerit. Ita illi: nec aliter DIVVS ALBERTVS, qui fundamenta Reipublicæ literariæ, quam divino conſilio, Regio conſenſu, ſua munificentiâ inſtituerat, confirmaturus, divinum illum Philoſophiæ, quam rerum humanarum, divinarumque ſcientiam, diu jam dixerunt ſapientes, ignem (cujus ſive illuſtriſſimum videas ſplendorem, ſive puriſſimam ſimplicitatem, quid, niſi cœlum, cui ortum divina flammula debet, occurrit?) præſidem atq; cuſtodem ei conceſſit. Ita quippe, rerum omnium, perſtare felicitas videbatur; prout ſapientiori conſilio geruntur. Et ſi Veſtalium curæ commiſſus fuit, alter ille, Romæ cuſtos, ignis: huic diviniori, quem dicimus, ſi qui præfecti ſint, quæris, en Tibi Ampliſſimam, quæ aſſidet, Facultatem Philoſophicam, cujus ſolertiſſimam in colendo hoc igne, curam non explico, ne alienæ laudis indigus, propriæ tumidus videar ebuccinator. Fortè &, inter Auguſtiſſimum hoc Auditorium, non deerunt, quorum teſtimonio eò certiùs, res omnis confirmetur, quò ſalubriùs ejus fructum & perceperunt olim, & experiuntur adhuc. Sed & illud haud usque adeo diſſimile videtur, quod Numa quidem,

ipſi Vniverſo Veſtalium Collegio, certam quandam, quæ Maxima dicebatur, præeſſe voluerit; DIVVS FVNDATOR, quò res Facultatis dexteriùs & feliciùs gererentur, Decanum conſtituit: cujus inprimis id munus eſſe voluit, providere, ne ullo quoquam modo aut temeretur, aut exſtinguatur omnino divinus ignis. Et ita conſtat, non conſtantiorem, ſingulorum collegiorum, eſſe incolumitatem, quàm ſi, corporis humani inſtar, concinnus ille membrorum ordo blandè conſpiret, &, quod ſuum eſt, quilibet agat: ſimul ac turbetur iſte, & vel capiti imperare conentur pedes; vel in diverſum acta alia membra, deſtituant mutuas operas, interitum adeſſe ac ruinam. Nunc, credo, labores, quibus utriusq; partis curæ abſolvebantur, convenientiſſimè ſubjungerem: ſed & conſtant ex præmiſſis, nec ſcopum jam quidem propoſitum tangunt. Ergò commodiùs fomentum illud, quo, ne deficeret induſtria, animati ſunt cuſtodes, percipietis. Neſcio, quid arcani bonis mentibus inſpiret, honorum dignitas: Adeò verum illud apparet ubique, gloriâ induſtriam ali, ubi eam demſeris, ipſam, per ſe, virtutem amaram atq; aſperam eſſe. Cujus quidem rei, quid, in hac temporis anguſtiâ, rationes prolixiùs afferam? maximè cum, laborem hunc meum, ſublevare poſſit veſtra prudentia, quâ ſi & hominum, & brutorum luſtretis indolem, plerumque validiſſimum ſolertiæ incentivum eſſe, honorem cernetis. Non ex his equum, pavo-

pavonem, &alia fortè, eodem incitari dicam: ex i-
stis militem saltem, ttiumphi victoriæque honore,
concitatum, sangvinis prodigum; &, ut ad cogna-
tiora pergamus, Musas ipsas, Eupheme nutrice edu-
catas, scimus. Id qui ignoraret Numæ sapientia? Et
quid proinde mirum, si, quam rem, periculi & labo-
rum magnitudine absterritus, nemo curasset; ejus
solertissimum cultum, blandis honorum illecebris,
commendatissimum omnibus, ac facilem reddide-
rit? Neque verò imprudentior D. ALBERTI mens,
quâ multùm ante, plenam molestiis provinciam,
Philosophiæ puritatem, inter tot lascivientium inge-
niorum temeritatem, conservandi; & hinc invi-
diæ, hinc calumniis, hinc contẽtui altioris supercilii,
tam divinam rem fore obnoxiam, prævidens, fir-
mandorum animorum causa, peculiarium hono-
rum concessione, rem omnem superatum iri puta-
vit. Non equidem omnia istarum privilegia recen-
seo, quod nitidissimus Belgii ocellus, peculiari de
Vestalibus libro, satis omnibus obvio, cuncta sit
complexus. Illud ergò potiùs affero, quod nos,
DIVI FVNDATORIS beneficio tenemus: So-
lennes illas honorum, quibus Facultatem Philoso-
phicam illustrare voluit, collationes putate. Et fuit
hæc nostra felicitas, ut quarto, à fundatione almæ hu-
jus Musarum sedis, anno nondũ elapso, M D XLVIII.
Nonis Aprilis, prima solennitate Philosophica, Bac-
calaurei; decimo vero exacto, M D LIV. mense

Decembri, Magiſtri hic creati prodierint. Eſſet hic locus, ſi per modeſtiam liceret, multa de honoribus Philoſophici dicendi, prærogativas eorundem, è locorum quorundam conſvetudine, explicandi, & potiſſimum vindicandi ea omnia, adverſus quorundam cenſuras: ſed nolo mordax eſſe, quin potius id ago, ut non contentionum & diſſidiorum ſuſpicionem, ſed oblectationem Auguſtiſſimi Auditorii, ſi per meam tenuitatem fieri queat, excitem. Ergò clementiſſimam tantum, MAGNI ALBERTI, in hæc ſtudia, propenſionem ulterius inde æſtimate, quod parum ducens, communi, aliis florentiſſimis Academiis, ritu, Magiſterii conferendi poteſtatem, Collegio huic conceſſiſſe: NOBILITATIS addiderit ſplendorem. Ridetis, credo, nobilitatem ab iis produci, quibus nec ſeritur, nec metitur ager; quibus nec colonus paret; quibuſcum nil, niſi bonarum mentium comes, res anguſta domi, verſatur. Ita quidem videtur miſer Ariſtoteles pedes, multum abeſſe ab equeſtri dignitate: ſed tamen vindicabit nos DIVVS FVNDATOR, &, cujus Auguſtiſſima mente, tam ſancta confirmata voluntas eſt, D. SIGISMVNDVS. Et vos ipſos, A.H. eâ prudentia ſcio, ut non fortunarum cenſu, æſtimandam nobilitatem ſtatuatis; & ſumme, nobilitatis eminentiſſimum ſplendorem, â virtute illuſtrari. Non ſanguinis generoſitatem, (quam uti meritò veneramur, &, vel ipſo divino arbitrio conſtituente, debitam præeminen-

minentiam ejus colimus omnes; ita nihil hoc loco literaria nobilitas, quod lædere ejus queat dignitatem, proferre conatur) allegare valemus: ſed liceat generosâ mente, & virtutum illuſtritati conſecratâ, decus noſtrum aſſerere. Non fumoſarum imaginum ſeriem, recenſere poſſumus: aſt liceat ſaltem, eorum nos progeniem jactare, quos Heroas ſapientia, pro ſacris ſuis, multis ab hinc ſeculis, ſtrenuè pugnantes vidit. Quæ tamen & ipſa dum dicimus, non arrogantiæ, aut vanæ oſtentationis, quæ una turpiſſima, nobilitatis hujus noſtræ, macula eſt, vitio laborare nos, quæſo, putetis: ſed eo fine allata ſtatuite, ut clarius, & Romam Veſtalium, & DIVVM FVNDATOREM, noſtrũ honorẽ, quam illuſtriſſimum voluiſſe, conſtet. Poſſem ejus rei ſexcenta afferre teſtimonia, ſimulque id confirmare, quam nobiliſſimis functionibus, Veſtalis honor illuſtratus fuerit: niſi promiſſi memor, & vobis A.H., & tempori parcere, ſatiùs ducerem. Vnicum tamen, haud invitis vobis, enarrare liceat, quod Teſtamentorum curam, Veſtalium collegio commiſerit Roma: hinc & Auguſti, & aliorum, è Romanis, Nobiliſſimorum Virorum teſtamenta, ab iis cuſtodita reperimus. Aſt quàm ſacra hæc res, qua ſupremæ hominum voluntates, morte confirmatæ, adeoque inviolabiles & ſanctiſſimæ, proponuntur! Verum annon eadem Facultatis Philoſophicæ dignitas, cujus fidei commiſſa, quæcunq; placita, & voluntates ſapientum uſpiam occurrunt, aſſer-

asservantur. Quod si verò, eo fine, Vestalium curæ testamenta credebantur, ut,ne corrumperentur, aut temerarentur, malitia aliorum, providerent: id agit nostrum Collegium, ut purissimi sapientiæ rivuli passim propagentur, neve liceat cujusvis temeritati, adulterare castissimas sapientum mentes. Et jam decernite, an parva dignitas videatur, omnibus illis imperare divitiis, quæ,tot mille sapientissimorum Virorum,hereditate possidentur? Ita sanè constat, opulentissimos sæpè thesauros, testamentorum constitutione legari heredibus: sed quorum omnium vanitas, sapientiæ collata, in vulgus quoq; est nota. Hîc verò æternæ illæ divitiæ, quæ uti cœlitùs conceduntur, ita, pro cœlestium etiam indole, corruptionis omnis securæ perstant. Ast eo,quisquis peculio gaudere cupit,Philosophicum adeat,necesse est,Collegium, ab eoq;, quantum sufficit, capiat. Non eo carere queunt,Venerandi divinarum rerum antistites;non Consultissimi justitiæ sacerdotes; non Excellentissimi Æsculapii filii: sed singuli, ex hisce primum tabulis, de divino sapientiæ penu, sibi provident. Multa iterum videtis A.H. dicenda occurrere, ast pauca, per tempus, dicenda esse. Ergò, omnibus posthabitis, illud saltem scite, & Vestalium,longissimo tempore, intaminatum effulsisse,nec infelicius, honoris Philosophici, exstitisse incrementum. Quanquam & hoc facilè, vestra sponte, conjiciatis, dum eam virtutis divinitatem non ignoratis, ut,

ut, quicquid eidem ſuperſtruxeris, perenni conſtantia ſuſtineatur. Et ita ſanè expertam, Facultatem noſtram Philoſophicam, Acta ipſius teſtantur: quorum ſi recenſere capita ſaltem liceret, vos omnes teſtes mei dicti haberem. Ex quo namq;, primos honores ab eadem collatos, cognoviſtis, quoties ejus rei ritus repetitos legimus? Non equidem Wittebergenſis, hac in re, attingit illuſtritatem, quæ, intra ſeculi unius decurſum, ultra quater mille, Philoſophiæ honoribus ornatos, produxit: ſed tamen, ſi prout exercitus, non numero, ſed virtute æſtimandus; ita hîc honoris Philoſophici participes cenſeas, neque hîc, ſuo modo, defeciſſe viſus fuit, Philoſophici Collegii ſplendor. Ducentos namque (ita geminatum, annorum numerum, fato putes,) hoc elapſo ſeculo, in palæſtra hâc meritos, honorum horum præmia obtinuiſſe, vidit? quos utinam enarrare licitum eſſet, facilè, quo flore viguiſſet Collegium noſtrum, decerneretis. Quis enim priſca illa, Philoſophorum Boruſſorum, nomina audiens, non ſummam eam, ſimul intelligat felicitatem, quâ Boruſſia omnis eſt gaviſa, ex quo, hoc tam cœleſte depoſitum, coli intra ſuos fines vidit? Conſtitueram ſanè, ut fatear, A. H. omnem hanc meam orationem, non alio occupare argumento, quàm veneratione tam Magnorum Nominum; ſed neſcio, quâ factum ratione, ut nefas videretur, intra tam anguſti temporis cancellos, tot Spectatiſſimos Philoſophos cogere, &,

ipſa neceſſitate imperante, plurima omittendo, laudes eorundem imminuere. Illud certum eſt, ſi non infimus Parentum honor eſt, eam educare ſobolem, cujus virtute & privatæ ſingulorum, & univerſitatis publicæ, res adjuventur: eandē quoq; concipite, dū Collegium noſtrum auditis. Eos hoc, in ſinu ſuo, eductos, ſuo tempore, honoribus ſuis ornavit, quorum ſumma virtus & ſingularis eruditio, poſtea ita illius auxit ſplendorem, ut dubitare verè poſſes, matriſne, an ſobolis feliciter enatæ, major eſſet gloria? Recenſendi hîc & Spectabiles Facultatis Decani, quorum pot, eſtate Clariſſimis Viris honor hic fuit conceſſus: & Eximii illi Candidati, quorum virtus non hoſce honores, ſed faſcium quoque Academicorum uſum, attingere promerita fuit. Imò ferè nullus Doctorum ordo exiſtit, cujus aliqua pars, non debuerit huic noſtro primos honores: ſed uti dixi, nolo verborum copia, fidei jacturam pati. Et ſatis de honoribus noſtris, ſub honorum collationem, dixiſſe videor: quibus & hoc ipſo die, quantum illuſtriſſimi ſplendoris acceſſerit, quis explicet? SERENISSIMI tantum NVTRITII munificentiam, qua, præter, communia omni Academiæ, ſolennia ſacra, ſolennitatem hanc noſtram illuſtravit, ſi dignè venerarer: ſuccumberet omnis dicendi vis. Et tamen omnium ferè ordinum, quibus alma hæc continetur patria, propenſiſſimus affectus, ſuum quoq; præconem requireret. Hinc inſolitus ille civici ordinis

dinis favor, quem, intra temporum hanc, undiq; ingravescentium, difficultatem, clarissimè, augendo nostro huic honori, est testatus, quibus verbis exprimendus? Ita undique dicendorum copia obrutus, tempore destitutus, Augustissimam vestram A. H. præsentiam reveritus, quid agam? Illud optimum videtur, ut, cum quicquid honori nostro, hoc quoque die, tam feliciter contigit, dignè enarrari nequeat; nec præterea turpius, quàm, in honorum propriorum recensione, modus excedatur: omnia, quæ dicenda restant, supprimam, ac sacri silentii honoribus involutum, ipse mecum tacitus venerer, atque colam.

Intercedentem

DNN. CANDIDATORVM COMMENDATIONEM,

excipit

RESPONSIO.

VIR EXCELLENTISSIME, COLLEGA FAVTOR AC AMICE HONORATISSIME.

Cum summum, atque unicum ferè, omnis justitiæ munus sit, providere, ut suum cuiq; tribuatur: tùm nunquam gravius violatur idipsum, quam si aut, quod jure merito promeretur virtus, non capessit decus; aut, quæ, multùm infra omnem præ-

miorum abjecta ſunt honorem, iisdem ornantur vitia. Ita namq; habere ſe res videtur: ejuſdem iniquitatis eſſe, ſi alteri ſuum neges; alteri verò, quod ſuum non eſt, concedas. Atq; hæc una cogitatio, validiſſime quidem omnium impellebat animum, quò tam cœleſtis virtutis habitâ ratione, quod diu virtute atq; Eruditione meriti videbantur, REVERENDI atq; EXIMII DNN. CANDIDATI, ſupremorum in Philoſophia honorum obtinerent decus. Nunc verò cum exquiſitiſſima illa, atq; omnibus elegantiarum numeris abſolutiſſima, E. V. accedat commendatio, ac interceſſio; alieniſſimus & ab omni humanitate, & æquitatis ſtudio meritò cenſerer, ſi aut tam amiciſſimis, aut æquiſſimis non minus, precibus refragarer. Sed, quam longè alia mihi mens ſit, res ipſa docebit: modò ipſi Dnn. CANDIDATI, moram rumpentes, quod ſuum eſt, egerint. Fiet autem illud, ſi in certa capita, quæ ſolenni juramenti, jam à miniſtro publico prælegendi, continentur formulâ, jurantes, fidem ſuam Collegio noſtro Ampliſſimo obſtrinxerint. Neq; id mirum ipſis videbitur, cum probe ſciant, tàm neceſſarium militi Romano, (quidni enim rurſus, ad eas amœnitates, divertamur?) juramentum fuiſſe, ut nec eſſe abſq; eodē, nec ferire hoſtē potuerit. Et cum multa alia Romanæ, literariæq; militiæ gemina ſint atq; communia, non alienum erit, & hanc juris juran-

randi, inde translatam, ſolennitatem, Muſarum caſtris applicare.

JVRAMENTVM.

Nunc itaque quod ſibi gratum, hominum rebus utile, vobis proſperum ac felix, D. O. M. faxit, Ego M. VALENTINVS THILO, Oratoriæ P. P. AMPLISSIMAE FACVLTATIS NVNC DECANVS, pro ea autoritate, qua uti, frui me, hoc tempore, voluit conſpirans dictæ Facultatis voluntas, vos REVERENDA DIGNITATE, ERVDITIONE item & VIRTVTE EXIMIE ORNATOS DNN. CANDIDATOS,

TE ANDREAM OTTONEM, COLBERGA POMERANVM, ECCLESIAE ROSGARDENSIS DIACONVM;

TE STEPHANVM GORLOVIVM, EX BARONATV NEVHOFFIANO BORVSSVM.

TE MICHAELEM FALCKIVM, GEDANENSEM.

TE BENEDICTVM COPPETIVM, ANGERBVRGENSEM BORVSSVM.

TE JOHANNEM BAZELIVM, ZANDERSDORFFENSEM BORVSSVM.

TE JACOBVM TEICHERVM, REGIOMONTANVM BORVSSVM.

TE JACOBVM BOHLIVM, BARTENSTEINENSEM BORVSSVM.

TE JOHANNEM, COLBERGIVM COLBERGA-POMERANVM.

TE ALBERTVM HINCKIVM, GVSTROVIENSEM MEGAPOLITANVM.

TE JOHANNEM JACOBVM ZANGIVM, OHRDRVFIO-THVRINGVM.

TE JOHANNEM CHRISTOPHORVM SEGERS, ERFFVRTO THVRINGVM.

Vos, inquam, omnes & ſingulos, initio quidem Liberalium artium, & Literarum BACCALAVREOS, deinceps verò PHILOSOPHIAE MAGISTROS, ac, quem dignitatis gradum, ſpecialis D. SIGISMVNDI clementia, huic, inter nos, ordini addidit, NOBILES ſimul creo, pronuncio, atq; confirmo, talesq;, ut ab omnib9 ubiq; habeamini, ſolenniter hiſce intimo, in nomine DEI PATRIS, FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

Ne vero vanis, absq; re, Titulis donatos vos eſſe, quis judicet, en jura quoq;, atq; privilegia, quæ NOBILISSIMO ORDINI VESTRO, ſumma mundi capita tribuerunt, conſtans vero ſapientum conſenſus confirmavit, capeſſite: ſed iis etiam, quibus voluit, priſcorum inſtitutum, ritibus capeſſite.

Primũ ergo, ut honoratiori vos locatos ordine ſciatis, relictâ CATHEDRA inferiori, SVPERIOREM hanc conſcendite. Ita Hiſtoriâ Romana edocti ſcimus

mus: milites, qui rem fortiter adversus hostes gesserant, confecto feliciter bello, in loco edito, collocatos ab Imperatoribus, ut virtute illustria capita, omnis exercitus intueretur. Et vobis, HONORATISSIMI HOSPITES, propono inspiciendam, DOCTISSIMORVM HORVM VIRORVM atq; JVVENVM, virtutem: quâ cum feliciter, quicquid hostium bonis mentibus adversari solet, subegerunt, merito excelsiori locata sede, omnibus exemplo ut sit, celebratur. Sed &, qui Exercitum, atq; publicam omnium rem, gubernaturus erat, Imperatorem in altum extollere, atq; spectandum, inferiori loco stantibus populis, exhibere Roma solebat: Ne vos nominis Majestas terreat, DOCTISSIMI DNN. MAGISTRI; scitis, pro vario ejus usu, varios Imperatores fuisse, communiter omnibus, qvi supremi singularũ rerum præfecti erant, competenti appellatione. Hinc literis, moribusqve aliorum gubernandis, dum præeritis, quâ ratione, qvod suum est, agant singuli, imperabitis. Imprimis in togatam illam, quæ Musarũ castris familiaris est, animabitis militiam: qvò alacriter hostium monstra, quæ animos juvenum invadere, post occupare etiam solent interdum, profligentes, strenuos se milites gerant, & læti quoqve, ac felices vobiscum evadant triumphatores. Hoc a.ut, feliciori cum successu, à vobis fiat, en, è loco hoc sublimiori, spectandos vos omnibus

ex

exhibeo, ut, qua autoritate imperium hoc ſuſceperitis, certius omnibus conſtet.

Cæterùm cum omnis militiæ ratio, certis legibus atqve articulis, quos tabulis publicis ſignatos, omnibꝰ legendos proponebat Roma, continebatur: non alio fine, LIBROS hoſce apertos, vobis occurrere ſtatuite, quàm ut ad ea, quæ iiſdem comprehenſa didiciſtis, Sapientum monita, placita, inſtituta, omne id exigatis, qvod tirones veſtros, in tractando hoc bello, eſtis endituri monituri. Turpe eſt militi, ignoraſſe, quibus obſtrictam fidem habet, belli articulos; delinquere vero contra iſtos, capitale eidem. Ita ſentite: & periculoſum eſt, communi ſapientum voci contradicere; & probroſum, quæ iſta ſit, neſcire. Id verò, ne de vobis unquam dici poſſit, claudo iterũ libros, ut moneamini, qvocunqve loco ſitis futuri, ſive comitati libris, ſive deſtituti, memoria ſemper vobis tenenda ea, quæ, militiæ hujus literariæ promovendæ, media præſcripſerunt ſapientes. Nam veluti labentis memoriæ ſubſidia; ita ſæpe, per abuſum, pigritiæ palliamenta fiunt libri.

Atqve hoc quidem muneris, probè curandum vobis erit! pro eo, ſi, quid exſpectandum vobis ſit præmii, quæritis, en vobis ampliſſimum honorum deſtinatum decus. Nam initio ſub PILEVM hunc vos vocans, illud in memoriam vobis revoco, certiſſimum, ſpectatiſſimæ virtutis, apud Romanos pi-

leum

leum fuiſſe. Sed cui hic non dictus Hylas? Hinc ſaltem id addo: eſſe ita virtutem omnem, ut, ſordido popello, lucellorũ relinquẽs opimitates, pro ut ille loquitur, ſemetipsâ contenta, ſibi ſit pulcherrima merces. Et bene: ita namq; & ſplendidiſſima, & honorata, & dives, & ſecura, omnis non modo invidiæ, ſed fortunæ quoq;.

Non importune Mercurii Galerus, quo ipſe tutus ſemper, atq; tectus, adverſus invidiæ malignitatẽ, ſcribitur, occurrit. Præſtabit id vobis veſter hic honor, qui dum ſervilibus vulgi mancipiis ſecretos, publica dignitate ornatis viris, vos ſociat; indolem quoq; horum vobis concedet: quâ longe infra vos æſtimaturi, quicquid levicula Antii, juxta vatem, Diva, in vos moliatur, virtutis ſublimitatem, ac, quod hac naſcitur, veræ gloriæ decus ubiq; ſectabimini.

Et additur, ne quid ſplendoris deſit, ANNVLVS inſuper aureus, cujus uſu, pariter animo ſiſtetur veſtro, vetus Roma, quæ & hoc inſigni, Equeſtrem ordinem, â reliquâ plebe, ſemovebat. Digna eo honore, veſtra quoq; virtus, fuit judicata: vos ut dignam eodem præſtetis ſemper, provide curabitis. Infelix Romanorũ, ad Cannas, virtus, annulorum quoqve amiſſorum mole arguebatur. Vos ne idem experiamini, illuſtriſſimo, ſolidiſſimi metalli, ſplendore admoniti, agite. Sit conſtans, atqve ſolidum, virtutis veſtræ decus, quod omni impugnaturo vos caſui, magno animo opponite. Et, ſi ea gemmæ prædica-

tur durities, quæ impetu nullo, vi nulla, frangi queat, ita obfirmate animum, ut nihil in ipſum fortunæ queat temeritas. Aeternum ac ſine termino, quod annuli orbis vos docuerit, in vobis virtutis maneat ſtudium: ut, quâ matre partus hic vobis honor eſt, eadem nutrice augeatur idem, atqve creſcat.

Id ſi probe curaveritis, certiſſime omnium promittite vobis, fore, ut, quemadmodum lucidiſſima FACVM flammâ, ad publicum hoc honoris ſacrarium, eſtis deducti, ita copioſiſſimus honorum ſplendor, undiqve vobis affulgeat: &, quem hoc die, veſtro jure meritiſſimo, noviter ſuſcepiſtis, nova ſubinde aliorum acceſſione cumuletur. Quod ut fiat, Deum ſerio adhuc precor, velit is, quicquid hîc actum eſt, ita immensâ ſuâ gratiâ perficere, quo, qui & ſummus, & ultimus operum omnium ſcopus eſt, eo ipſo quoq; obtineatur, DEI HONOR, atqve rerum publicarum incrementum.

Ite ergo nunc jam, ut claudam, pleni bonâ ſpe, ac, unde huc acceſſiſtis, priſtinum locum, inferioris Cathedræ, occupate: ſed ita occupate, ne, mutarum omninò perſonarum, videamini geſſiſſe vices. Eo itaqve fine

Tu quidem DN. M. OTTO jucunda aliqua non minus, quam eruditâ, quæſtione, AVGVSTISSIMVM AVDITORIVM recreabis.

Tu

Tu vero, M. GORLOVI, solennni Gratiarum Actione, omnem claudes solennitatem.



ORATIO VI.

MEMORIA STOBAEANA,

SIVE

JOHANNIS STOBAEI,

GRUDENTINI BORUSSI,

SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI,

IN BORUSSIA

CAPELLAE MAGISTRI CELEBERRIMI,

MUSICI EXCELLENTISSIMI

LAUDATIO

PUBLICA PARENTATIONE

PROPOSITA

INVITATIO AVDITORVM.

JOHANNI. STOBAEO.

MVSICO. INCOMPARABILI.

VIRO. OPTIMO.

QVEM. BORVSSIA.

GRVDENTI.

PRODVXIT. EDVCAVIT.

REGIOMONTI.

ADOLESCENTEM. ARTIBVS. EXCOLVIT. FORMAVIT.
JVVENEM. MVSICA. SCIENTIA. CONSVMMATVM. LAVDAVIT.
VIRVM. IN. SCHOLA. TEMPLO. AVLA. FELICITER. VSVRPAVIT.
SENEM. PVBLICE. PRIVATIMQVE. HONORAVIT.
DEFVNCTVM. INTER. DESIDERIA. ET. LVCTVM. TVMVLAVIT.

PVBLICA. PARENTATIONE.

NOVISSIMA. JVSTA. FACIAM.

VOS. ERGO.

QVIBVS.

DIVINA. MVSICAE. DIGNITAS.

ET

QVI. HANC. DIVINIS. OMNINO.

NVMERIS. MODISQVE.

ORNAVIT.

MAGNI. VIRI. NOMEN.

DVM. VIVERET.

AMO-

AMORI. CVRAEQVE. FVIT.

VT

DEFVNCTI. MANES.

HONORATVRI.

XXI. SEPTEMBRIS.

QVAM. OCTAVAM. FVNERATIONIS.

CELEBRABIMVS.

HORA II. POMERIDIANA.

IN. AVDITORIO. MAIORI.

CONVENIRE.

ET. ALIQVANTILLVM. TEMPORIS.

MEMORIAE. STOBAEANAE.

IMPENDERE.

NE. DEDIGNEMINI.

OBSERVANTER. ET. OFFICIOSE.

QVI

QVACVNQVE. FIERI. POTEST.

ADDICTISSIMVS. VOBIS. VIVO.

ROGO.

VALENT. THILO.

P. P.

MAGNIFICE DOMINE

PRORECTOR:

VIRI ADMODVM REVERENDI,

SPECTABILES, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, CLARISSIMI, AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, SPECTATISSIMI, HVMANISSIMI, HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, NOBILISSIMI, PRAESTANTISSIMI DOMINI STVDIOSI;



Obis, quicunqve, ut noviſſimum honorem, magno Boruſſiæ ornamento, Muſarum delicio, Summo artis Muſicæ Præſidi, JOHANNI STOBAEO GRVDENTINO BORVSSO, exhiberetis, huc conveniſtis; atq; ita, quo, præter reliquas cœlo oriundas artes, in divinam inprimis MVSICAM, exiſteretis affectu, indicare voluiſtis: & ago meritas grates, &, ſi qua fieri poterit, rependere ubiqve ſtudebo. Equidem prout ſanctiſſimus, quo venerandum Senem colui ſemper, amor, nefas omnino ſtatuebat, tam magni nominis memoriam, unà cum eo, quod imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludicrum, mutationis imago eſt, fragili, caduco, atqve omnium indigo, corpore, crypta tegi atqve obrui: ita multùm hæc mihi mens, veſtrâ benevolentiâ, confirmatur; quam dum, prompta frequentiâ, tâm clarè teſtamini, quid agitis aliud, quàm

ut

ut modis omnibus asserendum, ab interitu & oblivione, STOBAEANVM nomen, altâ voce, etiam dum tacetis, mihi imperetis? Erit ea vestra impostérum laus, quòd & pietate, sanctissimos optimi Viri manes, & veneratione, optimas artes prosequi sciveritis: nec minori vivos, quàm defunctos, harum cultores, constantia honorare soleatis. Quæ dum cogito, non multum mihi, de audientia vestrâ impetrandâ, laborandum video, sed statim rem ipsam aggrediens, breviter, quod feliciter fieri DEVS velit, laudes STOBAEANAS, prout eas ejus ipsius, quam tantopere juvenis amavit, in quâ tam excellentissimè Vir claruit, artis inventa, mihi suppeditabunt, explicabo.

MVSICAM à me dici, facilè intelligitis: nam & rectissima videbatur via, si Excellentissimi MVSICI decurrens laudes, MVSICA sectarer vestigia; nec adeo exilis, MVSICAE putanda conditio, ut non uberrimã, amplissimarum laudum, producat messem. Alexandrum illum, quem, quod solus, sine æmulo, clarus viveret, Magnum communis fama appellabat, Aristonico Musico, ut ærea statua, cytharam, & hastam projectam, exhibens, fieret, & Pythiis collocaretur, jussisse, Plutarchus autor est: quod putaret, MVSICAM rectè educatos, divino quodam impetu, implere atqve instinctu. Et poterat eò certius ita arbitrari, maximus Monarcharum, quo fortiùs, admirandam eam MVSICAE vim, ipse
erat

erat expertus, cum Antigenida MODVM, qui, prisci seculi Musicis, ἉΡΜΆΤΕΙΟΣ dicebatur, nobis forte sive DORIVS bellicosus, sive LYDIVS minax esset, canente, ita inflammaretur, ut, facto impetu, arma, haud ita procul jacentia, corriperet; publica voce, ad corripiendum ferrum, cytharâ se incitatum, profiteretur. Et captus ille tanto, colendæ nobilissimæ artis, studio, cujus semel motum senserat: nos verò, qui toties, STOBAEANAE MVSICAE, virtutem sumus experti, quo, Clarissimum ejusdem Autorem, veneremur cultu, dubitemus? Sanè vos ipsos, arbitros hujus rei constituo. Liberè edicite, annon, quoties vel communé, universæ provinciæ, statum, vel privatas singulorum fortunas, sortis variârit vicissitudo, toties MVSA STOBAEANA, tam vehementissimo, omnia ea, auxerit affectu, ut, moveri se, fassi fuerint omnes? Publico gaudio perfundebatur provincia, & quæcunq; rerum felicitatem vel concedere, vel stabilire valent, ea lætùm usurpabat: augebant eam lætitiam STOBAEANA JVBILA, numerisq;, ad concitandos, in effusissimum plausum, animos, aptissimis promovebant. Turbabatur istud publico luctu, ac communi generis nostri clade opprimebatur; aderat STOBAEI NAENIA, ac lugubri ululatu planctus, atq; ejulatus querulantium juvabat. Impetranda erat, publicâ supplicatione, à Deo, malorum sublevatio; interpres commmunis desiderii, erat STOBAEANA pietas, & humili

LI-

LITANIA, oppreſſorum mentes, cœlo exponebat. Affulſerat ſalutaris, æterni Soſpitatoris, clementia, ac modũ, pro ſua bonitate, malis ſtatuerat: hic verò divinis STOBAEANAE gratitudinis HYMNIS, lituos etiã & tubas, cytharas ac organa, animari, nomine publico, audiviſſes. Privatorum verò quis thalamus, quod funus, quæ alia rerum feliciter geſtarum conditio, absqve STOBAEANA MVSA fuit? Parietes hoſce, vel potius, qui iisdem continemini hac vice, appello, ut, quoties Panegyricas hujus ædis ſolennitates, divina STOBAEI MVSA animarit, fateamini. Noſtis, quàm ſæpè ad eam properatum ſit, ac, ut illuſtrare Academicos actus dignaretur, rogatum. Et peregit iſta omnia, non promptiſſimè ſolum, ſed & tanto cum decore, ut iniquiſſimi nos quidem ſimus, niſi ſtudioſiſſimè gratam, tantæ artis, memoriam conſervemus; ipſi verò omne laudis punctũ conſtituat, tam divina arte, tam feliciter polluiſſe. Videri equidẽ imperitioribus poſſit, parũ laudis optimis iis mentibus adeſſe, qui vel exercent, vel colunt, divinam MVSICAE artem; aſt revera imperitiores, qui eâ mente vivunt, dixi. Quid namque dicere vobis videor, MVSICVM dum dico? Annon eum Virum, qui ea arte occupatur, quæ una & diviniſſima, & antiquiſſima, & utiliſſima eſt. Non repetam, quæ pro divinitate ejusdem nuper attulimus, modò ea his addere liceat, quæ Plutarchus, compendium illud eruditionis, Prudentiæ theſau-

rus, antiquitatum, utriusq; gentis, quidam Delius Apollo, prout Illustri Bataviæ Oratori dicitur, super hac re notans: *Prisci*, inquit, *Theologi, Philosophorum vetustissimi, MVSICA INSTRVMENTA in manus Deorum imaginibus posuerunt: non sanè, quod eos lyra aut cythara ludere putarent; sed, quod nullum DEO opus convenientius esse judicarent, quàm consonantiam & harmoniam.* Antiquitatem verò si scruteris, annon cœlum ipsum svavi modulatione, juxta Samium Philosophum, est occupatum? cujus si elegantia aures nostras fugiat; vel admiremur ejus excellentiam, vel imbecillitatem nostram arguamus. Ita cum cœlo, mundoq; ipso, nata cœlestis ars, innumera sui, in omni creatorum serie, vestigia ostendit. Quis enim dulce illud aquæ murmur, ac blandos susurros; quis jucundos ventorum sibilos, ac lenes strepitus; quis gratissimos tot avicularum garritus, absq; expressa MVSICAE imagine usquam audiat? Et in his, quas ultimo diximus loco, tam varios sonorum flexus, quis aliâ mente percipiat? sive, cum Madaurensi Philosopho loquor, galli is sit expergificus, bubonis gemulus, ululæ querulus, noctuæ intortus, cicadæ obstreperus, hirundinis perargutus: ne præter infinita alia, naturæ illud miraculum, cujus mille voces, ne sagacissimus quidem naturæ scrutator Plinius, mirari satis potest, Philomelam dicam. Et quamvis, ex hisce abundè satis, divina divinæ artis dignitas patescat, longè clarior tamen existet eadem,

si eam

ſi eam ejus excellentiam luſtremus,quâ ita,per omnes & Philoſophicas, &,quæ hiſce ſuperiores vulgò cenſentur, reliquas facultates verſatur, ut ex omnibus nulla omnino exiſtat, cujus hæc vel imaginem non exhibeat, vel particulam occupet. Theologiam ſi conſideres, in vulgus notum eſt, non modo, quem hæc unicè format atq; urget, verum Dei, his in terris, cultum, MVSICIS NVMERIS, diviniſq; cantibus, maximam partem contineri; ſed, quæ omnis felicitatis ſumma eſt, cœleſtium beatitudinem, à divino etiam Spiritu, MVSICIS CONCENTIBVS, quaſi ſublimior nulla tanti arcani imago eſſet, exprimi. Jurisprudentiæ verò, qui nihil, à MVSICA, accedere commodi putat, Cretenſes eum adire velim: qui optimam legum Harmoniam eſſe, pueros ſuos docturi, eos, ut leges NVMERIS MVSICIS conditas ediſcerent, jubebant. Medicorum porrò Scholas ultro faſſuras credo, non infelicius HARMONIARVM dulcedine, animorum ægritudines; quàm, pretioſiſſimis Alexipharmacis, corporum tolli langvores: quod ſi negent, Saulum, & plurimos alios, quorum remotas mentes, MVSICIS NVMERIS reſtitutas, vel ipſo Aſclepiade, quem ſæpè phreneticorum mentes, morbo turbatas, per SYMPHONIAM ſuæ naturæ reddidiſſe, Cenſorinus refert, teſte accepimus, adducam: ut conſtet, tantò, aliis remediis, MVSICAE nobiliorem vim eſſe, quanto animi affectus, corporis morbis, difficiliores curatu cenſentur. Ne

ea, hoc loco, prolixius recité, quæ, cum miraculo, de Tarantiſmo affectis hominibus, notata reperio. Horum enim mala, ut plurimum mitigari, & tolli etiam omninò, ſvavi atq; convenienti (nam peculiares, cum non omnes idem præſtent, depellendo huic veneno, modulos, adhiberi ſolitos tradunt) HARMONIA compertum eſt: ita plurimùm augeri eadem, diſſonanti, aut minus convenienti, ſono accepimus. Atq; ita, ne à corporum pellendis malis, aliena MVSICÆ vis videtur. Hiſce tamen ſi ſubjungam, utriusq; Philoſophiæ paginam, facilè videatis, ſi non utramq; faciat ars MVSICA, tamen neq; multum, à ſingulis, abeſſe. Cum namq;, velut materno ſinu, eandem foveat, atq; excipiat Matheſis: Quis non utiliſſima plurima, Primæ Philoſophiæ explicandæ, ut omnem quantitatum doctrinam, ibidem traditam, omittam; in Phyſicis verò, cœleſtium motuum rationem, ſuo modo, è MVSICORVM ARTE accerſi, concedat? Longè tamen ea clariora elucent, in altera illa, quæ moribus imperans, felicitatis publicæ procurat incrementum, humanæ ſapientiæ parte. Actum agerem, ſi, quam potentiſſima affectuũ concitatrix, ſedatrixque, MVSICA exiſtat, recenſerem: cum diu hanc, ante me, præoccuparint operam alii, qui, publicâ voce, unam hanc cuſtodem animi atq; magiſtram dixerunt. Breviter & de iis, quæ civilem, domeſticamq; concernunt felicitaté, cum Platonicorum mellitiſſimo, Maximo Tyrio, dixiſſe hac vice ſufficiat, quod divina

na HARMONIAE vis animum, in ſtatu ſuo, retineat, domum conſervet, conſervet navem, conſervet exercitum. O divinam divinæ artis virtutem! O divinam magni STOBAEI mentem, quæ tantum divina arte fuit delectata! O dignam æterno cultu, quam tam nobiliſſimo ſtudio impendit, curam! Heus Boruſſia! heus Patria chariſſima! Incunabula præbuiſti naſcenti, vivo domicilium, defuncto tumulum; nunc id age, ut æterna tanti Viri memoria, intra fines tuos vivat, ac, quæ Libitinam vitat, perennis tantæ arti, virtutiq; conſtet cultus! Id muneris divinitus obtinuiſti, ut, præ omnium gentium, linguarumque numero, innumeris odis atq; canticis vernaculis, Deo cultum exhibere queas; tu vide, ut grato erga Deum, &, cujus, poſt hunc, opera iſtud obtinuiſti, STOBAEVM, animo, tantum munus uſurpes. Vos inprimis, qui meliori mente præditi, optimis artibus animum addixiſtis, id operam date, ut quem vivum certatim coluiſtis omnes, defuncti memoriam, intra pectus reconditam, ſanctè colatis, recolatis, & nunquam divina STOBAEI Muſa, absq; honorata nominis memoria, utamini. Præ omnibus tamen vos adhuc, quos familiarior amicitia, ac ſanctior neceſſitudo, optimo Viro junxerat: Te rei literariæ Conſultiſſimum, ROBERTVM ROBERTINVM; Te rebus pariter divinis, atq; humanis inſtructiſſimum, GEORGIVM COLBIVM SENIOREM; Te trigam FRATRVM SCHIM-

MELFENGIORVM cultiſſimam, politiſſimam; Te civilis ſapientiæ peritiſſimum, ERASMVM LANDENBERGIVM SENIOREM: Vos, inquam, vos, quos filiorum inſtar, tenerrimè diligebat STOBAEVS; vos, qui venerandi Patris inſtar, colebatis venerabilem Senem, compello; vos rogo, oro, & per ſanctiſſimos manes obteſtor; curate, curate optimi Viri cultum; curate, ne quid vel de honoratiſſima memoria, vel doctiſſimis, quæ ſupereſſe voluit, manuſcriptis decedat; curate, ne unquam ſummi Muſici monimentum, animis oculisque elabatur. Non deerit vobis, qui hæc rogat, veſter THILO; ſed, prout vobis ſemper accenſere ipſum, patrius STOBAEI affectus ſolebat: ita ultrò ſemetipſum vobis accenſet, partem hujus curæ ſibi poſcit, ac, quacunqve poterit, annitetur, ut perennet nomẽ, atq; honor STOBAEI. Iniquus eſſet, ſi, qui, in parte felicitatis ſuæ, poſuit STOBAEANVM amorem, cultum STOBAEANVM deſerat. Sed nunquam deſeret; quin, ſi impar ei rei fuerit, Muſas ipſas, ut STOBAEANO honori operentur, implorabit, quas faciles quoq; ac promptas, exoraturum ſe confidit. Verum ignoſcite A. H. affectibus abrepto, & facile ignoſcetis etiam, modo, efficaciſſimã amoris vim, ipſi noſcatis. Atqve ita defunctus jam ego provincia, vobis ſatisfeciſſe etiam, videbar: ſi, compendio facto, univerſam STOBAEANAE laudis ſummam, quæ MVSICA continebatur, exponerem;

rem; cum ſubito animo occurreret, omnia eò validius afficere, quo diſtinctius explicarentur. Ne quid ergo deſit veſtræ oblectationi, breviter, quandoquidem, per ſilentium veſtrum, licere videtur, nonnulla, ex Hiſtoria STOBAEANA, ſpecialiora decerpam. Quod acturus, memini me dicere VESTIGIA MVSICA, quorum ductum ſequendum mihi conſtituerim: Memor proinde ejus dicti, eam ingrediar viam, &, quantum utriusq; ratio permittit, conficiam eandem. Solent ij, qui Muſicæ rei operam dant, ut felicius in adyta auguſtiſſimæ ſcientiæ penetrent, CLAVIVM uti miniſterio, quibus, reſerato quaſi aditu, pandantur, quæ abdita latent, inter arcana artis. Non hic prolixius de SEPTENARIO CLAVIVM numero, nec proinde eum, vel ſeptem vocum diſcriminibus, Apollineo oraculo, proditis; vel ſeptenis lyræ filis; vel ſeptem teſtudinis nervis, vel ſeptem compacta cicutis fiſtula, confirmo: neq;, quàm feliciſſimè hominum vitæ explicandæ, SEPTENARIVS MVSICORVM HIC NVMERVS adhibeatur, è Cenſorino recito. Quod res jubet, agam, ac, ut omnis exactior STOBAEANAE memoriæ pateſcat ratio, aperiam eam vobis, non SEPTEM MVSICORVM CLAVIBVS, ſed, qvæ inſtar harum erunt, SEPTEM laudatiſſimæ vitæ DECADIBVS, qvas ferè, inter mortales, exegit. Hic jam non honeſtis tantum, ſed honoratis inſu-

insuper parentibus, Grudenti natum, Anno ab orbe redempto cIↃ IↃ LXXX. atq; ita, inter privatæ potissimum educationis curas, publica tamen, prima artium, suppeditante principia, PRIMAM ætatis DECADEM absolvisse tenete: quo facto Regiomontum, sub medium fermè SECVNDÆ DECADOS, veniens, solidioribus artium præceptis colitur; usq; dum TERTIAM ingressus, MVSICÆ omninò addiceret animum, quam ita feliciter exercet, ut eâ, qvæ sequebatur, DECADE amœnissimè florere inciperet. Et latè jam longeq; spargebatur, tantæ amœnitatis fragrantia, cum QVINTA uberrimos adderet fructus; quos cum SEXTA feliciter maturitate perfecerat, quæ jamjam consummanda erat, SEPTIMA, familiari hominum rebus marcore, obruit, atq;, qui omnibus nobis fatalis est, termino decretorio concludit. Apertas videtis atq; patentes fores, quibus &, sub primum vitæ auspicium, orbis hujus ingressus est theatrum; & per varias porro, in eo, laborum curarumqve difficultates, ad Sacrã virtutis ædem progressus; & intra honorum porro receptus palatium, vita omni strenuè perrexit: donec tandem, ipsius cœli lucida porta patefactâ, communes piorum subierit sedes. Sunt eæ, omnis laudatissimæ vitæ, quasi CLAVES, si quis optimis natus parentibus, & ipse optimâ indole gaudeat: & hanc nactus, indefesso labore promovere non cesset, ut lætè pergens, debito virtutis solertiæq; præmio potiatur. Hisce quisquis destitutus fuerit, omnis

omnis ei,& ad honores, & ad virtutem ducens,via clauſa eſt,atq; obſerata. Felix ergo iſtâ ſorte BEATISSIMVS hic noſter, noluit ſuâ culpâ admittere, ut, quod cœlitùs contigerat beneficium, eo indigne uteretur; ſed actus, his quaſi ſtimulis, magis magisq;, quo virtus duceret, progrediebatur. Neqve abſterrebatur, à laudatiſſimo propoſito, quòd multo tempore, multoq; labore, ad id opus eſſe videret: quin ita ſtatuebat, naturam ipſam nihil,uno impetu, perficere; ſed certis,quaſi ſubvectam, gradibus, ab imo ad medium, hinc ad ſummum evehere omnia. Muſicorum SCALAS hic cogitate, quibus ab infima BASI, ad ſummum ASSAE vocis, quem DISCANTVM vocant, apicem progreſſi, Harmoniæ omnis ambitum conficiunt. Ita cùm omnibus, tum STOBAEO noſtro evenit: Non ætatis modo, ſed doctrinæ etiam gradibus aſcendit. Infantiam rerum omnium expertem,atqve ignaram, pueritia excepit, & hîc prima, doctrinæ artiumqve ſemina, animo concepiſſe audiviſtis: quæ cum,radicibus probè actis, amœniſſime ſuccreſcerent, adoleſcentiam elegantiſſimè ornabant. Ita rudis, paulo ante, infantiæ agellus, pauliſper excultus, ſpeciem quandam amœnitatis,exhibere incipiebat, quæ tamen multum, à perfectione, aberat. Huc ergo ut promoveretur, florem oſtendebat juventus, qui lætiſſimè vigens, uberrimorum quidem fructuum, ſpem confirmabat; ſed & his maturandis,plurimum temporis, curæqve impen-

dendum adhuc erat. Omne id, qvod virilem absolvit ætatem, ſpatium, non alio occupabatur labore, qvam ne, qvi viſi eſſent, vanâ ſpe lactarent animos fructus; ſed ut tandem, maturitate ſua perfecti, prodeſſent etiam, ac publico uſu juvarent. Ita ergo tandem, in ſummo, perfectionis MVSICAE, culmine conſiſtens, ſummum, gloriæ MVSICAE, attigit apicem: poſtquam huc ab imis, inter ſudorem & pulverem, eniſus gradibus, nunqvam laſſatus ceſſavit. Eſt ſanè conſtans omnium opinio, confirmata etiam Excellentiſſimorum, in Illuſtriſſimis locis degentiũ, Muſicorum calculo, ea Muſicæ artis peritia, Boruſſiæ Muſicum STOBAEVM excelluiſſe: ut, cum pauciſſimos, in anteceſſoribus, ſimiles haberet, vix qvempiam, ſua ætate, parem numeraret: etiam hoc accedente certamine, ECCARDINE MAGISTRI, an Diſcipuli STOBAEI, doctior Muſa eſſet? Sed & graviſſimus ille labor fuit, ac ſolertia ſingularis, cujus beneficio, id honoris adeptus fuit. Quis enim vigilatas illas noctes; qvis concatenatas eas, inter corporis etiam, male affecti, habitum, meditationes explicet, quibus, ut dignũ, arte tam divina, melos pangeretur, ſtudebat? Aſt, inter hoc ſummi nominis decus, non expers fuit variarum, earumq; graviſſimarũ, qvas, noſtro generi, machinatur fortunæ levitas, ſeu, ut veriùs loquar, quas æternum DEI arbitrium, ferendas cuivis noſtrum voluit, MVTATIONVM, Scilicet neqve hoc, à Muſicorum Scholis, alienum: variis

MVTA-

MVTATIONVM generibus, ita adornare Harmoniam, ut DVRIS mixta MOLLIA, decentem tandem producant, atq; auribus gratissimam, svavitatem. Et si, vitã omnem excutias, qvid aliud, qvàm continua, variarum MVTATIONVM, successio videtur? Ita namq; adversa prosperis, læta tristibus; prout Soli nubila, & luci tenebræ, in universitatis compage, succedunt. Neqve, id temerè provenire, qvispiam putet. Cum namqve omnium rerum, etiam svavissimarum, si perpetuo continuentur, qvoddam, suo tempore, oriatur fastidium, atqve satietas: voluit miranda, cœlestis sapientiæ, providentia, gratissimo hoc temperamento, ita ordinare vitam nostram, ut nec perpetua adversitate frangatur, nec felicitate continua lasciviat. Et sanè, prout difficiliori sorte pressos, spes successuræ felicitatis erigit, atq; sustinet; ita, fortunâ parente utentibus, eò dulcior prosperitatis possessio, qvo gratior, præteritæ amaritiei, memoria existit. Quod uti clarius constet, illud, qvod dictis proximum, atq; maximè cognatum est, addere liceat; duplicem CANTVS MVSICI indolem, qvâ vel DVRVS dicitur, vel MOLLIS. Sanè neqve concentus, absq; hoc modulationum discrimine; neqve vita, absqve duplici, quam diximus, sorte uspiam occurrit. Quin si ita qvandoqve, Musicorum Harmonias, constitui videas, ut alter alteri, sæpè immisceatur cantus: non aliter vitam nostram agi scimus. Nunqvam, adeò jucunda felicitatis usurpatio, contingit miseris, ut

non, quàm proximè eidem, durior aliqua ſors adjaceat; nec unquam tam duri ejulatus, atqve queſtus, inter adverſa, audiũtur, quibus non gratus, ſuo tempore, ſuccedat riſus atqve plauſus. Vnicum adhuc, antequàm, ad STOBAEANVM nomen, revertamur, addere placet, idqve ex ipſis Muſicorum Scholis, pariter depromptum: in quibus DVRVS Cantus NATVRALIS; MOLLIS vero, in alienum, TRANSLATVS docetur. Nec aliter quicquid adverſitatis, quicquid moleſtiarum, duriſſimè nos affligit, naturæ noſtræ, avitâ culpa, corruptæ, vitio accidit: Si quid verò, quod emolliat iſta, ſentitur, omne id, à cœleſti gratia, transfertur, quæ ita temperat omne, quod durius erat, ne, dum premit, opprimat, dum ſauciat, occidat. Atq; ita, revera, expertus BEATISSIMUS hic noſter. Melius ipſi ſcitis OPTIMI VIRI ærumnas, quas & valetudo, & fortuna iniquior ipſi pariebat, quàm ut, prolixam earundem recenſionem, à me expectetis. Graviſſima, atq; duriſſima ſæpe expertus eſt: quæ tamen omnia emolliri etiã, cœleſti gratia, efficaciſſimè ſenſit. Hinc namqve immota illa fiducia, & certiſſima ſpes, quâ beatioris olim ſortis ſecurus, ita ſemper componere animum noverat, ut modum nunquam excederet. Vltro obiicere ſeſe mihi, MVSICORVM MODOS videtis: quorum id officii eſt, ut intra certum ambitum, melos ipſum, contineant, quem excedere, haud levem errorem putant. Et quis grandior error eſt, quàm modum rerum gerendarum ignorare: ac

ita

ita agere, ut immoderata affectuum libido, rationis imperium excutiat, atq; dictamen? Felices contra eas mentes, quæ semper intra modos, certosqve rerum fines,

Quos ultra citraq; nequit consistere rectum,

versantes, auream, in omnibus, mediocritatẽ sectantur. O quàm probè id noras, OPTIME STOBAEE! non minus laudis, ab animo, intra honestatis modos, contento; quàm ab Harmonia, intra justũ, justi MODI, ambitum procedente, tibi promittebas. Hinc sive ex IONICO, quiq; huic succenturiatus est, HYPOIONICO, lætum atq; hilare, pangendum esset melos; tu ita licitæ indulgere lætitiæ sciebas, ut nec premente fortuna, abjecto; nec ridente, effuso gaudio peccares: sed ita justo ubiqve efferreris, ut decens, ac compositus mentis status, aliis etiam oblectationi esset, atqve gaudio. Sive gravitas DORII, HYPODORIIQVE, exprimenda esset; cui ignota gravissima tua mens, qua non MVSICAE tantum, sed morum omnium omninò, serio aversabaris, lascivientẽ luxuriem. Quis verò devotissimam tuam pietatem; atque religiosissimum DEI cultum, dignè describat, cum ita cælo tuo adhæseris, ut plurimis exemplo fueris, ac admirationi? Atqve ita animo tuo præcipiebas, ut ad PHRYGIVM, HYPOPHRYGIVMQ; qvem divinum alij, alij religiosum, vocant, modum compositus ageret. Quod si, inter hæc, vario insultu, prout id piis familiare est, non hominum saltem, sed Dæ-

monis ipsius, vaferrima pravitas te petebat; noras impugnare istum fortiter, ac, DEO præsente, etiam feliciter vincere, prout id, bellicosi LYDII, HYPOLYDIIQVE ductu docebaris. Non deerant interim, flebiles questus, ac tristes pœnitentiæ lachrymæ: qvibus, è MIXOLYDII, HYPOMIXOLYDIIQVE, præscripto, Deum, ut misereretur labentis filij, semper orabas, sed & exorabas. Hinc eam divinitùs gratiam nactus, mitemqve expertus in cœlis patrem, id qvoq; curabas sedulò, ut, qvod ÆOLICO, ac HYPOÆOLICO, tribuunt, mitis & ipse, atq; mansvetus, esses aliis: ac, prout divinum tu senseras auxilium, ita aliis promptissima semper auxilia, officiaqve exhiberes. Hæc est A. H. cœlestis HARMONIA, quâ non tantum lingva atqve vox, justâ proportione, devinctos inter se, numeros decantat; sed mens ipsa consonans, divinam virtutum Harmoniam producit. Cujus nobilissimæ Musicæ genus proposituri prisci, primas cytharas, ea specie, qvæ cordis exhiberent imaginem, efformatas dicuntur. Id qvidem certum est, gratissimum divinis auribus melos esse, non qvod, evanido sono, lingva format: sed qvod, divinis meditationibus, pectus animat. Ita ergo cum, omnibus vitæ diebus, solertissimè cecinisset BEATISSIMVS hic noster; tandem, cum vitæ mensura, divinitùs constituta, exacta esset, felicem vitæ PAVSAM interjecit mors, & quiete æternâ, qvam plurimis suspiriis ipse expetiverat, omnes mortalitatis labores commutavit. Quiescit,

inqvam,

inqvam,tranquillissimè, ac, qvibus subinde agitatus ærumnis est, earum felicem PAVSAM fecit. Non importunè, credo, TRANSPOSITIO MVSICA, artificium sane, summo Musicorum commodo, inventum, hoc loco occurrit: cujus & eò æquior mentio fieri videtur, quo clarior, singulari ejus instituendæ, usurpandæq; peritiâ, STOBAEVS semper fuit. Ac, si proinde ejus beneficio, id obtineri scimus, ut, dum Soni Harmonici (qvos hujus artis periti, in certa serie, se invicem sequentium TONORVM, & SEMITONIORVM, collocant,) jam è superiori in inferiorem, jam, vice versa, ex hoc, in illum deducuntur locũ; & voce humana, & Instrumentis Musicis, qvibus major etiam hujus medii necessitas, commodior Harmoniæ ipsius (quæ difficilius, si absqve hoc ipso esset, exprimeretur) modulatio peragatur: revera felicissimum omnium commodum, novissimâ hac TRANSPOSITIONE, qvam mors instituit, concessum, BEATISSIMO VIRO, videmus. Nam & corpus, dum è superioris hujus lucis usura, in, profundioris terræ, transpositum tenebras, suo tumulo asservatur, annon summum quietis beneficium, acutissimorum, quibus subinde hîc affligebatur, dolorum loco, tenet? & anima ipsa, è squalore ac vanitate, inferioris hujus, qvem sublunarem vulgo dicimus, orbis, in beatissimam, cœlestium, sublimitatem transposita, reverâ absolutissimum laborum præmium, qvod, parcâ nimis manu, optimis etiam, hic noster orbis nume-

numerare ſolet, percipit atque uſurpat. O divinum, tam beatæ TRANSPOSITIONIS, commodum! O felicem loci, ſortisque mutationem! Neque tamen interea, obmutuit terris hiſce, eâ, quã paulò ante diximus, PAVSA, STOBAEANA MVSA: quin prout, innumeris modis, ſemetipſam à morte vindicavit; ita reviviſcet nobis toties, quoties, STOBAEANVM MELOS, aures uſurpabunt. Mens verò ipſa cœleſtibus mixta choris, quem HYMNVM ſuo DEO pangere videtur? Revera, quæ hic, balbutienti lingua, conabatur, divina, ac æterna, HARMONIA, perficit DEI elogia. Et ſi vulgò,

Cantator Cygnus funeris ipſe ſui,

dicitur; decernite, annon felicitatis ſuæ certior vates fuerit? dum paucis, ante beatum obitũ, Septimanis, (quod ultimum melos, Harmonicis decantandum numeris, compoſuit) ſvaviſſimâ HARMONIA verba ſequentia animavit,

LAVDENT DEVM, CYTHARA, CHORI, VOX, TVBA, FIDES, CORNV, ORGANA, ALLELVIA!

Euge ergo, qui divinâ ſemper laude plenꝰ fuiſti, lauda jam DEVM, non terminando HYMNO. Ego vero, quandoquidem, ejus CHORI, ſublimitatem nec mente aſſequor, nec lingva; ne, impuritate oris mei profanetur, hîc ſileo. Tu interim, OPTIME STOBAEE, nova illa beatitudine felix, æternum SALVE, VALE.

ORA-



ORATIO VII.

IVSTA FVNEBRIA,

PIIS MANIBVS

EXCELLENTISSIMI VIRI,

DN. M. SAMVELIS FVCHSII,

ELOQVENTIAE IN ALMA PREGELANA P.P.

ORATORVM CLARISSIMI,

PRAECEPTORIS, NVNQVAM ET ANTECESSORIS MEI, ABSQVE HONORE DICENDI,

FACTA

CONTINENS.



Vod felix, fauſtumqve, ac æternum ſalutare, MAGNO hujus Academiæ ORATORI, fuit, in beatæ, perennitatis ſtationem, à ſupremo cœli Dictatore, evocato; illud idem quàm luctuoſum acciderit, & deplorandum, cum bonis omnibus, tùm clariſſimis inprimis, florentiſſimi hujus Lycei, Patribus, ac Alumnis, voce & ſtylo reſignare quis audeat? Ac liceret utinam mihi quoque, hono-

re ſacri ſilentii, venerari ea, qvæ proponere, conſcia tenuitatis, mens horret, luctuqve refugit! Neqve enim aberit, qvin temeritatem in me, & audaciam accuſaturi ſint multi, qvòd de ſummis virtutibus ejus Viri (cujus nomen, non ut facundi oratoris, ſed ut facundiſſimæ eloqventiæ, uſurparunt prudentiſſimi quique) paupertino eloqvio, plura detrahere, qvàm prædicare, præſumam. Sed ignoſce, MAGNA ANIMA, &, ſi qvicqvam, humanarum cogitationum, reliquum tibi eſt; ſi, qvi te Parentis, Præceptoris loco, venerabatur ſemper; qvem tu piâ fide, filii inſtar, monere, informare; ſi mei, inqvam, recordari adhuc potes, divinarum deliciarum nectare ebria: accipe poſtremum hunc honorem, qvem pietas, cum luctu & ſordibus, tibi offert. Ego privatus fidiſſimo duce, Magiſtro deſtitutus, Magno ſtudiorum Patrono orbus, ſalvâ pietate, non admitti putabam, ſi, qvod plurimis perſolviſti, tibi non redderetur, ſupremum munus. Hinc deſperârint alii, dignam, tanto Viro, contingere poſſe Orationem: malui tamen, vel conatu, affectum teſtari; qvàm intempeſtivo metu, ſuo honore ſpoliare virtutem. Nunc, cum & eorum acceſſerit imperium, qvorum autoritas, flagitabat obſequium: ſuſcepi provinciam, cui ſuſtinendæ me, qvàm maximè imparem, cognoſcebam. Nam ſi Cytharæ Patrem,

Qui feros cultus hominum recentum,
Voce formavit catus,

Majæ-

Majæ filium, ſuus, adverſus invidiæ fulmina, texit olim Galerus, qvidni me mea pietas, & in Præceptorem defendat reverentia, ſi intonare, in me, cœperit, violenta invidiæ rabies? Ignavus miles eſt, qvi, dum tela metuit, virtutem deſerit: Et ingratus, qvi, ſycophantarum morſus ſubterfugiens, optimi Ducis negligit gloriam. Non ea mens nobis, qvibus ſpectata hujus Viri virtus, & rara ſcientia, pro Duce fuit; &, pro imperio, candidus amor. Imò ſi nobilem, ſucciſam etiam, arborem, non defraudat ſuo elogio, ſimplex olitor: ſi Ephemeram arborem, qvod opacaſſet, uno die, tuguriolum, ſupra DEVM, coluit, indignabundus vates: Quo in cenſu ponendus hic noſter, qvi non minus nobilis, non minus fœcunda arbor, in amœniſſimo, hoc noſtro, Parnaſſo, floruit hactenus. PLATANOS qvondam Athenæum, notabili proceritate ſublimes, decoraſſe proditum eſt: ſed & paſſim ea MYRTI, apud priſcos, gratia, ut hâc maximè & villæ, & horti ornarentur olim. Nemo ambiget, qvin illuſtrius longè, noſtræ Academiæ, ornamentum, excelſa hujus arboris fuerit virtus, & fructus incomparabilis. Inſita iſthæc jampridem, vitæ ſurculo, per vim æterni ſpiritus, & vitam inde, &, cum hac, incrementa cepit. Irrigata inſuper Divino, cœleſtis gratiæ, rore, & floruit læta; & ubere proventu, qvam plurimos beavit: ita, ut ſi OLEAM (fas ſit divina humanis conferre) Palladis munus, jactare profanis licuerit ſcriptoribus, juſtiùs

nos, divinitùs hanc conceſſam fuiſſe arborem, glorie-
mur. Non mortale beneficium eſt, immortalis vir-
tutis theſaurus. Nec capit ſatis divinæ hujus arbo-
ris decus, in qva, qvæ in reliquis ſingula mirantur
Autores, collecta omnia, ad miraculum, ſuſpicit, hu-
mana induſtria. Quandoquidem huic contempla-
tioni, præſens tempus VENERANDOS ACA-
DEMIAE PATRES, CVM HONORATISSIMIS
DNN. HOSPITIBVS, COMMILITONIBVS-
QVE DOCTISSIMIS, &c. (quod demereri, ubi
poſſit, tenuitas noſtra ſtudebit) impendiſſe video;
gratâ brevitate, percurramus ea omnia. Arborem
producit Syria, cujus infelicia ligna habentur: quæ
ſi domui inferas, & difficiles partus, & miſeræ mor-
tes fieri produntur. Non talis hic noſter, qui intra
Academiæ hujus receptus parietes, quot, ſecundiſſi-
mo partu, divinæ mentis edidit fœtus? quàm mul-
tis autor ipſe extitit ac promotor, ut, qvod alii vix
pertinaci labore obtinerent, novâ facilitate profer-
rent? Tum & mortem, ſi gravis ea eveniſſet mœ-
renti, leviorem, ſvaviſſimo ſolatio, nonne reddidit?
Superſtat adhuc dulcis ejus Svada, qvâ & in mortem
animare invitos, & erigere, hujus metu percuſſos,
potens erat. In plurimis arboribus, nil præter folia,
quod laudes, præſtò eſt; deeſt fructus, deſunt com-
moda: In hoc quod primum mireris, dubites, adeò,
novo more, inopiam ex ipſa pateris copia. Cogitas
facundiam, jam interpellat, prudentia; cui dum in-
tentus

tentus hæres, jam novo monitore, ut pergas, urgeris. ASSYRIAM MALVM, narrant ſcrutatores Naturæ, omnibus horis pomiferam eſſe, aliis cadentibns, aliis matureſcentibus, aliis ſubnaſcentibus fructibus: Ea indoles Magni Viri, qui, cum non ſibi, ſed aliis natum ſe reputaret, non paſſus eſt ullum elabi tempus, quo effœtus ipſe videretur. Quin, ſi arbores terra ferat, quibus fructus antè, quàm folium, naſcuntur: hicanno non talis fuerit, judicate. Intonſus Juvenis, & cui venuſtiſſimas malas, prima nondum veſtierat lanugo, ſtuporem jam & admirationem movebat, venerandâ canitie conſpicuis Viris. Novimus adhuc, & teſtes eritis vos, ô parietes (neq; enim ejus teſtari laudes recuſabitis, qui, ſæpius exanimes vos, blandâ voce refecit) teſtes, inquam, eritis, quoties egregios, feliciſſimi ingenii, fructus, cum delectatione, admirata ſit grandior ætas, jam tùm, ſpe uberioris proventus, lætum animum fovens. Vrebat nimirum, jam tum, acrior urtica, & ampliores maturæ ætatis fruges, pollicebatur vernans hæc, atq; adhuc herbeſcens. Jamque properabant ad hunc, quotquot noverant; reliquis, quibus incognitus erat adhuc, videndi ejus deſiderio, flagrantibus. LOTON novam exortam putaſſes, mira dulcedine quosvis detinentem, oblivione aliarum rerum ſuper inducta. Nam & patriæ oblivionem, & ſuorum, dulcedo hujus gignit: aſt nec minor iſtius ſvavitas, quâ permulcebat, torvâ etiam ſeveritate auſteros. Adeò

omnium mentes occupabat, omnesque in ſe unum convertebat! Adeò omnes, in quo ſe & oblectarent, & exercerent, habebant! ac, ſive æmulari vellent, ſive odiſſe, magnam virtutem, licebat. Nam cùm, non omni oculo, tam gratum ſit Phœbi decus, ut non perſtringat alium; nec tam palato omni ſapidus cibus, qui non faſtidium cieat alteri: hinc quoqve, qui non amarent tenerrimum Muſarum pullum, erant nonnulli; ſed quanto hujus, & noſtro omnium, bono cognoſcite. In Perſico Mari naſci arbores dicuntur, qvæ non, niſi fluctibus pulſatæ, aut copertæ etiam æſtu marino, vigent, ac fructum ferunt. Excitatus ita cultiſſimus animus, quos non fructus fundebat? Hinc eruditæ prodierunt Diſputationes, & nervoſa ſcripta, quæ, ut fugitabat ambitionem, nunquam, cum uſu publico, communicaſſet, niſi provocatus in publicum. Non vibrare ea tela docuiſſet alios, niſi extorta ferè ab aliis, ipſe prior vibrare, coactus fuiſſet. Sic multorum petitus telis, retorquet ea, non in perniciem, ſed plurimorum incrementum. Si proinde EBENVS, quod oculorum caliginem, felici remedio, excutere credatur, tanto in honore eſt; quantò majore dignior hujus vis? Quot ille commiſſos ſibi, è generoſâ nobilitate, animos, proſpero ſucceſſu curavit? Caligat acies humanæ mentis, ad rerum ſublimium ſplendorem: nec feliciùs, ad percipiendum hunc, præparatur, quàm adhibitâ ſolerti Doctorum operâ. Illuminant

minant

minant hi cœcutientes, reducunt deviantes, corrigunt denique vitiosos, incautæ juventæ, affectus omnes. Atque hæc quidem, quàm laudabili præstiterit curiositate, non, me præcone, demum cognoscetur. Adi, qvisqvis de hoc dubitas, ea, quæ reliqvit, cum tempore certatura, monumenta: scripta evolve, insolitam doctrinam spirantia, &, num fortè tu quoqve doctior inde recesseris, pòst ingenuus fateberis. Vivum præterea qui audiit docentem, quotusqvisq; non, præter eruditionem in eo solidissimam, leporem quoqve admirabatur singularem, in qvo & svavis delectatio, cum justa gravitate, & hæc, absqve morositate molestâ, felici consortio erant junctæ? Vos, quicunqve, intra Vestæ penetralia, asservatis, utilissima Tanti Viri scripta, ne invidete magnam, seræ posteritati, lucem! Prodeant, prodeant, cum æterno Reip. literariæ commodo, ut, nullo unquam tempore, non profuisse videatur Magnus ORATOR. Sic magno vulneri, per discessinm suum, inflicto, medicinam, quam ipse confecit, adhibebitis. Sic mortuus quoqve, qvod, tanto cum studio, agebat vivus, ejus juvet salutem, cujus magna pars ipse erat. PLATANVM, maximo mortalibus usui, esse novimus, qvæ non modò à Solis tueatur umbrâ, sed & protegat patulis ramis, si qvi, ab imbre infestati, ad ipsam decurrant. Ad hunc verò qvis non refugit, si aut rebus turbatis, esset quærenda moderatio, aut afflictis remedium. Depromebantur,

tur, à prudentiſſimâ ejus mente, tanqvam ex oraculo qvodam, aut Tripode, ſaluberrima conſilia: nec qvisqvam, conſilii indigus, ad eum acceſſit, quin receděret, ad negotia obeunda inſtructior, ad excolendam mentem paratior. Quæ ſanè eò major tanti Viri laus, qvò rariùs, cum florida elocutione, prudentia, in una mente, diverſari conſvevit. Cùm namqve ea doctiſſimorum hominum ratio ſit, plerumqve ingenio pauperari, qvi ditentur verbis; aut, ſi ingenii magna illis vis ſit, hebetari judicium: qvi non beatus, omnium calculo, putandus, Clariſſimus hic Vir, utrumqve cum fuerit aſſecutus? Et ea qvippe prudentiæ, in hoc, ſagacitas, ut, vix ulla, non reſponderet votis res, quæ hujus gereretur auſpiciis: Et ea dicendi vis, ut, ſi unquam, divina cujusdam Svada, hominum catervas, ab aure revinctas, poſt tergum traxerit, privata ea laus, noſtro huic dicendi Magiſtro maneat. Nulla aderat affectata pulchritudo; ſed naturali omnia nitore fulgebant. Deteſtabatur candida mens fucata verba, quod hæc iſti nequaquam convenire putaret: nam

Viri character ejus eſt oratio.

Cum verò, vel maximè, in componendis ſeditioſorum turbis, tollendaq; litigantium ſimultate, ſumma utriusq; appareat virtus, quem niſi ſummum eum dicemus? Meruerat cognita ejus fides atq; virtus, ut Inſpectionis Academicæ ipſi munus (at quam grave, ob diſcrepantia, tot Juvenum Academico-

rum, ingenia, quivis coniicit) traderetur, quo tamen an, majore cum laude, fungi quis possit, norunt ij, qui sæpius ejus experti sunt dexteritatem, candorem, & humanitatem. Hæ illæ artes, quibus faciliùs in ordinem cogitur, inordinata licentia, quam violento regimine. Iis &, causarum ambiguas lites, sæpè diremit, & periclitantem sublevavit innocentiam, & sævissimas irarum elisit fibras. Nescio, an gratissimam MYRTVM dixerim, quæ quidem, ad bilem expurgandam, multùm valet: Sed fuit profectò. Ira etenim quid, nisi bilis quædam inclementia, est, ac insanus ardor? Istam proinde qui, placidis verbis, temperat; hanc ipsam, inæstuantem præcordiis, ponit. Ac vix opportunius, huic morbo, reperiri potest remedium, quàm, quo pollebat Clarissimus Vir, blandum, ac amabile dicendi genus. Hoc toties ab irâ, jam concitatas, flexit mentes; hoc mitigabat, in fermento jacentes, animos; jamq; ferrum, & sangvinem meditantium, sistebat furialem impetum. Si itaqve optimum nautam illum judicamus, & maximè desideramus amissum, qui dextrè ad portum deducat navem, non purâ sereni cœli temperie, sed turbato mari, & decertantibus inter se ventis, cum jam,

Et malus celeri saucius Africo
Antennæque gemunt, ac, sine funibus,
Vix durare carinæ
Possunt, imperiosius
Aequor: V Quid

Quid mirum, si doleamus ereptum nobis, peritissimum, Palladiæ hujus naviculæ, rectorem? qui eam in pelago turbarum, ventis accusationum, protestationum, querelarumq; agitato, felici moderatione servavit, placata irarum rabie, compressoq; ferocientis protervíæ tumultu. Et in his quidem, quod judicem maximè decet, maximè aversabatur, adulantium sibilos, & delatorum susurros. Non fert serpentum genus, odiosa iisdem FRAXINVS: Sic non ferebat hujus virtus, impurissimos homines, qui, Scorpionum more, cum vulnere virus, quò figunt, infundunt. Hauserat ea ex magno Seneca, quem quia nunquam de manu ponebat, se monitum ab hoc ipso ratus: ubi, *sapiens eris*, idem inquit, *si clauseris aures, quibus ceram parum est obdere, firmiore spissamento opus est, quàm usum, in sociis, Vlyssem, ferunt. Et non minus desperanda ejus salus est, qui veritati claudit aures: Injustus enim videtur uterq;.* Hæc secum repetebat generosa mens: quæ si fortè, malignos calumniæ morsus, provocavit, non equidem miror. Generosissima, inter germina, VITIS est, quam tamen, infelici dente, rodit olida capra. Eadem ferè sors magnæ virtutis: Theonino dente plerumq; roditur. Nam, quia assequi, ejus sublimitatem, desperant ignavæ mentes; imminuere ejusdem gloriam laborant. Et, quasi obnubilaturæ, splendidissimam ejus lucem, nescio quas, hinc inde conquisitas, obiiciunt minutias. Sed non officit aureis Solis

ſis radiis, quia non ſuſtinet, nocturnus bubo. Quid tamen vos, ſi qui adhuc eſtis, FVCHSIO maſtiges? Adeòne papulas obſervatis alienas, ipſi fœdiſſimis ulceribus obſiti? Adeòne aliorum verrucas notatis, pudendam, in vobis, ſcabiem ne videtis quidem? ſed

Rode caper vitem, tamen hinc, cum ſtabis ad aram,
In tua quod fundi cornua poſſit, erit.

Exercete nefariam lingvam, Magni Viri convicio: Frangite dentes, quos imprimere vivo, nunqvam potuiſtis. Nunquid enim turbatus eſt unqvam, veſtro vitio, excelſus animus? Imo, FASTIDIOSO CONTEMPTV, vindicabat ſe ab iis injuriis. Abdicat ignem, Phœbo amata LAVRVS: Ignis quidam ira eſt, nam & ſcintillæ, ex iratorum luminibus, emicant, & flammæ æſtuant. Sed non incendebat, divinum pectus, feralis flamma, quod ſublimius, hac mortalium infirmitate, DEI amore ardebat. Ad hujus morem ſe componebat, qui, cum, benè de omnibus merendo, plures maledicos experiatur, haud ullum tamen, malevolo affectu, proſequitur. Quin quod maximè mireris, in gloriam ceſſit Magno Viro, maledicis ſermonibus eſſe violatum. Nam & lanam, purpuræ imbuit quidem fulgor, ſed inquinatam primùm, ſordidiſſimo ſqualore: nec aliud, ſplendentem picturæ lucem, magis commendat, quàm caliginoſus umbræ amictus. Maximum Herculem, & abſolutum virtutis exemplar, miratur omne ævum: ſed annon, Invidiâ nutrice, talis evaſit?

Ita eæ mentes, quæ cœlo plurimum imputant, vires ac incrementa, ab invidiæ calumnia, trahunt:

Duris ut ilex tonsa bipennibus,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumq́; ferro.

OLEAM sterilescere dicunt, si capra eam lambat: secùs hujus prudentia affecta erat, cui & à calumnia, uberior seges, veræ gloriæ, enascebatur. Veræ gloriæ dico: nam inanem illam, quam fex hominum, tanto studio, aucupatur, ne curabat qvidem. Magnos se jactant multi, sed alienis bonis; qui, fulcimentum si subducas, corruunt. Hos, quam sequuntur, fugit gloria, alios interim, qui eam fugiunt, sequens. Et sanè, si gloriæ sitis tanta, Magno Viro fuisset, habuisset domi, unde restingveret. Nam & ipsi, ex quo laureolam multi sibi quærunt, permiserat suus Genius, superciliosa hæc vocabula: Deleo, interpungo, corrigo, hoc ab antiquo ritu, & cætera vanæ ambitionis verba. Potuisset & ipse, è situ & squalore revocatas, notis Criticis illustrare, obsoletæ vetustatis dictiones. Verùm ut MYRTUS valles amat, spretis altis montium jugis: ita hic non erat, incertæ sublimitatis affectator. Non petebat cœlum, sed intra terræ, quam mortalibus concessit, cœlestis prudentia, continebatur fines. Nec supereminere alios, humilitatis amans, cupiebat: quòd non ignoraret, *humiles valles, raros pati fulminis ictus*, cùm *Admo-*

Admota ætheriis culmina sedibus
Duros excipiant Notos,
Insani Boreæ minas,
Imbriferumq́; Corum.

Celebrat maximus ille ingenii, ac doctrinæ Princeps, Scaliger, arboris, in Provincia quadam, miram indolem, quæ & contrahat, accedente homine, ramos, & expandat eosdem, hoc recedente: ita modestæ verecundiæ vestigia, naturam proposuisse, alto supercilio, patet. Quæ sectatus incomparabilis hic Vir, non ostentabat, quibus ditatam intus gerebat mentem, dotes. Nullus erat proprio judicio, ac indignus proinde eâ laude, quâ invitum ornabant, cordati homines. Raram nostri seculi virtutem! quo ultimum, quod laudatur, ambitio; quod optatur, honor est. Nec tantillum beneficii cuiquam, cœlestis concessit favor, ut non, maximam se jam esse, somniet tumida superbia. Hæc quo typho, in plerisqve, insolesceret, si vel minima, FVCHSIANAE eruditionis, ac virtutis particula, ei concederetur? quas cristas erigeret? sed non propterea major es futurus, si temetipsum magnum proclames; sicut nec minor factus hic noster, quod humilitatis premens vestigia, parvum sese æstimaverit. Nam quod in NARDO notant Naturalium periti, quò ampliora habeat folia, eò minoris pretii eam esse; & nobilissimam, quæ minimis foliis appareat: Id verè, in hunc ipsum, quadrare quivis videt. Non commen-

dari poſtulabat pomposâ ſpecie, digniorem eſſe laudem ratus, fructuum ſalubri virtute partam, quàm ſuperbo externi ſplendoris fuco: Gloriam verò omnium & firmiſſimam, & ſummam, à ſapientibus laudari, qui modeſtiam & virtutem amant, opes contra & purpuram, veluti generis humani quædam ludibria, contemnunt. Hoc tam probè animo infixum tenebat, ut nec unquam aliter affectus fuerit. Sed ut non quodvis, à Magnete, metallum; ſic nec omne ingenium, ab eo Muſarum Genio, trahitur. Hinc videas terræ filios, qui nil ſupra terram ſapiunt, qui, averſam à cœlo, mentem terris infigunt, ea ſumma habere, quæ, imis terrarum tenebris, cœleſtis ſapientia damnarat. Verùm non amat, contra plurimarum arborum naturam, immundum fimum, nobilis PALMA: nec capiebatur, cœlo oriunda, Hujus mens, quæ omnium fermè oculos verberant, auri argentiq; cupidine. Neqve aliud eſſe hæc cenſebat, quam quod eſſe eadem voluit, rerum parens natura. Fimum nempe, è cœnoſis terræ cavernis, magnâ cura, erutum: ſed qui de raritate, & peregrinitate, gratiam & pretium inveniat. Hinc ridebat miſeros homines eodem, cum fœdiſſimo quadrupedum, volutabro, tantoperè delectari. At, quia, veris virtutum opibus inſtructum, animum colebat, deſpiciebat, tanquam ex alto, inſipidas mentes: qvarum nulla tàm læta eſt ſuo; quàm triſtis alieno. Nec beatum, cum familiari ſibi Stoico, ſtatue-

tuebat, ad qvem pecunia multa confluxit sed eum, cui bonum omne in animo est, cui bona sua, vis nulla excutit, qvemqve fortuna, cùm in eum, quod habuit, telum nocentissimum, vi magnâ intorsit, pungit, non vulnerat. Nolumus hujus rei, locupletius documentum citare, quàm, quod plurimis nostrum cognitum est. Emicuerat magna Viri virtus: nec minus, quàm ignis, celari poterat, divina ingenii vis. Allexerat hæc animos, remotioris etiam plagæ, incolas: Hi summo studio id agebant, ut in tanti boni, nobis concessi, possessionem venirent. Sed non movebant excelsam mentem, splendidissima stipendia; non eminentissimi honorum gradus: qvæ multùm fortasse valuissent, si in qvemvis alium, non in hunc Virum, incidissent. Non ea tanti hic habebat, ut non, modis omnibus, majora duceret, hujus nostri Lycei incrementa. Tantus amor Viri in hanc terram, ut nunqvam transferri se, ex ea, passus fuerit, postqvam semel ipsi, cœlestis favor, hanc destinarat sedem. Ac licuisset utinam, per DEI indultum, diutiùs tam salutari, nobilissimæ hujus arboris, fructu perfrui! Vigeret adhuc utinam, maximo hujus terræ cùm ornamento, tam lætè vernans arbor! Verùm qvid agas? cum nihil, tam securis radicibvs, nitatur, in qvod, violentia Fatorum, non valeat. Vel an nescis, antiquum pariter, magnas arbores diu crescere, citò exstirpari? MYR-

TVM

TVM, qvòd celerrimè fructus producat, celebrant: sed qvæ antecedit divitiis, velocitate etiam occasus, plurimas antevertit. Brevissima ei namque vita est, ita ut compensare videatur, interitus celeritatem, maturitate fœtus. Videte, Auditores, qvàm mirus naturæ lusus, non in arborum, sed hominum etiam ipsorum vitis. Celerrimas, qvod audivimus, Magnus Vir edebat de se fruges, qvasi jam tum, repentinum signans obitum. Nam cùm maxima, qvæ hominum rebus præstiturus, per naturæ bonitatem, esset beneficia, in seram senectam (qvòd hanc jam denegasset ipsi, cœlestis providentiæ decretum) differri non possent: primo flore, tenerioris ætatis, ea proferebat. Nunc, cùm uberioris, fructus spem, maturior ætas, polliceri videretur, cadit generosa arbor. Cadit inter beatissima tripudia, & gaudia ovantis Ecclesiæ: qvæ dum, læto Pæane, triumphum Resurgentis Salvatoris canit, tristi lesso lugens, magni sui decoris, occasum, Academiæ personat. O infaustam, & fatalem ejus Veris, amœnitatem, qvæ aliis, novum vigorem, arboribus referens, nobilissimæ hujus mortem vidit, atqve interitum! Nisi florens CYTISVS videatur, quam & ipsam, Verno Aeqvinoctio, demeti testis est, solertissimus Plinius. Lætissimum certè anni Ver, vernantis adhùc ætatis, nobilem arborem evertit: perfecitqve blanda hujus serenitas, qvod austerus brumæ rigor recusârat.

Nam

Nam varias qvidem morborum, hic immiserat procellas; vitam tamen omnem non eripuit: imò foverat, atqve servarat, magnum hujus plantarii ornamentum. Sed quod minatus hic diu fuerat, ista tandem exequitur. Occurrunt hoc loco, quæ de IVGLANDE afferuntur passim, eam crepitu, fractum se iri, prænuntiare. Et hic profectò, imminere sibi fatalem horam, quoties prædixit? Id agitabat mens, futuri præsaga, id spirabat divinum os, brevi nimirum se terrenis ereptum, & cœlo junctum iri. Neqve verò aliud docebant, indies deficiens corporis vigor, ac debilitatæ vires, nisi instare ultimam metam. Attigisti hanc, BEATE VIR, & humano mortalium exemptus cœtu, novo immortalitatis honore flores. Neqve enim, Auditores, si terrâ tumulari, immortalis animæ receptaculum, videmus: eâ lege id fieri putandum, ut sordibus obsitum, & squalore, perpetuò putrescat. Neque, si atrâ mortis caligine, sopitos oculos, intuemur, spes omnis vitalis lucis, animo ejicienda est. Quàm longè erret, ita qvi statuit, ipse, cui parentamus, docebit: qui semetipsum, longe diviniori, sustinens spe, in quodam publicè proposito Programmate; *Granum*, inquit è Zenone, *unius cujusq. frumenti, conditum terræ, interit, & tamen in eo id, quod intus est, revivìscit, nec mortem medullitùs capit; sed suum sibi genitale, in germen exspirans, vetusti corporis superficie deletâ, imò, in melioris raturæ jura, transmissâ, felix caput, comis virentibus*

 redi-

redimitum, quasi ab inferis emersum, in superna sustollit, perennitatis gloriam, fructu populoso, adumbrans: Sic verè aliquando erunt animæ, haustæ cœlesti fonte, eminentiores omni eluvione, & penitùs elimatæ, atq; sidere pulchriores, ubi resurgere erit, cum omnibus choris cœlestibus, lætari, triumphare, Deum perpetuò videre. Subjungit deinde qvædam, ex aureis Prudentii:

Pellite corde metum, mea membra, & credite, vosmet
Cum Christo reditura Deo: nam vos gerit ille,
Et secum revocat: morbos ridete minaces:
Inflictos casus contemnite: tetra sepulchra
Despicite: exurgens, quò Christus provocat, ite!

Quid potest animosiùs, Auditores? Et tibi, o MAGNA ANIMA, orietur aliquando illud tempus, quo, pristina receptâ sede, lætius germinabis. Sed nec hominum mentibus Te, ulla Fatorum eripiet vis, quem, oculis horum, subduxit ea aliquantulum. Eris semper virens PALMA, nec unquam Tui senescet memoria, sicut nec hujus viror. Immortalis celebraberis, qui mortales omnes, Tuis Tibi scriptis conciliasti. Numæ Romulei libros, CEDRI succo illitos, cariem non sensisse, referunt. Non ea nobis cura: Perennabunt tua scripta, solo tuo nomine munita: nec interibunt, tuæ Eruditionis monumenta, quàm diu erunt, qui, Magni FVCHSII, vocitare nomen callebunt. Non amittit svavitatis fragrantiam, ardua CVPRESSVS: perpetuum etiam exspirabit tua virtus odorem, nec, nisi cum ho-

minum

minum genere, obſoleſcent. Quanqvam & hi ſupereſſe ubi deſierint; nondum tu tamen, beatæ amœnitatis, expers futura es. Nam ſi, Indiæ arbor quædam, florem ſuum, nocte compreſſum, aperire incipit, exortu Solis: illuceſcet tibi qvoqve, nova, divini Solis radiis albeſcens, aurora, qva explicabis, cœleſti amœnitate germinantia, membra, qvæ, necis caliginoſa nox, coarctavit. Hæc, Auditores, ſedulâ mente qvi evolvit, nefas ducet, muliebribus lamentis, Magnum Virum, proſeqvi. Magno eqvidem ornamento, privatum hoc Auditorium, cogitabimus; qvoties vacuum id ipſum, hujus corpore, videbimus: ſed & beatitati gratulandum magis; qvàm, infirmo deſiderio, lugendam ejus amiſſionem, cogitabimus. Te itaqve, MAGNE ORATOR, cujus vultum videre, nobis conceſſum ulteriùs non eſt, gratâ ſaltem memoria, coli à nobis patere. Patere, humili voce, nos venerari, virtutum tuarum ſublimitatem; nec deſpice, terris altior, terreni oris præconium. Interim, cœli felix incola, novo æternitatis honore fruere, &, qvas toties divino ſtylo celebraſti, deliciis perfuſus, abſq; faſtidio ſatiare.

ORATIO VIII.

HONOR NOVISSIMVS, PIIS MANIBVS IVVENIS, AD SVMMA QVAEVIS, IN RE LITERARIA, NATI, LEVINI BABATII, VARNAMEGAPOLITANI, PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE STVDIOSI, AFFINIS, ET COMMILITONIS MEI, QVONDAM DILECTI, NVNC BEATI, CONSECRATVS.



Eternas amicitias, in fluxa, humanarum rerum omnium, inconſtantia, verè olim dixit Orator: quòd, cum omnia nata intereant, ſolæ hæ, ultra fatorum decreta, perennent. Neqve enim, cum amico, amor moritur: aut, ſi emoritur, amor non eſt. Amati ſiquidem virtus, cujus ſolius auſpicio, firmus amor eſt, robuſtusqve, ut, poſt funera etiam, vivit: ita eandem æternus amor ſeqvitur, qui non minus intermori unqvam poteſt, ſemper

per

per vivæ arboris, semper vivus surculus. Hinc ejus, qvi superest, animus, post fata etiam, colit, æternaturo flore germinantes, defuncti virtutes, & is amor verus. Sed & fortior videtur, in amatum, post tumulum, affectus, qvando negatum, ardentiore requirit cupidine. Ac mordeat licet, hæc defuncti amici memoria, nec id tamen sine voluptate; credo, ut in vino veteri, nimium delectat ipsa amaritudo; aut, ut, in quodam pomorum genere, acerbitas, svavitatem augere dicitur. Quid mirum jam, si parentandi munus, in me, susceperim, qvod fortasse recusarent Eloquentes? Amoris hæc imperia sunt. Et quid non audet amor? Mitto jam hujus vim, morte sæpius confirmatam. Miles certè fidus, qvod ille ait, vulnera lætus excipiet, enumerabit cicatrices, & transverberatus telis, in morte etiam amabit eum, pro quo cadit, Imperatorem! Adeò summum amicitiæ Sacramentum est, velle cum Amico vivere, pro amico mori! Ipse, Dea natus, Achilles

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,

tam devotus, in amicos, extitit, ut se & omnium asperrimos, & svavissimos tamen, pro amicis, sustinuisse labores, fassus sit. Quidni ego amoris impetu hanc, viribus licet imparem, Provinciam susceperim? Si insolens fecisse videar, excusabit amor. Si, diversorum judiciorum, petitus fuero ictibus; non sentiet, amore infectum, pectus. Tibi, LEVINE,

amor meus, hoc debeo munus, cum majus non possim.

En tua me Virtus, tua me spectata voluntas
Svavis amicitiæ quondam, perferre laborem
Hunc svasit.

Nec displicet, opinor, tibi, O excelsa Anima, quæ, soluta tui parte sequiore, de fortuna & morte triumphas, supremum amoris qveruli officium. Querulus namqve amor omnis est, negatâ præsentiâ amati. Ignosces si non, eâ dicendi gravitate, quâ plerosq; olim, permulcere solebas, manes tuos veneratus fuero. Simplex, & nudus, cum honestate, amor, non amat pictas verborum phaleras, aut exquisitos lepores. Memoriam mœstissimam, ac luctum reliquisti: quid svave, qvid concinnum, à mœrore, sperandum? Desiderat tamen, cum vivum te adhuc, & spirantem, amplecti non potuerit, ultimum persolvere, defuncto honorem, amor. In quo quidem non, ut multi solent, anxius quæro, quodnam faciendum sit initium. A teipso incipio, idest, quæ propria tibi fuerunt, commemoro. Neque enim tam indigus, domesticæ laudis, erat, Auditores, ut extraria jam onerandus sit: Neqve magnum est, aliena, avorum & proavorum, laudari laude. Quasi verò hæreditate, & non virtute vera, laus paretur.

Tumes alto Drusorum sangvine, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses.

Ani-

Animus facit nobilem, cui, ex quacunq; conditione, ſupra fortunam licet ſurgere, Stoicus inquit, Aeqve proinde fatuus mihi videtur, qvi Pygmæum filium, proceræ eſſe ſtaturæ credat, qvod magno procreatus ſit patre; aut doctiſſimam ſobolem, paterna æſtimet eruditione; & qvi laudem, à patria, aut avitâ, virtute, filio, nepotiqve tribuit. Longè felicior hic noſter, qvi ſuo dives cenſu, relegabat vanam hanc, fallacis Deæ, ambitionem: virtutem omnes provehere tenebat, hanc, ut qvisqve coleret, ita nobilem cenſendum. His actus ſtimulis, jam pridem pectus ſuum præparârat, nobiliſſimarum quarumvis virtutum ſacrarium. Nobilis gemma Opalus eſt, tanto aliis pretioſior, quantò plurimum, in una, collectum decus, eminet illuſtrius. Nam & tenuior carbunculi flammula, & fulgens purpura amethyſti, & virens Smaragdi mare, mirabili in hac miſtura lucent. Eò nempe dignius, aliis mortalibus, hujus erat pectus: qvò plures, in eo, ſedem poſuerant virtutes. Roſa illa videbatur, inter mundi ſpinas, & candens lilium. Creſcere iſtam, inter horridiſſimas ſpinas, qvotusqvisqve non vidit? Succrevit & hic, lætiſſimus, literariæ familiæ, ſurculus, inter, variarum moleſtiarum, quosdam velut ſentes. Neqve enim, per delicias & ludos, ad eam, qvam audiemus, eruditionis perveniſſe laudem, putandus: qvi accuratius penſitabat, labore ſua Deos vendere; nec niſi vigilando, & agendo, proſperè omnia cedere. Hinc qvæ hominis

minis curæ, qvæ ſolertia, qvot vigilatæ noctes, quot ſolidi conſumpti dies, ut, quod ſuſceperat ad muſas iter, pertinaci labore perageret? Diem periiſſe ſibi qverebatur, quo non defatigatum eſſet, ſtudio ac labore, corpus. Ita benignæ naturæ, à qua, ante annos, maturum nactus erat ingenium, gratus erat, qvi tale ingenium induſtria alebat. Cleanthes ſuam, divitum vitæ, hoc nomine præferendam cenſebat, qvod, dum illi pilâ luderent, ipſe fodiens duram humum, exerceret. Tua vivendi ratio, ô lectiſſime Juvenum flos, qvot præferenda erit? qui, dum corpori indulgebant alii, arduis occupatum animum colere ſolebas. Teſtes vos eritis, qvicunqve hominem noſtis, qvantillum otio, quantum curioſæ, rerum abſtruſarum, indagini dederit. Neqve tamen, ob id, moroſior, neqve ingratior viſa fuit, aut moleſtior, ejus converſatio cuiqvam: niſi qvi Roſam, quod de ſpinis naſcatur, faſtidire velit. Sed & hic, & iſte, vah! immane qvantum errat! Roſa namq; annon, ſvavitate, fragrantiſſimi odoris, perfuſos omnes allicit? quæ non ſolum in deliciis mortalium habita, lætis conviviorum ſolennitatibus, olim adbibebatur: ſed &, Diis ipſis ſacra, dicebatur. Atq; non minorem, gratiſſimarum virtutum, fragrantiam, cũ flos hic tenerrimus ſpiraret, qvî non hominibus pariter, ob amabile ingeniũ; & cœlo ipſi charus fuiſſet, atq; acceptus, ob religionem? Deo dicatam gerebat mentem, qvæ, divino Chriſti ſangvine, tin-
cta,

cta, qvavis Rosa amœnior purpurabat. Hinc certissima in Deum fides, qvæ infinitos amoris spargebat radios, qvibus multorum, & optimorum, animos, splendidissimæ faculæ instar accendebat. Et jam tantũ, boni pleriq;, hominẽ amabãt, qvantũ ipse literas: Jam, qvantum in his ipse; tantum in amore progrediebantur alii: qvando tibi, meus amor, sola infensa mors, omnibus eripuit amatum. Castitatem, A. si in Aegyptiis literis fides, Rosa, matutino tempore decerpta, notabat: ast qvæ clarior castitatis effigies, ac in te, meus amor? Sæpius cogitabo, qvanta, purissimo tuo pectori, divinæ hujus virtutis insederit veneratio: qvi minus castum verbum, non proloqvi ipse, sed ne audire, ab inverecundâ impudicitiâ, prolatum, sine rubore solebas. Vix ullum hominum genus A. (si hoc non indigni nomine) tam inexpiabili aversabatur odio, quàm, qvi erubescere nescientes, nescio qvas, obscœnitatum effutiunt nugas. Auribus hisce, ejus indignationes, qvoties hausi, qvibus eosdem detestari, & proscribere consveverat? Quid futurum de illis esset, admirans, ubi, futilium quondam verborum, reddenda foret ratio; procul à se esse, ejusmodi impudentiam, juberet Deus, & quæ alia, purissima mens suggerebat. Ac qvandoqvidem castitatem amitti, cum antiqvo illo pietatis cultore, statueret, nimiâ cibi potusqve expletione, somni satietate, otio, & garrulitate inani: proh! qvanto studio, illecebras istas, & blandas fugie-

giebat pestes. Vos compello A. anne unqvam, ad compotationes, & alia, ejus generis, blandimenta pertractum videritis? Non admittebat generosus animus, tam fœdam belluam, qvod, libidini præludere eandem, probè nosset: Contra nihil in homine innasci mali posse, qvi sapientiæ fundamenta, temperantiam & continentiam, jecisset. Sed ô castissimam Rosam, vere, & nimis maturo, avulsam tempore! Inviderunt te suprema fata, huic effœto virtutum seculo, &, in cœlestis Paradisi viretum, intra qvod nihil immundum recipitur, translocarunt. Elapsâ vix, juventutis tuæ, aurora, purpura læte vernans, in pallorem defecit. Quanqvam qvid inquietem svavissimam requiem? qvidve profanem divina, beatissimæ mentis, gaudia? Maneat pura, qvàm nactus es in cœlis, voluptas, qvi puri candoris, in terra, simplicitate delectabaris. Lilii eximium candorem, deprædicat solertissimus Plinius: at qvis hujus? Quis jucundissimam illam, cordis & oris, harmoniam? simulationibus ac dissimulationibus, cum illo Hectoris, & Trojæ pariter eversore, qvam claustris Erebi, infestior, ingenuâ integritate gaudebat. Nam, cum mentis qvoddam speculum sit, cum sermone, vultus; jam non fungi suo munere hæc putabat, si mentirentur, & non ipsum exprimerent animum; sicut ea maximè, è speculis, probarentur, qvæ qvàm optimè vultum exhiberent. Et dignus ingenuo homine genius! Nam, nullis velatus nubibus,

bus; ſol, pulcherrimus demum apparet: ita formoſiſſimus animus, qvi ſine Larvâ, qvalis eſt, ab omnibus conſpici vult. O laudem eo nobiliorem, qvò rarior, deſperato huic mundi ſeculo! In qvo, ut vaferrimè dolos, fraudesqve nectere calles; ita prudentiſſimus, ſi Diis placet, videris: vel, ſi rem, remoto velo, introſpicias, fœdiſſimum mendaciorum mancipium. Veteres Romanos adi, quo tempore

Moribus antiquis florebat Roma virisq;

cum nuda virtus colebatur, inque pretio ſimplex erat veritas: &, qvæ eorum, in re graviſſima, mens fuerit, inqvire. Indignos ingenuo homine ac libero, mores hoſce putabant: nec cadere proinde, in generoſum animum, debere ſervile vitium, qvi ante proiiciet, qvam mendacio vitam commaculet. Ad eam normam, hujus effictus animus, nihil vilius ducebat, qvàm datam fidem fallere; nil glorioſius, qvam ſincerum profiteri candorem. Sed patent hæc omnia, vel nullo commemorante: indicabat namqve amictus, qvalis morum in pectore eſſet conſtitutio, qvi cum ſimplici puritate, absqve ullo affectatæ variationis fuco, notabilis eſſet, qvomodo non, de morum ingenuo candore, pronunciaſſet? Roſam qvandam centifoliam, à foliorum numero, dicunt, quæ tamen, nulla alia re, probabilis ſit, niſi pomposâ plurimorum foliorum varietate; Odor in ea nullus, minor virtus: ſic multos reperias, in

qvibus, præter ſuperbarum veſtium fucos, nil probes. Non eras, ô integerrime Juvenum, vanitatis ejusmodi ſectator, ut, ab externo veſtium ſplendore, eſſe commendabilis velles: non aucupabaris, plus qvam fœmineo corporis cultu, vanam gloriolæ curam. Nullæ in te frontis criſtæ, nil in corpore variegatum, pictum, diſſectum, aut, ſi qvod aliud, ancillans libidini ars, ineptiarum monſtrum produxit. Humiles animos fecem, illuſtri veſtium fuco, velare putabas; ſicut profundiſſimum cœnum, ſæpè veſtit fragilis ceſpes: Prudentiam contrà, moderatum amare veſtium decus, & ſemper aliquid, in iis, neglectus oſtendere. Nec vana opinio; qvæ namque laus, à faſtuoſo illo veſtium apparatu, ſperanda? An ſapientiæ & ingenii? Scilicet, (liceat alienis hæc potuis, qvam meis, exprimere) in veſtem à te effuſa, habitare ibidem credentur; alibi, ne quærenda. An magnanimitatis? Non deſcendit, ad levia hæc nugamenta, magnus animus, quæ in fœminis, ingenii quandam maciem, arguere novit. An fortitudinis? Imo mollitiei, quam quid aliud, niſi mollis veſtis notaret? Atqve hinc qvid mirum, ſi tu, feliciſſime Juvenum, magno judicio vanas iſtas, atq; inſipidas mentes faſtidieris? & vilioribus, ſuperſtitioſam corporis curam, relinquens, ipſe Muſarum totus, ad id, qvod qvisqve ſumus, animum nimirum, ejusqve cultum, te converteris? Eum nempe unum, ſupra corpus, habebas, eum diſciplinis, eum arti-

artibus, & ſcientiis imbuebas, eum denique, veris ſapientiæ bonis, exornabas, quæ nec mors eriperet, & ſola hominem, ſupra vulgus, poneret. Sapientiam Roſis notari, Mileſiarum fabularum ſcriptor, teſtis eſt: ad iſtas guſtandas, quamdiu mortales non aſpirant, bruti, & aſinino quaſi contecti corio, torpeſcunt; mox ubi Roſas carpſerunt, ilico exuunt brutale ingenium, fiuntqve animâ rationali potentes, & verè homines. Tuam ſanè divinam ingenii vim, beatiſſime Juvenis, qvis non fuit admiratus? qvis non, fragrantiſſimæ ſcientiæ tuæ, odore delectatus? Quod ipſum adeóne te, invida mors, urebat, ut, ſplendidiſſimum decus, familiæ literariæ ſubduceres? Adeò nil perfectum, nil abſolutum, terris credendum, ſtygia tua tyrannis indulget? Sed ignoſcite, A. huic non iniquæ, ut puto, indignationi, qvam, ab invito, amoris expreſſit vis? Quis non doleret, ex tanto eruditionis penu, nil, præter inanem, & luctuoſam memoriam, relictum eſſe mœrentibus? Vel num laterejam poſſunt, qvenqvam doctiſſimæ ejusdem oppoſitiones, orationes nervoſæ, reſponſiones ſolidæ, qvibus partim hi ipſi parietes, partim aliæ perſonuerunt cathedræ? Quis audientium tacitus velut applauſus? quæ voluptas? Verè, & ex animo, dico, (qvid torvum vides, invida frons, quæ ſola ſapientiam ſomnians, reliquos alto deſpicere ſupercilio, aut frivolis agitare ſannis gaudes? Inſultaſti vivo: parce defuncto, vel, qvod libet, agas)

agas) verè tamen dico, vix ullam, reſtitiſſe, ſecretioris Philoſophiæ, particulam, qvam non modò non pervolviſſet, ſed & abſolviſſet fermè, felix induſtria. At cujus hominis? Cui nondum ſtatam ætatem natura tribuerat, cui vires corporis, nondum perfectæ erant, & conſummatæ. Tanta animi vis, tantus mentis impetus, quo in ſciendi amorem ferebatur! Hiſtoriarum antiquarum monimenta, è quodam, qvaſi divino, mentis promptuario proferebat, tam facili promptitudine, ut memoriam ipſam ſtupeſceres. Mathematicas inprimis diſciplinas, tam curioſa pertractabat aſſiduitate, ut induſtriam nullus non miraretur. Sæpius audire ex eo memini, qvàm difficile fuerit ſibi, ex hac amœniſſima diſciplina, cum urgeretur, in præſcriptum ab aliis, Theologiæ, portum ſe conferre. Sublime videlicet, & acutiſſimum, ingenium, ſubtilitate veriſſimarum demonſtrationum, ad rerum reconditiſſimarum notitiam trahebatur, nec quicqvam, niſi æternum, ſpirabat. Quid multis? Apiculam, A. omnibus inſidere floribus, ut de ſingulis utilia carpat, noſtis: eadem eruditionis comparandæ ratio huic noſtro, qvi nullius rei ignorantiam ſuſtinens, undiq; utilia colligere decreverat. Ex variarum diſciplinarum mixtura, eruditionem conſtare, in, perfamiliari ſibi, Stoico didicerat, ut è diverſis vocibus chorum. Hanc ipſam verò, admirabilem doctrinæ vim, naturalis quidam deprimebat pudor, & verecundia, ut, cum pluri-
mis

mis præſtaret, nulli prior haberi, aut, infra ſe contemnere alios, viſus fuerit. Sibi enim idem contingere perſpiciebat, quod iis, qui pelagus audaciſſimâ navi ſunt ingreſſi, ut, quo altius provehantur, hoc longius à vado ſint: ſæpius hinc, eruditiſſimorum more, diffiſus ſibi, multis deſtitui ſe dolebat, quorum cognitione flagraret, nec tanta ſe ſcire, quanta neſciret, fatebatur: ſicque, quod veræ ſapientiæ eſt, neque omnia ſe ſcire putabat, cum Dei id eſſet, neq; omnia ſe neſcire, quod pecudis; ſed medium id, quod homini convenit, ita ſcientiam, cum ignoratione conjunctam, & temperatam tenebat. Quandoq; in re dubiâ rogatus, judicium aut ſuſpendebat, aut verecundiæ ſuffuſus rubore, paucis profabatur. Roſam dixiſſes, nativo purpuræ igne, rutilantem: qui, ſi verecundia index creditur, non equidem aptiori nomine hunc deſignavero. O pulcherrimam, & ſplendidiſſimam in vita, vultuque hujus juvenis, gemmam! O veram, & minus dubiam, bonæ ſpei nunciã! Si modo non ipſa ſpes, inopinato bonorũ eventu, anticipata videtur. Nam non jam, intra florẽ, ſe continebat, feliciſſimũ Muſarũ germen; fructꝰ maturos partim jam præbebat, partim proximè, à maturitate, diſtantes oſtendebat. Roſam, ob innumeros, quos præſtat, uſus, quis ſatis decantaverit? Peculiaris id eſſet induſtriæ ſpecimen: quibus enim non fructui eſt Roſa? Folia capitis vertiginem ſiſtunt; liqvor, ex iis arte ſtillans, oculorum intempe-

riem

riem ſedat; oleum, arte expreſſum, quos non improbos cruciatus domat, & dolores? Imò, ſi, rebus omnibus probè ſubductis, calculum ponas, vix ullum, univerſi corporis, membrum exiſtere deprehendes, cui non, ſi uſus poſtulet, ſuccurrat Roſa. Nec ullum, è nobis, eſſe putaverim, cui non promptiſſimis officiis inſerviiſſet, ubi ipſa neceſſitas tuliſſet. Sed benè de omnibus merendi ſtudium, ne vulgare nimis afferre videar, mitto. Alios dico fructus, & uberiores bonæ mentis fruges. Nam & aliorum, quibus ob ſpectatam virtutem, & Eruditionem erat præpoſitus, feliciſſimè informabat animos, eosque, errorum cœcutientes tenebris, illuſtrabat. Quippe non ſibi ſoli, ſed aliis quamplurimis, natum ſe reputans, prodeſſe illis, pro virili, ſatagebat. Inſignem inde religio, ſibi pollicebatur expectationem; ſuum Academiæ, &, quæ hujus ſeminaria ſunt, ſcholæ gaudebant incrementum, creſcentibus annis, acccreſcere. Nam & haſce, & iſtam, & illam, muneribus obeundis, ornaturus videbatur. Quod feciſſes ſanè, piiſſima mens, niſi aliter ſupremum Numen voluiſſet? cujus quam non deceat obloqui voluntati, te ipſum adhuc audire videor præſentem. Ipſi cognoſcite, Auditores, ſi quicquam gravius, de hoc ipſo, proponi poſſit, quàm quæ hujus divina ſvada, è cathedra, paucis, ante fatalem terminum, ſeptimanis proferebat. *Non decet*, inquiens, *hominem, cui nil quàm ſervire convenit, Deum rationes facto-*
rum

rum expoſcere. Sola hic obedientia tenet palmam, ubi ſola inobedientia invenit pœnam. Neq́; enim injuſta imperabit, qui totus, quantus quantus eſt, juſtitia eſt: non demandabit abſurda, cujus ſapientiam, nec mens unquam concepit, nec ulla vox complexa eſt. Tu, ſumme Jova, eam mihi inſpirato mentem, quæ nunquã ſuſtineat, tremenda tua dicta violare. Quid videtut, A. annon ſat nervosè, & pro, maturioris ætatis, gravitate? Credo equidem, jam tum fati ſui præſcium vatem, paviſſe ſe ipſum cœleſtibus dictis. Vide enim: unâ, atqve altera, elapſa hebdomade, graſſantis adhuc luis afflatus æſtu, demarcuit, &, qui ambroſium quondam ſpirabat odorem, decidit,

Purpureus veluti cum flos ſucciſus aratro,
Langveſcit moriens, laſſove papavera collo
Demiſere caput.

Roſam credite, A. cujus ut ſumma ſvavitas, ita repentinus interitus: aduſta vel Solis calore læditur, ut, qvæ ſplendida, ad orientis Solis radios, floruit,

Mox moriens flectat, Sole cadente, caput.

Hanc tamen, nec arefactam, omni orbatam nobilitate, ſuperſtes adhuc ſvavitas, &, fere inexplicabilis, edocet uſus. Nec lectiſſima hæc juvenum Roſa, dulciſſimos ſpargere odores deſiit, cum &, ſub ipſo mortis certamine, langveſceret jam. Quin exactam, ſi creditis, moriendi videtur reliquiſſe normam. Poſtquam enim denunciatum ipſi eſſet, inſtare decretoriam horam, nec ſpem concedi reſtituendæ ſanitatis;

cogitaret vitæ hujus exitum, qui in beatoris ſtatum, futurus eſſet ingreſſus: nihilo commotior factus, Dei placita, ſibi placere reſpondit. Hinc, ad æternum mundi ſoſpitatorem, converſus, nec, ab hoc repulſum ſe iri ſtatuebat, quod neminé repuliſſe conſtaret. Quæſitus, numquid horrore mortis, angeretur animus? Spe futuræ beatitatis, quâ Chriſto jungendus eſſet, fluctuantem, ut ſumus homines, ſuſtineri ſe, intrepidè profeſſus eſt. Diem hunc extremum terreſtris, natalem æternæ fore vitæ. Diſperſum iri osſa ſua, pulveris in modum, quæ tamen collecturus eſſet, divinæ gratiæ favor. Tum verò, quæ ſanus adhuc aliis, divini amoris nectare ebrius, perſuadebat aliquando, ingeminari audiiſſes, quibus, jam languentem, animum reficeret. *Juvenis mori horrerem? At quid refert, cum in mortem natus ſim, citius an tardius curſum expleam? Propior mors, propior ſalus. Senex moritur, qui mori didicit. Vexentur aliis cogitationibus Ethnici, queis nulla ſalus ſperanda: Pii metiuntur ſe, non annorum terminis, ſed beatâ æternitate, quæ nullum agnoſcit terminum. Mors hæc, non mors, vitam feret, quam nunquam eripuerit. Quid renuam adire tenebras? quæ colluſtrabunt me Sole juſtitiæ, pro quo vilia ducam, quæcunq; relinquuntur. Mortem gaudiis terminari novi, nunquam malè mori novi, qui, Deo jubente, moritur. Qui divini amoris flammis purpuraſcit, clarior micabit in conſpectu Dei, quàm, inter faces cœli minores, aureus Sol radiat. Dei amore nemo perit, &*

qui

qui ita perit, æternum vivit: Nil amori difficile est. Nihil Dei amor mihi negavit quicquam. Confide anima, momentum temporis est; cujus dolores felicitas, nunquam desitura, affatim compensabit. Jamq; scio astare mihi, sanctissimos Dei genios, te excepturos, quam divino sinui illatam, cœlestibus paradisi gaudiis foveant. Hæc & alia, quid dubium est, moribundum mente agitasse, qui, incolumi corpore, eructare eadem auditus est. Imò & tum auditus fuit ab omnibus, qui præstò fuerunt. Quibus cum supremum Vale dixisset, grato item animo beneficia, ab omnibus præstita sibi, prædicasset, erectâ tandem mente, *Scio*, inquit, *quod redemptor meus vivit, & in novissimo die, de terra resurrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Macte ista fide, isto animo, mi LEVINE, perrupisti beata loca illa, quæ Apostolus cum vidit, impos sui erat, nec adhuc è corpore recesserat. Non mortuus es, qui in cœlo vivis; inqve eo, qvod, plenus pia spe, tibi vivo ipse promittebas, revera expertus, contemnis hujus vitæ procellas, & triumphanti clamas voce: Per Dei gratiam, ineffabilem, in mundum veni, vidi, vici: Sed & ego adhuc teneo te, & tenebo! Ego enim, ut sincerum illud pectus, ut divinam ingenii sublimitatem oblivifcar? Ego, ut svavissimam, nostræ conversationis, memoriam ex animo deponam? Rubens Jovis dextera, extima non lædit, ad intima pe-

netrat: Tu divini ingenii radiis, non vultum; ſed medullas accendiſti. Vivet in iis purus, ut ipſe eras, ac fuligine, ſordibusqve ignobilis vulgi, altior amor. Ab amico abiiſti, ab amore non abeo. Vives, vives, in hoc pectore, beatior cœli pars! Adhuc diverſatur, in oculis meis, humaniſſima LEVINI facies, & in animo, memoria LEVINI mei, nec, niſi cum corpore, ſejungenda. Vives in tot Excellentiſſimorum, Præſtantiſſimorumqve, virorum animis, quorum propenſus favor, & optima voluntas, in cineres qvoqve tuos, hoc ipſo momento, clariſſimè fulget: quando non modo virtutibus tuis, hunc decreverunt honorem; ſed & (qvod beneficium à nobis, quos ſuperſtites divina voluit indulgentia, indies celebrabitur) ipſi, juſtis tibi ſolutis, adeſſe voluerunt. Vives, cujus tumulum Muſæ, puriſſimæ virgines, quæ te amarunt, doctiſſimarum lacrymarum rore irrigarunt, unde perennis immortalitatis fama, qui non expullularet? Quieſce modo ſecurus, in iſto, magnæ ſecuritatis, horto: in qvem te ipſa, ſummi Hortulani, provida mens, adverſus mundi hujus tempeſtates, abſcondidit. Orietur olim novum, æterni veris, auſpicium, ſub qvo tu etiam vireſces, nobilis cœli Roſa, qvando, qvæ exul carnis modo eſt, anima, corpori juncta, in amœnisſimis, cœleſtis Roſarii, deliciis, læta ſucereſcet, divino, cœleſtis juſtitiæ, Sole refota, & nutrita. Hujus ſerenitate, novo animatus calore, vigebis, qui emarcuiſti

cuisti jam, lethali fatorum torpens frigore, incorruptibilis Rosa. Nullis tum, inclementioris brumæ, æstusve obnoxia molestiis, lætissimum, inter spinas, exeres caput. Non illas quidem, mundanarum adversitatum, turbidas; sed diviniores, è Servatoris fulgentes capite. O felices spinas! Feliciorem Rosam, cui per istas, nova vita, novusqve paratur vigor! Quot spinæ, tot rivuli purissimo, ipsius Dei, manantes sangvine, cujus roseo liquore infectus, purpurasces, intermina amœnitate germinans, & nunquam intermorituro conspicuus decore, æternùm radiabis.



ORATIO IX.

NATIVAM

AMOENISSIMI,

QVOD

IN MEDIO SACROSANCTAE ECCLESIAE HORTVLO, è RADICE ISAI, SVMMO NOSTRVM OMNIVM BONO,

TENVITER ORTVM,

FELICITER SVCCREVIT,

LAETEQVE FLORVIT,

GERMINIS PVLCHRITVDINEM, NON TAM ORATORIO COLORE EXPRESSVM, QVAM SIMPLICI MEDITATIONE ADVMBRATVM, EXHIBENS.

DVm divino ſurculo, ſanctiſſima Jeſſæa arbor (arbor Palæſtinæ nobilis, quæ tot graviſſimis bellorum tempeſtatibus quaſſata, tantum non, ab ima radice, fuit evulſa, qvia cœleſti conſilio animata fuit, & refota) germinat: lætitia inſolita, per univerſos terrarum divagatur tractus, & fauſtiſſimis gratulationibus, tantæ feſtivitati debitis, ipſas beatiſſimas ætheris mentes implet. Et, è mortalibus quidem, mirantur alii, novo rei miraculo attoniti, quo tempore arboribus ſuus ereptus honos; quo agri, ſterilitatis opprobrio ſqualent; quo deniq;, dira frigoris auſteritate, omnis ſublatus vigor eſt, atqve vis: eo nova, & inauditâ, amœnitate, ſanctiſſimum Eccleſiæ florere hortulum. Alii nova ſpe erecti, nobiliſſimum, tanti germinis, florem, & hujus ſaluberrimum fructum, mente jam concipiunt, qvæqve inde, feliciſſimo incremento, expullulatura ſunt, juſtitiam, pacem, &, qvicqvid eſt ſvaviſſimarum virtutum,

tutum,laudabili ſagacitate prævident. Alii, qvibus nihil aliud rei novitas reliquit, gaudio tantum, tam beato, fruuntur, qvid dicant,agantve,ipſi dubii & incerti. Alii etiam, quibus divinior animus, in laudes toti effuſi, ineffabilem cœlorum Regis clementiam, quâ virginei pudoris clauſtra irroravit, ut beatiſſimum hinc miſeris, & deſperatis prope, mortalium rebus, ſuccreſceret germen, prædicant. Eadem lætitia mentes noſtras, Auditores, invadat, ut, qvi dies, exſurgentem, tenerrimum hunc floſculum, primò aſpexit, eum ſolenniori celebremus cultu; qvodqve, nec ſine reverentia angeli, nec ſine horrore Dæmones, recordantur, opus,gratâ memoriâ,recolamus. Abſit tamen curioſa ſubtilitas, quâ multi,ſacratiſſimi myſterii rimantes abdita, rationis cancellis,cum tamen hos, majeſtate ſuâ,infinitis modis excedat, comprehendere laborant. Non eſt humanæ mentis,res, ſupra rationis poſitas acumen, ad iſtius exigere regulam: nec proinde tantæ rei exquirere modum decet, quam, mirandam univerſæ terræ, propoſuit cœli ſapientia. Humili magis, quod ſolum humana poteſt imbecillitas,devotione, miremur tantum beneficium: cujus, ſi perſpicere ſublimitatem non valeamus, fidei ſimplicitate amplectamur miraculum. Videamus generoſiſſimum florem, qvàm prodeat humilis, quàm amœniſſime floreat, quàm,ubere fructuum proventu, beet omnes. Ortus lætus, ortus mirabilis, ortus omni

omni cogitatione major! *Generationem ejus quis enarrabit?* Hortus conclusus virgineum erat pectus, qvod nullius conscium viri, nulli patuerat libidini, cupidini nulli: qvod, solo cœlestis gratiæ rore, fœcundum, formosissimum produxit flosculum. Miraris? ita è terra provenit flos omnis, Pythagorâ dicente, in terris Matrem, in cœlo Patrem habens. Ita provenit magnum hoc germen, postquam cœlitùs promissum, inter mortales conspici voluit. Virgo filium peperit; homo Deum: Matrem nesciens, genitus à Patre, in cœlis non natus; in terris non genitus, nascitur ignarus Patris. Sic, qui DEus, ante tempora credebatur, versatur inter homines, in tempore factus homo. Sic cœlum linquens, in terras descendit, qui, cum cœlo, terram omnem, infinitâ Majestate replet. Adoratus in cœlo Deus, infans in terris affligitur. Nascitur in terris Deus, qui nascentem mundum produxit. Cœlo nupta virgo, quod non capit, rerera experitur; Matrem se citiùs esse, quàm conjugem: obscuram se, vixqve notam ante cuiquam, peperisse divinæ gloriæ splendorem, creatorem suum: à qvo ipsa facta erat, hominem factum intuetur, & inter oscula, contrectat: Lacte etiam suo, ipsum Mundi Nutricium, pascere incipit. Nec mirando satiari potest, inauditam fœcunditatem, illæsa Virginitas: nec, nisi Dei verbo illustrata mens fuisset, oculis fisa, quod videt, credit. Sedet, juxta integerrimam Virginem, Josephus,

phus, Sponſus priùs Virginis, nunc & curator infantis, qui & ipſe totus adhuc ſtupens, inſolita omnia, nequaquam capit. Sed mirari tandem deſinite, piiſſimæ mentes: neqve enim partus hujus modum, cum imperſcrutabilis ſit, perveſtigabitis; neqve exemplum, cum novus ſit, & inauditus, reperietis. Tu tamen, quicunque nihil, niſi mentis oculo perſpectum, credis, dicas mihi, incredule, quemadmodum arida virga Aaronis fronduerit, & floruerit, & nuces protulerit; & ego dicam tibi, quomodo Virgo conceperit, & pepererit: ſed profectò, nec tu virgæ poteris explicare conceptum, nec ego virginis partum. Concedas Deum aliquid poſſe; qvod inveſtigare non poſſit homo. Olim, completo nondum Mundi opificio, fovebat almus Dei Spiritus, quæ tùm erant creata, & nova ditabat fœcunditate: Idem æthereus ignis, miraculosâ obumbratione, Virginea fœcundabat viſcera, quod paulò ante, ab Angelico Vate, acceperat felix puerpera. Pluvia rigata humus, feliciſſimè protrudit germen, producit fruges, floribus pingitur florida: Pluvia ea Divinæ gratiæ, cœleſtis Spiritus eſt, qui largiter effuſus, in beatiſſimam Virginem, ſtupendo miraculo, germinare eandem fecit, ſacrâ propagine. O Divinum fœtum! O puriſſimum fœtum! Euge mortales! jam benè ſperare decet, qvoscunqve, humanæ Nativitatis, turbabat ſqualor. Hujus ætherei floris ſangvine, quodam veluti nobiliſſimo balſamo, labes

eluetur mortalium hæreditaria. Læti ad hunc accedite, læti ad Deum venite, qui jam nulla re alia, nisi peccato, à vobis differt. Quid mussitas, scelester Marcio, anne è cœlis sidereum, in terras, corpus secum tulit Servator? qvid somniatis, imaginarium Christi corpus, Manichæi? non è cœlis, non ex aëre producuntur germina; in terris nascuntur, in iisdem succrescunt. Nec in cœli sedibus, germen hoc justum protuberavit; sed in terra & ortum habuit, & incrementa sumsit. Tum verò neqve differre, ab ipsa arbore, surculos videbis: neqve proinde aliud, à Matris corpore, sobolis fuisse corpus dicendum. Imò *quemadmodum pueri communicaverunt carne & sangvine, sic & ipse participavit iisdem. Et hoc est, citra controversiam, magnum illud pietatis mysterium, Deus manifestatus in carne.* VERBVM CARO FACTVM EST. Hoc illud admirandum Vnionis secretum, quo ut Pater & Filius, in triunâ Deitate, unum sunt; ita, cum homine, Deus ipse fit unus. Nunc, quia in sui unionem, à Creatore, assumitur creatura; arctissimè, cum creaturâ, jungitur creator. Nunc gloriæ Princeps, Deus exercituum, orbis Rector, à cujus facie commota terra est, miseræ mortalitatis subit sortem. Divina Creatoris imagine, insigniebatur olim homo, nunc hominis sibi imaginem, sumit Creator. Ita conveniebat, ut, qui, sub alienâ formâ, imposuerat homini, stygius prædo, sub alienâ item forma, circumveniretur à Deo ipso.

ipso. Ita fas quoqve erat, ut, qui ablaturus hominis noxam erat, ejus quoqve susciperet naturam: & sangvine, sine quo nulla reconciliatio, ex hominibus sumpto, Divinæ iræ restingveret ardorem. *Exulta jam satis filia Sion! jubila ô filia Jerusalem! ecce Rex tuus, venit tibi! Egredimini, & videte, filiæ Sion, Regem vestrũ, in diademate, quo coronatus est.* Intremus, videamus, *ubi pascat, ubi cubet, quem diligit anima nostra!* Oblectemus nos ejus intuitu, *qui speciosus est, præ filiis hominum.* Nam si florum omnium, grata nobis est svavitas, quod & visum, & sensus ferè omnes permulceat; quantò major, hujus formosissimi flosculi, erit pulchritudo? *O flos campi! O lilium convallium! Verè pulcher est dilectus noster, candidus & rubicundus: electus ex millibus, & totus desiderabilis: Caput ejus aurum optimum: Oculi ejus columbarum, lacte lotarum: Genæ ejus areolæ Pharmacopœorum: Labia, lilia destillantia myrrham primam.* Hæc species nostri Regis, qvam contemplari & Angeli desiderant. Hic jam, si votis locus esset, qvis non, cum Augustino, decorum hunc, in carne, videre optaret Redemptorem? Nunc cum frustra ea vota nuncupentur, mentem saltem, svavissimarum rerum memoriâ, pascamus: cumqve concinnus hic exterioris, in Servatore, corporis habitus, animi intrinsecam loquatur pulchritudinem; hæc quantò accuratiore, videnda erit solertiâ? Certe ut major, à variis florum svavissimorum, inter se mixtis, generibus, existit gratia:

ita longè jucundior, ad nos, pertinget oblectatio, ab hoc Davidis germine, in quo conspirant nobilissimi, fragrantissimorum florum, odores. Nam & pallentem VIOLAE flavedinem, ejus submissio; & LILII candorem, ipsius puritas; & ROSAE deniqve flammulam, ejus superat amor. Quandoqvidem, sacræ huic meditationi, præsens destinatum nostis tempus, pià agite! sedulitate, percurramus ea omnia. Ac principiò qvidem, qvis ejus amoris vim, quo purpurabat nobilis hæc cœli Rosa, enarret? Riget sanè omnis, facundiæ humanæ, promptitudo. Tu ad DEum ut venires, ô homo, venit ad te ipse, è cœlis, Deus: Annon amor? è throno sublimis Majestatis, ad afflictissimæ vitæ ærumnas, descendit Rex Regum, & Dominantium Dominus. Amplexibus se offert tuis, Sponsus cœlestis animæ. Nocte oritur intempesta, Divinæ justitiæ Sol, teque ut illuminet, vera lux, in tenebris, lucet. Ad cujus imperium lux producta est, noctis infestatur injuriis. Brumalis horroris molestias non horret, amoris igne flagrans, temporum moderator. Alto somno sepulti jacebant proceres, &, pigro calore, delicata fovebant membra, cum, inter vigilias, & algorem, lachrymas effundit, Sospitator Deus. Delicias passim, & voluptates, hominum sectabatur genus, & continuis cruciatibus se exponit Dei amor. Salve, euge salve! Divine infans, voluptas populorum, spes lapsæ gentis, Sidus Cœli, flos Terræ! Téne, potentis-

tentiſſime DEVS, ut lapſam homini erigeres ſalutem, infra homines poſitum? Téne, omnipotentis filium, ſuperbiam noſtram, tua humilitate; noſtrum luxum, tua egeſtate, expiaſſe? Naſceris nudus, nec ſuppetunt faſciæ. Et humi, credo, nudus jacuiſſes, niſi cunarum vices, præſepe quoddam olidum, ſuppleviſſet. Ad hæc ſtabulo exciperis, hoſpes, de cœlo, DEVS; infra cujus ſublimitatem, & celſum Auguſti Palatium erat. Fœno, qvod jumenti ſedata fames reliquerat, tenerrima levas membra. Adeò (pudet dicere, neqve enim, absqve gravi hominum infamiâ, dicitur) major ubiqve brutorum, in Creatorem, exiſtit reverentia, quàm, qvi divinæ mentis particulam gerit, hominis. Quem namqve hujus pellit inhumanitas, recipit iſtorum inſveta manſvetudo. Cui ne minimum iſta exhibere ſuſtinet officium, hæc, ad miraculum usq;, miniſtrat. Atqve hæc, qvam audiviſtis, ejus purpura: iſtæ ſtragulæ, quibus, qvæ Deitatis ſedes eſt, corpus ſternitur. Hæ adventantis ad nos deliciæ, qvi, cœli æternis deliciis, beaturus nos erat. Ac, inter iſtam, novæ vitæ, egeſtatem, qverulo vagitu aëra complens, de futura, qvam jam prænoſcebat Omniſcius, hominum conquerens ingratitudine: *Vide*, inqvit, *meam, ô homo, beneficentiam, cùm dives eſſem, propter te pauper factus ſum, ut tu meâ paupertate diteſceres. Altiſſimus cum eſſem, imâ humiliatione mei, tu ut ſublimareris, volui. Terræ Dominus, ſervi fero imaginem. Cœleſte ſolium*

 deſe-

deserui; ad te in terram, properavi: quam vix accessi, & jam sævissimis, adversitatum, expetor ictibus. Famem, sitim, frigus, dolores, ærumnas, & pertuli jam, & perferam imposterùm, tibi salutem ut acquiram. Cælum ipsum, quod mei hi digiti formarunt, testor, non restare, quò amplius me dimittam, quippiam. Tu quid interea? Humilitatem spernis, quâ tibi obtigit salus, & alto elatus supercilio, sortis tuæ oblivisceris: imò, quod humilitate tibi promeriturus veni, vanæ superbiæ inflatus typho, perdis. O homo! per salutem te tuam obtestor, quid temetipsum properas, superbiendo perdere? Quid auro gemmæ intertextæ? quid serica, quibus, ad superstitionem, corpus oneras? Vel an commendabunt te isthæc mihi? Næ erras, si ita autumas. Me respice; Natus ego, non inter diademata, & purpuras, sed pannosam egestatem; non sceptris, sed ligonibus, prima, tanti gaudii, nuncia revelo. Ita semper in excelso, & in sancto habito, & cum contrito, & humili spiritu: ut vivificem spiritum humilium, & vivificem cor contritorum. Hæc cum auditis, discedite, à spectaculo tàm humili, superbi omnes, &, qui fastu gravi turgetis: Vos, qui, humilitatem exosi, sublimia mente agitis; supra cœlum, altos geritis animos; vultum pingitis, fingitis gressum, &, in toto corpore, luxuriæ circumfertis documenta. Vos, qui mitissimo, Divinæ humilitatis, excusso jugo, superbiæ Patri, Dæmoni adhæretis. Quid enim aliud, quàm Diabolo litatis? qui, ut primus superbiâ lapsus, ita hâc quoscunq; deturbare, è cœlestis Paradisi volu-

voluptate, non desinit. Hunc nequissimo, colitis superbiæ cultu: huic ut placeatis, cura vobis est; æternæ parùm memores felicitatis. Ecce, inter superbos fasces, dominatur Cæsar: fulget splendida Herodis aula: nec tamen hi, Divini beneficii, percipiunt fructum. Vides, quàm nihili sint, in Dei oculis, qvæcunqve suspicit homo: quàm non placeant semper, summo Numini, quibus assurgit mundus. Vos autem cæteri, qui, submissa humilitate, hucusqve animum instruxistis, qui simplici modestiâ gavisi estis, exultate, & præsente animo accedite. *Vobis natus est hic infans, Vobis datus est Filius.* Humilitati modò studete, nihil magis in vobis amat, supremus cœli Dominus. Hoc nisi esset, non humiliatus, ad vos venisset; non pastores primos, post Matrem, contrectatores admisisset. *Et pastores in eâ Regione erant, vigilantes, & custodientes excubias noctis, super gregem suum.* Hos inprimis eligit, humile, ac candidum hominum genus, humilis, ipse & purus: Pastores, summus animarum Pastor: ovium curatores, Israelis oves quæsiturus. O felices animas, quas adeò diligit, humilitatis Magister! Hos imitandos nobis proponamus: Accurramus, cum iis, ad puerum, qvicqvid viæ nos, & Bethlehemum, disjungit, mente superemus; qvæqve oculis subiiciebantur, tunc temporis, mente concipiamus hodiè. Sed humili, sed simplici, sed purâ. Purissimus hic flos, non amat, illotis contrectari manibus,

bus, non mente tractari profanâ. Divinam Homeri mentem, venustissimo expressam opere, aurum & gemmæ, Alexandro Macedoni, asservabant: Ignoscite, Auditores, si, profanitate Historiæ, religiosissimâ veneratione dignam, puritatem pollui ægrè feratis. Lætitiæ is affectus, qvi & invita adducit qvædam. Vos tamen, quid velit, ipsi videtis: quâ mentis nimirum puritate, apprehendendus sit purissimus hic fœtus; qvi candidus supra nivem, & supra lilium niveus. *Pulcher totus est, & macula non est in eo.* Nascebatur qvippe; non, transgressionis contagione, vitiatâ natura: sed, omnium talium vitiorum, sola medicina. Nascebatur homo, nullum habiturus omninò peccatum: per quem renascerentur, liberandi à peccatis, qvi nasci non possunt, sine peccatis. Quæ qvidem expiaturus, cum veniret, gratissimâ Deo Patri oblatione; nullâ notatum maculâ esse oportebat: ut olim Victimam, quæcunqve ad aram staret, sibi consecrata, labis omnis expertem esse, jusserat Deus. *Talis enim decebat, ut esset Pontifex nobis, pius, innocens, impollutus, segregatus à Peccatoribus.* AVREVM RAMVM, Parthenius Poeta, magnificis elogiis, decantat, cujus ope ad manes, in Elysios hortos, pervenerit

Maximus Aeneas Teucrorum Ductor.

Sed facessite hinc, humanæ argutiæ! hic nobis lætior pullulavit surculus, non aureus; sed purissimo etiam auro purior: cujus sanctitas, absqve scoreis, ful-

fulget, cujus fulgorem, nullæ ſordes inquinant. Hic ſanctiſſimus, de Jeſſæ radice, flos eſt, è quo tot nobis ſuccreſcent, cœleſtium bonorum, fructus, quot nec nobiliſſimus profert frutex. PANACEN ſuam, Medicorum celebrant Scholæ, quod, univerſis corporum cruciamentis, reſiſtat & medeatur: Verùm, ſi altiùs ſurgere velimus, hæc noſtra Panacea, cœlitùs delapſa, ad cujus ſolum imperium, quotidianâ voce miſſum, & animi, & corporis evolant morbi, cauſæ quoqve ipſæ emoriuntur. Hoc enim orto flore, & exanimatis ſui reſtituentur ſenſus, & inceſſus claudis, & perdita lux cœcitati, qvin &, in corpora, animæ redibunt, jam pridem efflatæ. Ad Romanorum palatia, excubabat olim, viridans LAVRVS, quòd, adverſus irati Jovis minas, protegere crederetur: Sed falſa ſpes, vana fides! En nobis conceſſus is floſculus, qui à Dei Patris, nos tutabitur vindice irâ, qvi detonantis, in nos, legis reprimet maledicta, &, placidâ undiqve ſerenitate, frui nos faciet. Neqve enim, in eos, ſæviet Dei vindicta, quos filii miſſione, plenè reconciliatos, arctiſſimo ſibi junxit fœdere. Narrant Naturæ ſcrutatores ARNOGLOSSON, quam PLANTAGINEM dicimus Latini, Serpentis ictum curare, feliciſſimo remedio: hic quoqve floſculus, infernalis ſerpentis, morſum ſanabit, qvodqve inflavit, diriſſimum veneni contagium, omnipotente eluet ſucco. Reſtingvet is, & æſtuantes angore mentes, & fovebit

torpidos, peccati toxico, animos. Ad hunc, quisquis Dæmonis agitaris inſultibus, aut peccati torqueris reatu, propera, qui, (ſi modo fas eſt, ima conferre cum ſummis) SATINARIA veluti eſt. SATINARIAE, PEVCEDANI aliis dicti, odor, ſerpentibus adeò gravis eſſe dicitur, ut neqvaqvam ſuſtinentes, herbam ipſam fugiant citiſſimè. Scilicet, è cœleſti Paradiſo, ortus hic floſculus, tanto Dæmonibus eſt terrori, ut vel viſum ejus ferre neqveant. Quoties ille, uno imperio, à corporibus exturbabit, turmas impuriſſimorum ſpirituum? qui *in hoc apparuit, ut deſtrueret Diaboli opera, eumq; qui mortis habebat imperium, aboleret.* Vel, niſi dicere nefas eſt, CORRVDA eſt, quæ, Elephantiaſi liberat, ſuper impoſita: Peccati enim ſcabiem, quæ tanto, corporis leprâ, fœdior, quanto animæ morbus, corporis pernicioſior eſt affectu, pellet à nobis; & commaculatis mentibus, novam donabit munditiem; *Aſperſas eas mundabit, ablutas, ſupra nivem, dealbabit.* Vel CHAMAELEON eſt, qui non ſolùm corporum intercutes, & veternoſas, è turgentibus viſceribus, fugat undas; ſed animis ipſis, qvæ, quaſi aquam, biberant iniqvitates, medicinam dat, earumque valetudines curat. Ac veluti

Creſcit indulgens ſibi dirus Hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore langor:

Ita

Ita peccata, quòd ex iis cuncta mali vis ſcaturiat, primò omnium à nobis tollit, idqve, ne falli nos, vanâ verborum ſpecie, æſtimemus, ſemel, iterum, & ſæpius, plenâ peccatorum remiſſione, monſtrabit. O nos ergo beatos, hoc tam cœleſti germine, qvod, quæcunqve, in ullo herbarum genere, humana induſtria, unquam notavit, miracula ſuperat omnia! Nam ſi NEPENTHES eâ Virtute eſt, ut, omni animi diſcuſſo mœrore, novâ eundem reficiat hilaritate: hic ſolus ſolido, in omni triſtitiâ, gaudio nos perfundet, non illo quidem, terrenis turbis, inquinato, & caduco; ſed puriore & æternaturo, qvod nec ullus, eripere nobis, valebit unquam. Si in quadam, è Canariis, Inſulâ ARBOR eſt, qvæ MIRANDO BENEFICIO, COELESTI IRRORATA NVBE, SVAE GENTI AQVAM PRAEBET, præter qvam, alia omnis potui, ob amaritiem, inepta eſt: hic nobis floſculus, cœleſtem ſudabit potum, quo ſuſtentetur ægra mens: hinc ſacratior ſcatebit unda, DEI purpurata ſangvine, qvâ & refrigeres, langvens; & abluas, ſcelere ſqualidum, pectus. Si PARTHENION, oculorum vitiis, ſubvenit, & doloribus: hic non viſum modò, luminibus cœcis tribuit; ſed mentis qvoqve atram pellit caliginem, ut, qui antea, cœcitate profundâ, preſſi errabant, in veritatis inducti vias, Deum verum agnoſcant, & digna, de ſummo Numine, concipere queant. Si aurium vitia ſanat CYNO-

GLOSSA, &, impeditam audiendi vim, nova facilitate permutat: hic floſculus, & clauſas ſurdorum reſerabit aures, & omne hominum genus, qvò faciliùs vox, Divini ſermonis nunciatura ſenſum, recipiatur, curabit. Si ROSMARINUS ea virtute eſt, ut non deficientem modo, in langvore, animum confirmet, ſed & Deos ipſos, ante thuris uſum, placaverit: hic cœleſtis floſculus, metu perculſos, nova animabit virtute, animosqve, multo oppreſſos onere, potentiſſimè relevabit. Et annon idem, tot actantis injuriis, exaſperatam Dei Patris indignationem, mollivit, utqve, hac abjecta, nova is ſe nobis familiaritate, redderet fautorem, operatus eſt? Si, è veternoſis, marcorem, &, inexpugnabilem propè, dormiendi neceſſitatem pellit, nobilis RVTA; hic, diviniore efficacia, in altiſſimum, peccatorum, ſomnum depreſſos, vegetabit, excuſſoqve torpore, ad vigilias remeare coget. Nam & ſomno occupamur, ubi nox lucem condit; rurſusqve eodem ſolvimur, cùm hanc attolli videmus. Scilicet noctis caligo, terram omnem, ante texerat, quàm, hujus venuſtiſſimi floris, appareret ſplendor: nunc, fulgente eodem, omni luce puriùs, nec nox, nec locum ſomnus habet. Si CEDRVS defunctis, pro vita, eſt, qvod corpora eorum, incorrrupta ævis, ſervet: hic divinior floſculus, certiſſimum, adverſus mortem, remedium eſt. Spernere qvoqve, imperioſam Mortis Tyrannidem, poterit, quicunqve, cœle-

cœleſtis hujus floris, ſaluberrima folia, ſolerti aſſervarit ſtudio. Verba autem, foliis arborum notare, priſca conſvevit ſapientia. Et nunc mihi ediſſeras, velim: quænam, mortis ſpiculis, fortiùs reſiſtat antidotus, qvàm vivificus Redemptoris ſermo. *Hunc qui ſervaverit, non videbit mortem,* Dei vox eſt. Hic ſi quanto ſtudio, non pretio dicam, exteros flores, qvos aut formæ commendat venuſtas, aut odoris gratia, aut, quod ſæpiùs vides, ſola raritas, atqve peregrinitas; & quærit, & colit poſſeſſos, humana curioſitas; tanto; ſi non vehementiori, affectu, & nos deſideremus hunc, mirandæ virtutis, floſculum: qvid mirum? Non invidemus jam Palæſtinæ, ſuum BALSAMVM, inæſtimabilis pretii; Mediæ ſuam CITRVM, ſemper fœtam; Arabiæ ſua THVRA, Deorum delicias; Indiæ ſua AROMATA: ſanitatis fulcra dum nos Te, Tuaq; nobiliſſima Virtute, Divine flos, cœlitus donati ſumus. Creſce, age, creſce, cœleſte germen! ut tandem ex flore fructũ, ex fructu gaudium, capiat omnis mundus. Et noſtrum pectus, hortulum tibi patentem, offerimus: Tu ſi eundem tuo decore, non dedignatus fueris, ſat venuſti, ſat opulenti apparebimus. Nam ſi, ſupra celſiſſimam, Sapientiſſimi Regum, Majeſtatem, LILIVM agri prædicas, quod non excedet decus, decor tuus cœleſtis? Non equidem, omnis fert omnia tellus, qvin, cujusdam etiam ineptitudo nativa, ger-

minis remoratur incrementum: ita nec Tibi, puriſſimo flori, omnem convenire animum, ut in eo lætè ſuccreſcas, novimus. Non gaudes qvippe qvocunqve agro: ſicut nec, qvæcunqve germina, omni,

Sic Platanus rivo gaudet; ſic Populus undâ,
Et ſic formosâ canna paluſtris humo.

Hinc non conſpiceris, inter arduos ſuperbiæ montes, aut colles arrogantiæ, cùm depreſſas, humili ſubmiſſione, valles, jam olim delegeris, LILIVM CONVALLIVM. Nec lutoſas, impurarum Voluptatum, amas paludes, caſtitatis LILIVM; ſed, in quibus, cœleſti igne, exuſtæ ſunt illæ omnes, tibi deſtinas animos. Nec inter rigidas, induratæ pervicaciæ, oreris petras: cùm, manſveto & miti ingenio, homines usqve adeò diligas. Quid multis? Pura, illibata, ſancta erat, unde venuſtiſſimus prodibat floſculus, humus, Virgineum pectus: Nec adhuc alia, niſi talis, placet. Quam cum nuſpiam, inter homines, reperiat, ipſe, quæ ſua gratia eſt, bonæ mentis agellum, ſuo præparat ortui. Sine qvo ſi eſſet, humana pravitas, æternùm inculta jaceret: aut ſentibus, ſpinisqve horrentibus, rigeſceret, cum nil, præter infelix lolium, damnanda fertilitate, proferat. Quemadmodum autem, orituro hoc divino flore, cœleſtis Spiritus, virginei pectoris hortum, inaudita cura, coluit, dum peccatis inqvinatam obumbravit, & ſanctificavit: ita nos qvoqve, ſi (qvæ noſtra vota ſunt) conſumat, in nobis, ſacer hic ignis, affe-



affectus terrestris stipulas; si emolliat durissimas, impœnitentiæ, glebas, cœlestis hæc pluvia; si refrigeret deniqve illicitæ, in nobis, libidinis æstum, salutaris hæc cœli aura: ita demum, inqvam, & nos, non solum amœnitate, pulcherrimi floris, delectabimur, sed & uberrimâ, perennantium fructuum, qvos oriens promittit, copia reficiemur langvidi, erigemur consternati, servabimur moribundi.



ORATIO X.

JESV CHRISTI, PIISSIMI OMNIVM REDEMPTORIS, VENERANDAM, IN PASSIONE, NVDITATEM CONSIDERANS.



JESVM CHRISTVM, qvem nudum, in præsepi, inter frigora & vagitus, haud ita pridem venerata est Ecclesia; nunc exhibet, qvalis, inter sævissima diritatis cruciamenta, tremente terra,

terra, indignante cœlo, excarnificatus nudatur, vestibus spoliatur, & ita omnium oculis exponitur. Ita ubiqve piissimus Redemptor, æternaturas nobis pariens divitias, nuditate, & indiga pauperie, pressus, tantùm non succubuit. Mirabitur, nec tacebit, ullũ unqvam tempus, qvodcunqve, hoc tempore gesta, adspexerit. Ver erat, qvo suæ arbustis redeunt umbræ, suus flori honor, & ager omnis, pulso sterilitatis opprobrio, novâ fœcunditate revirescit, cùm, horum omnium benignissimus largitor, nudus in terris apparet. Nefandum tempus! qvod eum, cujus nutu frutices inoculantur, foliantur, flores inornantur; qvi vites textili sylvâ, fruticesqve & arbores, post spolia, vestit; eum, inqvam, qvi omnia tegit, & veste, supra Reges splendidâ, ornat, nudatum, &, à dirissimis latronibus, spoliatum vidit. Vide nec, quo corpus tegat, superesse, cujus munificentissima benignitas, qvicqvid fulget, investiit; qvicqvid lucet, illustrat. Cœlum ipsum, inqve eo tot, ad miraculum splendentia, mundi sidera, aureo nitore decorarat olim: ipse jam non ornatus; sed tegumenti indigus, inter omnia, qvæ possidet. Hanc luctuosam, divinæ Virtutis, effigiem, qvis animo concipiens, non simul lugeat, simulqve, nostri seculi vanitate, indignetur, cui, potissima gloria, à vestibus est? Miser sit, & insipiens, qvisqvis, gloriam aucupaturus, stigma vel furti, vel similis flagitii, notam ostentet! & qvi, ab

eo,

eo, gloriam ſperat ſuperbia, quod, ut opprobria tegamus, conceſſum eſt. Sed faſtum pauliſper abiice, & deprime, qui alto turges ſupercilio, elatos oculos: Mentem tolle, &, è cruce pendulum, ſuſpice ſoſpitatorem. Vide, quis ejus, inter exquiſitiſſima tormenta, habitus. Tinctum cruore, totum corpus purpuraſcit: nudum corpus, livore, ſangvine, ac fœdâ macie tegitur. Hæc perſpice, ut, quæ te deceant, teneas. Proinde, dum alii vincula, alii coronam ſpineam, purpuram etiam, crucemq; atque ipſam mortem, conſiderant: ego, hoc tempore, quæ, circa hanc veſtium ſpoliationem, memoranda erunt, breviter delibabo. Sed, quia non licet, per noſtram tenuitatem, digna tali amore concipere: te veneramur, æterne Redemptor, qui nudatus, noſtri causâ, non fluxas nobis paraſti divitias; qui nos, noſtro merito, miſeros, tuo æternùm beaſti: Tu ſancte, & ſemper, juvandis mortalibus, mirifice, noſtræ infirmitati robur adde. Vires, quæ deſunt menti, ſuggere, & inopem hanc animam, tuo amore, dita. Si tenuis mica, ex uberrimo ſapientiæ tuo penu, jejunam hanc, & nudam quodammodo, refecerit animam, dives inde, devotione & cultu, prodibit oratio. Acceptum nil poteſt eſſe, tuæ ſanctitati; niſi, ab ea, incrementum acceperit. Nec ingrata ea tibi opera, quæ, gratâ mente, tua ruminatur merita. O felices animas, quæ, abjectis mundanarum ſordium involucris, nudæ à ſcelere, nudam hanc innocen-

tiam, devotè contemplantur! Et iterum felices, quæ ut hac vestiantur nuditate, terrenis semetipsas denudant deliciis! Melius ornantur, quàm si corpus, auro gemmisqve, fulgeat onustum, animâ intus, sub iniquitatum mole, labascente. Is ornatus, primæ innocentiæ, in amœnissimo horto, erat, nec alium splendidiorem, ulla, in homine, vidit ætas. Nuda ibat, nuda versabatur, coram Deo, nec erubescebat, nescia turpitudinis, mens. Nudam enim hanc, à vitiis, gerebat, in nudo corpore, nec, simulatâ fictâve, fucatam sanctitate. Ast postquam perdita erat, per lapsum, innocentia, non jam, quæ hujus testis erat, sine ignominia, remanebat nuditas. Etenim *aperti sunt eorum oculi, & cognoverunt, quod nudi ipsi, & absconderunt se.* Pudori jam cœperat esse, nuda caro, veste itaq; tegenda, ut, quod polluissent peccata, sine opprobrio, coram conditore appareret. Nec tamen, à pœna immunis, esse poterat, quam immutabile indixerat, divinæ justitiæ, decretum. Et, pressi illâ, nos quoqve periissemus, qui toties hanc læseramus. Neqve enim, nisi turpia & pudenda, in sanctissimis DEI oculis, designabamus, qui, pudore exuto, fœditatis omnis sentina eramus. Nec erubescebat, perfricta frons, ad fœdissima flagitia; neq; verebatur cœlestem vindictam, modò latere, coram homine, liceret. Hinc abominatio facti cælo, tenebrarum filii eramus, nec lucem, scelerum testem, sustinebant, vitiatæ mentes. Tenebriones noctem,
quòd

quòd cœca videretur, nec pudoris capax, ſectabamur, infinita patrantes tenebrarum opera. Quanqvam nec iſta, cernentem omnia, Dei excluderet vultum, ut non, latibula quærentes, in lucem, quam tanto averſabamur opere, protraheret, horrendùm intonans ejus vox, &, vindice ira, perſequeretur delinquentes. Hanc, hanc à nobis ſublaturus, ignominioſam pœnam, pudenda ſuſtinuit, gloriæ Dominus. Fœdiſſimo reatu ut nos exueret, exui ſe veſtibus, æquo animo patitur, Cœlorum Rex: qui, ut exui poſſet eo, qvod ſuum erat, jam pridem, qvod ſuum non erat, induerat, mortale corpus. Hoc namqve ut ſuſcepit, peccata ſimul, ut expiaret, ſuſcepit. Hinc ob propria, quæ non habebat, peccata, erubeſcere neſcius, ob noſtra, qvæ imputarat ſibi, rubore confuſus, ſtetit: ne, ad juſtiſſimi judicis faciem, attoniti, æternùm confunderemur. Quot delicta, tot nuditatis & erubeſcendi cauſæ. Brachia extenderat quondam, ad vetitam ſibi arborem, humana temeritas: Sed & nos, annon quotidie brachiorum robore, & manuum abutimur miniſterio? dum, quæ non noſtra ſunt, tenentur; aut, ultra qvod juſtum eſt, rapitur. At nudatas manus, & brachia Redemptoris, ô homo, cogita, quibus pro hiſce ſatisfecit delictis, non ſine rubore. Non dignus eſt tantâ patientiâ, qui non erubeſcit ea patrare, ob qvæ erubuit DEVS. Et vos, quicunqve, à regia virtutum, & pietatis, deflexiſtis, ad aviasqve inferni ſolitu-

 dines,

dines, funesto præcipitio, properatis, reducent hi nudati pedes, ad justitiæ tramitem. Luunt iidem, qvicqvid vestri unqvam deliqverunt, aut, posthac etiam, delinquent pedes. Tum verò, quoties, ô miseri homines! fucato pectore, cœleste numen estis venerati? Quoties, cœca simulatione, impietatem vestram, speciosè incrustastis, ipsi DEO imponere meditantes? En vobis nudũ Salvatoris pectus, impudentissima vestra ausa expiantis, ut, aperto candore, & nudâ veritate, gaudeatis imposterum. Nescit fucum, vera pietas, qvo, qvam primùm vitiata fuerit, hyprocrisis est, non pietas. Toto deniqve corpore, nudum se nobis sistit, ut, qualis, in horto, primus homo peccatum mundo intulit, talis ipse auferret, idem à nobis. Spoliarat ille semetipsum justitia, & sanctitate, postquam prius, suo fructu, spoliarat, interdictam arborem: Solvit verò hic istud spolium, dum vestibus spoliatur propriis. Imò, qvod amiserat ille spoliatus, restituit hic, hac ipsâ nuditate, spoliis nos donans, nunqvam interituris. Quid namqve, sua abiiciens tegumenta, agit aliud, qvam ut nostram integat nuditatem? Ast quâ veste? Non, qvæ auro multo, gemmisqve superbiat, nec quæ Phœnicio ostro perfusa, rubeat, qvæqve alia, magna nugamenta, sceleris satelles, luxuria invenit. Non ea qvicqvam prosunt, perituræ animæ, quo supremo Patri placeat. Diviniore ornanda amictu, DEO dicata sponsa. Justitiæ stola, immortalitatis, Sapien-

pientiæ, Sanctitatis & reliqua salutis vestimenta: hic dignus, tantâ Reginâ, ornatus: Vincit hic, & Alexandri purpuram, auro insepultam; ac, si ista corporis oculos, miro splendore, perstrinxit, mentis hic hebetat aciem. Non capit ea tantas divitias, nec facilè earum perspicit, inmensum decus. Sed hoc, cœlitus concessum, non amisit modò, pristina hominum incuria, verum & reparatum id ipsum, sæpè commaculat, nostra infirmitas Postquam enim semel, â Deo, defecit avita perfidia, contagione parentum, perjuri posteri omnes, sæpius divortium faciunt. Deo spreto, Dæmoni jungimur: ubi exuti divino ornatu, ad hujus genium, vestiendi sumus. Successit hinc, menstruatus peccatorum pannus, quo deturpati, placemus Dæmoni. Neque enim, quæ DEO, maligno quoque huic Spiritui, grata sunt ornamenta. Ibi aptandi corpori, sordidissimi centones, quos, in suo barathro, stygius præpararat latro: Ibi atrâ pice coronandum caput, candente ferro cingendum collum, furvâ flammâ nudum vestiendum corpus. Hi scilicet infelices, novi thalami, honores, & pœnitenda commoda! Hæc nova diademata, quæ graviùs, omni jugo, miseram cervicem pressissent, nisi, miseratione nostri, tactus Christus, Redemptor, melioribus vestire nos voluisset. Hic renovatam nobis, amissæ Sanctitatis, & justitiæ, peperit vestem, qua rursus cooperti, Regi æterno adducimur, aureis quasi circumamicti fimbriis, Benedictionem, à parente,

rente, acceptutus Jacobus, primogeniti fratris, habitu velabatur: ſub alienâ veſte, nobis quoque, deliteſcendum, quotquot DEI, magni Patris, benedictioné ſperamus. Neq; verò alia afferenda, niſi Fratris, è Virgine, nati, primogeniti ante omnia. Hâc quisquis indutus, DEO ſeſe obtulerit, & coruſca ſidera longe vincet, & majora votis impetrabit. Quid ad hanc imperatoria Paludamenta, opere Phrygio, ad miraculum, picta? Procul hinc bellæ iſtæ nugæ, pereant iſtæ veſtes; Præſtat, in iſta, mori, quam in his vivere. Ac tantò quidem, hæc pretioſior habenda nobis eſt, quantò grandiori parata eſt pretio. Haud enim, ablata ſibi, recipere veſtimenta poterat homo; niſi ſua amitteret Chriſtus: Cujus ut ſine morte, vivificari; ita reveſtiri, ſine hujus deſpoliatione, anima non poterat. Hic jam, ſi aſſequi potes, cogita, quàm gravis ea Chriſto fuerit, & annon ferè pœnarum maxima. Taceo exquiſitiſſimos dolores; quos, poſtquam vibicibus, ſaucii corporis, fuerant impactæ, per vim avulſæ, atque detractæ, excitarunt veſtes. Solam penſita ignominiam. Quò quisque caſtior; eò denſiori, pudoris, armatura cingitur. Superſedeo Hiſtoriis citandis. Loquuntur id infiniti, è ſacris, caſtimoniæ cultores, quos, niſi parcerem tempori, adducerem. Nunc ſaltem, caſtiſſimum Chriſtum, vide, ut totum corpus nudum, nullâ re aliâ, niſi confuſione, opertum gerat. Hic ſanè utrum plus mirer, Chriſtine charitatem, an Iudææ gentis furorem, hæreo. Ardet

amore

amore Christus, ideo, impuræ libidini, nudandum corpus permittit. Castissima mens, incestis manibus, detrahendas vestes concedit, ut amoris vim testetur, qvæ &, à sanctissima puritate, aliena admittit. Sed & Judæorum rabies qvanta? Corpus sauciatum, parum huic videbatur, nisi & cruciatui, ignominiam jungeret. Quid agitis, cœcæ mentes? Quid vestem ei detrahitis, qui majores vestros, tot annis, in deserto exules, incertiq; laris, non sine miraculo, vestiebat olim? id scilicet, grati animi est, qui beneficia non agnoscit sòlum, sed rependit insuper. Ac insultatis equidem jam, nudo reo, quem, paulò post, nubibus amictum, expavescetis judicem. O duriora saxis pectora! Nam finduntur isthæc, nec, sine sensu, hoc conditoris cernunt opprobrium. O indignos sua terrâ colonos! contremiscit hæc, ad impium, atq; immane hoc nefas, nec, sustinere amplius, immobilis valet, tantâ turpitudine fœdatum suum Regem, â quo, tot eximiis bonis, ditata erat, atque nobilitata. Cœlum indigna eadem reputans, quæ, se teste, fiant, densâ involuitur caligine, ac, profundâ nocte, universa obruit: Sol ipse erubuit, vestrumq; execratus, Deicidæ, scelus, augustum caput, intra nubes, abscondit, mutilatumque, aliquot horis, diem mundo extinxit, ut, vel sic, nuditas creatoris operiretur, si, densis perfusa tenebris, nulli appareret. Quid animi vobis, inter hæc, efferi latrones? Adhuc scelera agitant, ac, inter luctum universæ naturæ, soli adstant

homines,

homines, qui inſultent patienti, naturæ DEO. O dira pectora! Itane furiarum? Quanquam quid juvat execrari, duræ cervicis, gentem? Quin ſcelera noſtra execramur, quæ, ut fugeremus, hæc paſſus eſt DEus omnia. Erubeſcendam, in Chriſto, ſpoliationem videmus, ſed cauſas ejuſdem, quotusquisque eſt, qui videat? Erubeſcat ea indies admittere, quibus, jam olim, infames Judæi, Redemptorem denudarunt? Nos, in Adami & Evæ ſimilitudinem, donis cœleſtibus, quotidiè nos ſpoliamus, nudamusq; in opprobrium. Nudatur enim, ſibique ipſi turpis fit, quicunque Divinæ Legis prævaricator, carnis ſequitur cupidinem. Fugimus deinde, cum iiſdem, DEVM Judicem, aut, ficulneum quendam, conſuimus prætextum, ita nos probe munitos, rati. Neque enim aliud agere videntur, qui de vitio, ſi arguantur, nolunt, quæ fecerunt, cognoſci, ſed, ſub defenſionum verba, ſub quædam, quaſi arborum, folia, ſe abſcondunt, & velut, ad quædam, excuſationis ſuæ, opacæ ſecreta, à facie conditoris, fugiunt. Audias hic inanes quasdam, & umbratiles voces, quas, compoſitis mendaciis, affluens, & verbum de verbo ſtruens, ad operiendam, mentis ſuæ conſcientiam, factique velamen, peccator intexit, ut pudenda ſua contegat. Hæc videlicet ea amaritudo, quam trahere, ex prima radice, omnis humani generis ramos, Gregorius tradit. At ô frivolum remedium, cauteriatis conſcientiis, tam leve texere, περίζωμα ad velamentum,

non

non ad medicamentum! Non te Domino, ſed hunc, tibi abſcondis. Quæ inſania, à Medico opem petere, ſi neges morbos? Non levius deſipiunt, quicunq; culpæ veniam orant, & vel excuſant peccata, vel elevant eadem: folia iſta ſunt, pietatis fructum mentientia. Non novit talia, pia devotio, quæ accuſat magis, quam excuſat, propriæ carnis conſilia. Ac ſola hæc, quia, ſemoto pallio, delictum nudat, veniam meretur: cum nunquam, per DEI miſericordiam, tegatur iniquitas, niſi, per ingenuam primùm reveles, confesſionem. Aut an fallere eum præſumis, ſtolida ſuperbia, qui totus oculus, totus manus, totus deniq; pes eſt? Falſa es, ſi id agis. Non DEus eſt, cui mentiri quispiam poteſt, aut imponere, qui ipſa ſapientia eſt: Nec effugere ejus vires, cujus dominatus ubiq; potens eſt. Quin i,

Profugus extremas procul
Percurre gentes: te licet, terra ultimo
Summota mundo dirimat oceanus plagis,
Orbemq́ noſtris pedibus obverſum colas:
Licet in receſſu, penitus extremo, abditus,
Horrifera celſi regna tranſieris poli;
Hyemesq́ ſupra poſitus, & canas nives,
Gelidi frementes liqueris Boreæ minas
Poſt te furentes:

nondum tamen te, non DEVM effugiſti. Comes aſſiduus, tibi ubiq; erit *conſciæ mentis pavor, Animusq́ culpâ plenus, & ſemet timens.* Si fugæ conſilium

um probatur, ſcelera fugito. Ea te nudant, coram DEO, mille quantumvis modis, hominibus tectum. Detrahunt divinam, cœleſtis gratiæ, veſtem tuæ menti, quæ, ſacratiſſimo Salvatoris corpori, detraxerunt ſua tegumenta. Imò, qvod mireris, corpus qvò pretioſior tegit amictus, eò nudior, in DEI conſpectu, anima. Id nempe agunt, qvi tot, qvibus corpus ornetur, veſtium luxum ſeqvuntur, ut miſera anima ſpolietur, non perituris bonis. Ita, adverſa omnia, eveniunt vaniſſimis animis. Tegunt corpus, & nudant animam. Iſtud dum exornant, hanc fœdiſſime maculant. Gloriæ materiam quam putant, turpitudinis nota exiſtit. Et quæ laus tribuenda tali habitui quem nil, niſi erectum ſtultitiæ vexillum, nidumq; luxuriæ, jam olim, ſummus ille Princeps, Auguſtus pronunciavit? Nemo fortem æſtimabit, è laſcivo habitu; ſed nec caſtimoniam, in meretricio ornatu, quæret; nec magnum animum putabit ullus, qui tam vilibus, tanquam ſummis, delectatur. Tum verò, an decor videtur laſciva veſtis, qui non, niſi ſanctus, eſſe debet, in omni veſte? Adeò ut, niſi ſanctitas adſit, non decor ſit, ſed turpiſſimum dedecus, ſplendidiſſima etiam veſtis. Hinc ſi quicquam, à frugalitate, exceſſum fuerit, & neceſſitate, ſanctus jam decor eſſe deſiit. Quicquid enim, præter iſta, paratur, non caret vitio. Veſtiarios iſtos limites, Deus tibi poſuit, poſuit natura. Nã & hæc paucis contenta, & ille veſtium uſum, integræ naturæ, non addidit, neq; enim indigebat. Neceſſitate pòſtco-

gnitâ, inventa vestis est. Sed nec tùm auro fulgidã, aut multis gemmulis illustrem, largiebatur. Non conveniebat, tantus ornatus, læsæ pietati. Hinc cum, plurimo ferarum generi, speciosum concesserat tegumentum, solum hominem, vilissima cinxit pelle. Adeò noluit, in eo, hunc gloriari, quod non turpitudinis modò, sed ruinæ quoq;, omnis fons esset, & scaturigo. Nunc vide, annon in te, annon in naturam, annon in Deum ipsum, & æternum sospitatorem, sis injurius? Hic omnium Dominus cum esset, nudus mori maluit, quàm admittere, ut tu, splendidiore ornatus amictu, morti addicereris æternæ. Rex Regum nudus cernitur, & superbit, fastuoso vestitu, vilissimus servus. Imo obversetur oculis tuis, o homo, assiduè, nuda Regis tui species, teq;, quod tuum sit, edoceat. Subeat animum vestrum exspirantis animus, quo, mihi quidem, prævidens jam, turgidum hunc fastum, talia agitasse videtur. *Equidem vobis, ô mei fratres, mansvetudinem meam, cuncta perferendo, semper demonstravi: Nunc quoq;, in mansvetudinis testimonium, corporis mei amictum, rapi sum passus. Vobis vel hinc tenere licet, qvàm non deceat, sumptuoso corpus colere habitu, quoties, me denudatum, pro eo crimine cogitabitis. Vermis factus, pro vobis vermibus, per contemptum: quid in vermium deliciamini operibus, per fastum? Prodite, qui pigmentis delectamini, ac pulchro corpore: sumite de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depingite oculos verecundiâ, & taciturnitate spiritus, in-*

ferentes, in aures, sermonem DEI, annectentes cervicibus meum jugum. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiæ. Tingat vestrum animum meus sanguis, sit ea vestra purpura. Fulgeat in vobis, argento purius, pietatis candor, absq; simulationis fuco. Ita Patrem habebitis amatorem, & olim, radiantes meâ justitia, æternâq; gloria, clarissimo quovis auro, clariùs lucebitis. Sint ea rata, sint firma, pie Christe! Maneat in nobis indefessum humilitatis studium! Sit pura fides, illæsus amor, & hæc perpetua tandem sequatur gloria. Ac in hoc votum desinere Orationem meam æquum est, quod ut confirmet cœli Numen, summâ idem, quâ per nostram sortē licet, veneramur devotione.



ORATIO XI.

SOLENNIS

CATHEDRAE SCHIMMELFENGIANAE,

QVAM

CLARISSIMVS AC AMPLISSIMVS,

DN. JOHANNES SCHIMMELFENGIVS,

VIR CNIPHOVII REGIOMONTANI CONSVLARIS PRVDENTISSIMVS,

PRO



PRO SINGVLARI IN BONAS LITERAS AFFECTV,
LIBERALI SVMPTV,
IN AVDITORIO NOVI COLLEGII,
CVM IMMORTALI NOMINIS MEMORIA,
EXTRVXIT,
INAVGVRATIO.

MAGNIFICE DOMINE
RECTOR,
SPECTABILES DOMINI DECANI,
EXCELLENTISSIMI, CLARISSIMI DOMINI
COLLEGAE, AMICI COLENDI,
NOBILISSIMI DOMINI STVDIOSI:

DVm labores ordinarios, poſt exactas æterno Spiritui ſolennes ferias, continuaturus, ſplendidam hanc, atque magnificam, quam SCHIMMELFENGIANA liberalitas, pro ſingulari in Muſas affectu, publico hujus Auditorii honori conſecravit, Cathedram, prima omnium vice, conſcendi: corpus quidem quiete ſua, cujus certiſſima nota ſemper Cathedra fuit, fruens, immotum conſtare videtur; animus verò, intra dubios, maximè dubii bivii, errores divagans, vix, quo conſiſtat, invenire poteſt.

poteſt. Cum namque ſolennem, quæque venuſtati, operis hujus, reſpondeat, vermiculatam, ac ornatu omni comptam orationem, ut & debitæ, tanto affectui, gratiæ agantur: &, publica inauguratione, nova hæc doctrinæ ſedes conſecretur, ipſa æquitas imperet: tum inſignis, CLARISSIMI VIRI, modeſtia, quâ, quantum, ad promovenda Muſarum incrementa, ſtimulatur atque adigitur; tantum, ab oſtentatione bene meritorum, abducitur, ac ne publicis encomiis, quæ bene, etiam publicè, facta ſunt, propalentur, cavet, modis omnibus, ne ita agam, obſtat atque interdicit. Hinc fluctuans animus, quo ſe vertat, ignorat, cum & benefactoris reluctari voluntati, & ingrato animo admittere beneficia, pariter iniquum videatur. Aſt poſuit tandem, confligentes hos inter ſe, animi fluctus, prudentior cogitatio, ac, ne in grati animi imperium, contra jus & æquum, peccarem, quidvis potius breviter, quam nihil, dicendum perſuaſit: ne vero dicta VIRI modeſtia læderetur, ita rem omnem abſolvendam eſſe, ut involucro quodam eam tegens, vobis potius, quid vellem, cogitandum relinquerem, quam clarè exponerem, ſuggeſſit. Fabula itaque dum rem omnem comprehendo, vos aures, animumque advertite. Comates quidam Siculus, Theocrito narratur, qui opulentiſſimi heri pecora paſcens, Muſis interdum, aliquam gregis particulam, offerre ſolebat. Delatus eo nomine, prout ſolet, optima-

timarum virtutum, comes esse calumnia, apud Herum, graviter objurgatur, sed &, frustra, precibus emollire Heri furorem, nitens, uberrrimamqve impensarum, à Musis futuram, compensationem spondens, extremo destinatur supplicio. Age enim, Herus inquit, quandoquidem, cumulatam â Musis tibi gratiam promittis, experiamur, an eæ te sint nutricaturæ: atqve, cum dicto, excavatæ arbori includens, miserum Tyrannus, ut fame moriatur, relinquit. Hic, ita sæpe insperati, spem omnem superant, eventus, mirandam Musarum, in clientem, gratiam cognoscite! qvi, ne damnosum præstitisset officium, apes in arborem, per rimulam, penetrantes, tam benignas expertus est nutrices, ut cum, solido elapso anno, non jam Herus, sed carnifex, mortuo illusurus servo, accederet, non vivum modo, atq; incolumẽ ipsum, sed cumulatissimam insuper favorum, qvibus hucusq; victitasset, inveniret molem. Fabulam dedimus, Auditores, sed qvæ ita, omnis ævi, confirmatur experientia, ut Historiæ nomen, jure meritissimo, queat obtinere, Neq; enim hodie alia Musarũ sors; neq; eorum, qvi Musas colunt, eventus alius. Adhuc vivunt Comatæ, qvi Musarum amore flagrantes, non modo summâ earum sacra veneratione colunt, omniq; id curant studio, ut imbuti iisdem, in societatem, tam purissimarũ Virginum, suscipiantur; sed &, qvicqvid confirmandæ, augendæ, ornandæq; earundem Majestati, inservire potest, liberali atque

qve plena sufficiunt manu. Atq; id eò etiam promtius agere, hos videas, quò graviora in istas moliatur, temporum horum difficilimorum injuria. Et qui possint aliter? Cum namq; cœlestem sapientiæ prudentiæq;, quam utramq; Musarum notari nomine, probe novistis, originem, primò omnium exactè perspexerint, mox, divina utriusque cognita venustate, hanc unam omni amore, veneratione, studio denique dignissimam arbitrantur. Simul vero ac ipsi, tam cœlestis boni, peculium, animo possidere incipiunt, tanto majora in ipsis incrementa, indies capit, conceptus olim affectus, quanto nobiliores, inde enasci, experiuntur fructus. Hinc videas eas in nonnullis vires, hunc acquisivisse amorem, ut fortunæ omnis, quæcunque ea etiam fuerit, incuriosi, omnem, è Musis, fortunæ æstiment conditionem. Possem hic & felicissimorum, qui excelsissimos status sui apices, istarum amori, subjecerunt; & afflictissimorum hominum, percensere Historiam, qui, oppressam maximè sortem, earundem sublevarunt solatio: si integram vobis orationem, & non alloquium quoddam breve, proponere esset constitutum. Proinde illud saltem curiosius lustremus, quod, non absque singulari admiratione, de Comate nostro, notatum legimus: Nec gravissimis heri minis, nec crudelissimo supplicio, à tenerrimo, castissimarum harum virguncularum, amore fuisse abstractum, imò majori constantia animatum,

matum, certissima commodorum spe, quicquid accideret, & subiisse, & vicisse. Scilicet, semper sibi constat, sapientis animus, &, dum reliqua omnia, turbidissimo turbine, levissima versat Dea, unus hic, inter ista, perstat animosus, atqve fortis. Nec ab alia mente proficisci videtur, quod, cum, summis ubiqve præconiis, hæc sapientis constantia extollatur, inconstantissimis Lunæ vicibus, reliqva male sapiens turba, vulgo soleat conferri. Quod si vero in primum, magnanimæ illius constantiæ, qua, cum Sapientibus omnibus, inclytus Comates est, inquiras fundamentum, ecquod statuas aliud, quam cœlestem illam indolem, quâ dotatam sapientiam, paulo ante, diximus? Est ea cœlestium omnium, & quæ inde ortum ducunt, simplicitas, ut quemadmodum mixtionis, ita corruptionis quoqve omnis vacua sint; immortali contra perennitate, æquè ac summus istorum parens, D.O.M. æternum floreant. Atqve hinc, si ab arborum nonnullarum fructibus, immortalitatem sibi polliceri mortales, legimus: sapientia cœlestis ea arbor est, cujus fructibus dulcissimis qvisqvis animum pascit, non adversus modo fortunæ injurias, sed mortis ipsius truculentiam, æterno vigore superat. Comatem unum sisto vobis, abjectissimæ, inter mortales, quia servilis, conditionis hominem, qui, cum superbo Heri opulentissimi, adeoque, si cum vulgo judices, felicissimi hominis, subjaceret imperio, eo ta-

men longè ſuperior, Heri honoribus, eminet, quod, cum ne nomen, ſordidiſſimi hujus, ſciatur, illius, æternis honoribus prædicetur. Hoc verò, cum maximum Muſarum beneficium, æquiſſimo cenſeatur jure, alterum illud, quod, apicularum miniſterio, ut, adverſus iniquiſſimi Heri crudelitatem, vivum aſſererent, præſtiterunt eidem, non equidem minus autumandum eſt. Dulciſſimas ſane, dulcisſimarum virginum, miniſtras! Caſtisſimas, caſtisſimarum Divarum, amicas! Equidem ſi quos, & Muſæ, & Apiculæ, hominum bono, producunt fructus, exactius penſites: tanta utrinque profluet dulcedo, utilitas tanta, ut utilius, dulciuſve quippiam aliud, vix ullibi occurrat. Sed nec illud utrobiq; obſcurius elucet, & pura ſemper, intemerataque virginitate Muſas, & ſingulari plane caſtitate, apes paſſim, â rerum, utrasque tangentium, ſcriptoribus, celebrari. Hinc quid poterat convenientius, quam caſtiſſimarum Divarum cultoris, â caſtiſſimis animalculis, geri curam? Sæpè celeberrimis Muſarum alumnis, apicularum miniſteria, cum certiſſimo, feliciſſimorum ſucceſſuum, omine præſto fuiſſe, in vulgꝰ etiam notũ eſt. Nec ergo Platonem, & Pindarum, cujus labia; nec Lucanũ, cujus cunas, caſtiſſimũ hoc animalculũ, eloquentiæ doctrinæq; honoribus, initiavit, quod notiſſima ſint, hoc loco refero: unicum tamen, quod rarius videtur, quin adducam, non poſſum. Vaſtiſſimum illud, atq; tot Autoribus decantatiſſimum, A-
polli-

pollinis fanum, quod in tantam, cum tempore, excreviſſe altitudinem ſcribitur, quantam, auguſtiſſimæ aliæ ædes, vix obtinuerunt, ab apum, aviumq; ſolertia, ita initia duxiſſe, ut hæ quidem plumas, ceram iſtæ congererent, Pauſanias autor eſt. Satis ex hoc uno, credo, apparebit fidum illud, quo ſemetipſas Muſis obſtringunt, ſervitium apicularum, nec proinde, ſi eam, devotiſſimo Muſis Comatæ, factam gratiam audiveritis, miraturos credo. Illud potius deſiderabitis, ut, ſi quid forte arcani, hoc reconditum involucro, lateat, vobis id explicem ego. Ita ergo tenete, apum inſtar, ſacras Muſis, eruditorum mentes eſſe: quæ dum, libero volatu, per amœniſſima doctorum vireta, feruntur, dulciſſimum non magis, quam ſaluberrimum doctrinæ, è generoſiſſimis floſculis, colligunt ſuccum, quem, juxta innumeros uſus alios, vix felicius, quam aſſerendo patronorum honori, impendũt. Celebratiſſimum mellis, quod unis hiſce, Muſarũ addictiſſimis, ſervulis debemus, uſum omnes, qui obiter ſaltem Medicorũ ſalutarunt ſcholas, norunt: maximè omnium tamen, Plinio celebratore, inclareſcere diſcimus, cum non modo ſervari eodẽ corpora, doceat, ſed &, ſummo elogio, cœleſtia dona, mellis medicamenta nominet. Et longe certius tamẽ, à corruptione & interitu, divinũ hoc Muſarum, &, quæ his natæ sũt, artium doctrinarumque mel, ſuos aſſerit cultores. Dum nãque debitum bene factis, honoris præmiũ, publicâ laude iiſdẽ

ſolvitur, vivorum quidem virtus, hoc felicisſimo nutricatu, magis magisq; confirmatur; mortuorum vero, tam efficacisſimè iis, qui ſuperant, proponitur, ut plurimos alios, hoc incentivo, in ſimilis ſtudii æmulationē, animari cernas. Fuit ea Comatæ Siculi felicitas, ut, ſui in Muſas affectus, præconem invenerit Theocritum, eum, inter Græcos vates, ſcriptorem, cujus Gratias & Veneres, doctisſimo non Belgii tantum, ſed literati orbis univerſi, arbitro cenſente, nemo ſatis capiat: & quid PATRONO NOSTRO (huc enim, è diverticulis, redeundum eſt) cui hæc opera ſacra eſt, debeatur, quis non videt? Quanquam enim exſpectetis fortè, ut infamem quoque Comatæ Herum, qui ultimas hujus fabulæ tenet partes, vobis proponam, ac ita perſonatos, qui noſtro ſeculo ſunt, literarum contemptores (ne quid gravius dicam) viſendos exhibeam: tamen cum indigna ea, calamo atque ore noſtro, nomina exſtent, lubens volensq; ea prætereo, &, quod ultimo agendum reſtare videtur, expedio. Quanquam facile, quorſum iſta dicta ſint omnia, ipſi coniicitis: nec proinde pluribus ea exprimo, quod neque permittat id, ſpectatiſſima PATRONI modeſtia; & non requirere, veſtra prudentia videatur. Res etenim ipſa loquitur, non vulgarem, ſed eximium plane, in Muſas, eſſe affectum, qui tam clariſſimo teſte, publice ſe prodat; nec proinde, vulgari affectu, honorandam, tam propenſam, OPTIMI PATRONI, voluntatem, ſua cuique dictat

dictat ratio. Jactent alii ebur, jactent marmor, jactent aurea, atque argentea, Musarum pulvinaribus illata, donaria: cum tamen vana, atque oculis saltem blandientia, ista sint lenocinia, nostrum hoc, SCHIMMELFENGIANI affectus, monimentum, tanto nobis honoratius esse debet, quanto & dignitate, & usu reliquis antecellit. Solennem doctorum sedem, atque propriissimam doctrinæ officinam, Cathedrã, è qua quicunqve erudiẽdi essent, cœlestia Professorum haurirent monita, fuisse, & sacra, & profana Historia testis est: quam quisquis curiosius evolverit, & majestatis plurimum, & commodi non minus, Cathedris semper adfuisse, cognoscet. Dum ergo sanctam hanc Musis ædiculam, eo, præ aliis omnibus, Cathedræ monimento, ornare voluit liberaliter, PRVDENTISSIMVS PATRONVS: qvid aliud voluisse videtur, quam nova doctrinæ incrementa, felicissimo novæ hujus sedis omine, conservare atque promovere. Flumen ergo erit diffusissimum, hæc Cathedra, optimæ virtutis, atqve doctrinæ: ejus vero rivuli erunt, docta Professorum ora, quæ, tanquam felicissimi canales, in animos vestros, Nobilissimi Academici, saluberrima menti, atque voluntati, monita derivabunt. Id vero flumen, dum tanta, devinctissimi Musis PATRONI, liberalitate, renovatum splendidissime videtis, quidni, priscum Romanorum, morem imitemini? qui dum vera grati, in flumina, animi argumenta edituri erant, publica Fonti-

ca Fontinalium solennitate capita, seu fontes, quibus illa oriebantur, coronabant. Ipsi intelligitis, fluminis hujus literarii fontem, atqve caput esse, SCHIMMELFENGIANVM, in Musas, amorem: Hic ergo ut digne honoretur, curate omnes: & vos, præ omnibus, qvi, ex hoc ipso Cathedræ fonte, studiorum vestrorũ sentietis incrementum. Atqve ita vos, qvi ut illæsa, corporum sanitas constet, Aesculapii sacra colitis, id ante omnia curate, ut, qvæcunq; aurea ejus rei, ex hac Cathedra, percepturi eritis præcepta, PATRONI HVJVS NOSTRI, incolumitati asserendæ impendatis. Vos, qvi ut ab oblivione, & interitu, virtutum vindicetur memoria, annalium, atqve rerum gestarum, ex hac ipsa, docebimini recensionem, id agite, ut, inter celebratissimos Musarum Patronos, SCHIMMELFENGIANVM quoqve nomen legatur. Vos qvi admirandas cœli revolutionem, & statas, æternâ lege, temporum vices hinc videbitis; sit ea vestra cura, ut, quantum potestis, benignum, PATRONO HVIC NOSTRO, siderum procuretis influxum: aut, si id vestras excedit vires, saltem, quæ nocitura eidem, prout sumus homines, præviderítis, maturè, ut evitet eorum damna, moneatis. Vos deniq;, qvi ut, debita virtutibus elogia, omnis orbis legat, Suadæ initiamini leporibus: vestrum esto, plenâ voce, ac decoro stylo, SCHIMMELFENGIANAM in Musas propensionem, æternitati consecrare. Atque ita ut promptius agatis, nos,

quos

præſentes jam cernitis, & poſthac, dum Deus voluerit, docentes, ex SCHIMMELFENGIANA hac Cathedra, audietis, habetis duces: qui non modo vos, noſtro exemplo, in meritiſſimum hoc officium, animamus; ſed & poſteritatem omnem, ut ita SCHIMMELFENGIANVM nomen, gratâ memoria, ornet, quemadmodum, inſolito hoc monimento, Muſæ ab eodem ornatæ ſunt, rogamus, ac obteſtamur. Quo autem felicius res omnis hæc ſuccedat, Te imprimis, D. O. M. qvi ſupremus Eccleſiæ Scholarumq; præſes, hunc etiam nobis PATRONVM dediſti, cernui ac ſupplices, ut, quicquid Tuo honori, Muſarumq; ampliando ornamento, ipſe erogavit, abundantiſſimâ gratiâ compenſare digneris, adoramus. Præſertim autem, ut, qvandoqvidem in judicii, conſiliiq; publici Cathedra, PATRONVM HVNC NOSTRVM collocaſti, ita eum, in eadem, Sapientiæ, ac conſilii, Spiritu, juvare velis, quo tandem, ſed ſero, cœleſtes occupare ſedes, æternum felix queat, ſupplicamus. Nobis porro omnibus, qui ex hac Cathedra docturi ſumus, eam imprimis largire gratiam, ut pectora noſtra, æterni, è cœlis, Doctoris Spiritus, Cathedræ fiant: atq; ab eo ſalutaria, teque digna edocti, eos, quicunq; è nobis diſcent, eadem tantum doceamus. Vt autem tranquillè, atq; feliciter docere poſſimus, SERENISSIMA imprimis CAPITA, quorũ AVGVSTISSIMO PATROCINIO, & Cathedra hæc, & Academia univerſa, tuta eſt, multâ gratiâ ju-

va, reple, ſerva. Benè ſit illis: ut bene nobis eſſe poſſit. Feliciter illi nos, Cives ſuos, regant: ut Academiæ regimen, ſalutare, Civibus ſuis, exiſtat. Audi, & exaudi DEVS!



ORATIO XII.

DE AVTORVM, ET HISTORICORVM IMPRIMIS, LECTIONE, AD STVDIVM ELOQVENTIAE, NECESSARIA, LECTIONIBVS LIVIANIS PRAEMISSA.



Olent nonnulli, A. O. ſub primum operarum atqve rerum, quas ſuſcipiunt, auſpicium, innumeram, variorum argumentorum, quibus vel dignitatem, atqve illuſtrem inſtituti ſplendorem; vel ſingulare, quod in omne hominum genus inde derivetur, emolumentum confirment, curiosè conquirere farraginem: atqve ea ita poſtmodum digerere, exquiſitiſſimoq́; oratorii coloris, exornare apparatu, ut magnifica inde proveniens præfatio, fortiori impetu, in cultum propoſiti & amorem, hominum

num trahat mentes: Quorum utut, hâc vice, ego imitari morem videar; mentem tamen imitatus, videri minime velim. Cum namq; omnis ea omnium, quæ oculis animoq; occurrunt, indoles sit atq; natura, ut vel nativâ virtute, consentientem omnium laudem; vel malignitate, commune omnium provocent odium: nec horum, quæ nascendi ipsis sorte adjacet, turpitudinem, nocendiq; vim, tollet pomposa verborum jactatio; nec illorum hereditarium decus, ullo verborum eget splendore, quemadmodum neque vel clarissimum Solis jubar, ullâ facularum flammulâ juvari; nec pestilens serpentum venenum, picto atq; egregiè variegato, quo vestitur, involucro tolli, uspiam compertum est. Et quæ ergo encomiastarum illorum mens? quod vanum studium? qui sive honestis occupentur, atq; multum profuturis, frustrà eorum laudem, quæ, omnium confessione firmata, passim prædicatur, operosè persvadere conantur; sive turpibus, aut indignis bonâ mente, ipsi eo gravius incurrunt vituperium, quo studiosius, illaudatissimarum rerum sectantur laudem. Quæ dum, Livianarum Orationum suscepturus expositionem, mecum expendebam, ne ejusdem, cum primæ classis laudatoribus, arguerer vitii, omni jam abstinere præfatione animus erat, quod vanior nulla impensa opera, quam quæ Illustrissimi, in Historia describenda Romana, principis, laudes illustraret, videretur. Et conclusa omnino res omnis fuisset, nisi aliud ani-

mo subiens consilium, in memoriam revocasset, non laudes tantum rerum, atq; præconia, procemiis istis spectari, sed saluberrimas præterea informationes, felicissimosq; eorum, qui singularum studio ducuntur, promoveri profectus. Hinc si, quemadmodum de ædium penetralibus, vel splendidis, vel squalidis; sic de artium singularum dignitate, usu, atq; amplitudine, è vestibulorum conditione, constare omnibus, voluit priscorum sapientia: hoc uno saltem fretus fundamento, non perditurum me operam putavi, si quid de Livii eloquentiâ, quam Orationibus, Historiæ suæ, tanquam margaritis auro, insertis, clarissimè ostẽdit, polliceri sibi queãt, Eloquẽtiæ cultores, brevi hac præfatione ostendam; non quidem ut laudis quicquam accedat Autori, (quis enim hoc tentet?) sed ut, fructuum ubertate, Auditorum studium excitetur, cum non minus solertem, quam pium, gratis esse pœniteat. Istud autem, commodissimè omnium, peracturus videbar, si & quàm neutiquam, absq; sedula Autorum lectione, incrementa capere possit Eloquentia; & quàm, omnium felicissimè, Historia cum omnis, tum, præ omnibus, Liviana maximè, promoveat ista, paucis declararem. Et initiò (dabitis enim id veniæ, ut altius operam hanc nostram exorsi, facilius, quod volumus, impetremus) neminem quidem, adeò rerum omnium expertem, atq; ignarissimum, putamus, qui eam Eloquentiæ indolem esse, quam, in omni ferè creatorum ordine,
depre-

deprehendimus,nō ultro ſit conceſſurus.Cum namq; æternus mundi conditor,atq; parens,unus ſimpliciſſimus, uti ortus & interitus, ſic, à qua hic dependet, molis corporeæ, quam materiam dicunt, expers omnino ſit: tum reliqua creata omnia (ſi Genios, atq; cœli incolas mentes, excipias) non aliâ condidit lege atque conditione, quàm ut duplicis combinatione partis, perficiantur, exiſtant, operentur, materiæ atq; formæ. Vniverſum mundi corpus contemplare, & vel prima ejusdem luſtra incunabula, ut veritas conſtet dictorum. Ecquid enim cogitatis, primum naturæ, tam admiranda varietate, diſtinctæ, tàm illuſtriſſimo ornatu, paſſim ſuperbientis, vultum, quod unus in toto orbe fuerit,

Quem dixere chaos, rudis indigeſtaq́ moles,
Nec quicquam, niſi pondus iners, congeſtaq́ eodem,
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum?

Hunc vero, ſimul ac æterna æterni creatoris mens, certa ſingulis formarum inducta ſpecie, diſtingveret, ſua tandem perfectione conſtabat. Prodibant hinc, atq; ſeorſim cognoſcendas ſe offerebant, tot fulgidiſſimæ cœli faces, quæ certa lege, intra vaſtiſſimam cœli compagem, errantes, non diei modò atq; noctis, ſed anni ipſius variantes vices, ſtatâ lege diſpenſant. Emergebat, poſt abſciſſas undas, terræ facies, hinc vermiculato, amœniſſimorum florum, opere picta; inde frugum ubertate opulenta: hinc, continuo Solis urente radio, aprica; inde, denſiſſi-

mis nemorum lucorumq; umbris, opaca: hinc, continuatâ corporis soliditate cohærens; inde limpidissimorum fluviorum, venarum quasi quarundam, interstincta diffusione. Et quis infinitam illam creatorum, quibus illustris universitatis hic orbis est, enumeret speciem, quæ tamen omnis, nisi singulis formis supervenientibus, nunquam, extra rudis materiæ confusionem, prodiissent. Sed vosmetipsos, Auditores, neq; enim longius digressus, ulterius vos morabor, nisi molestum est, inspicite: & rei veritatem clarissimè discetis. Annon vilis terræ gleba, unde corpus hoc, commune nobis, existebat, erat, & exanime tamen hoc, motus sensúsq; omnis expers, rigebat, stupebat; dum, stupendo spiraculo, deitatis hoc animaret particula, quæ anima nobis, atq; forma dicitur, cujus beneficio vitæ capiens primordia, quod debebat, esse atq; agere incipiebat. Absq; hac vero quid fuerit, si scire quis cupiat, cadaver, post animam separatam, hominis intueatur, &, dum è miserrima hujus specie, divinam, cœlestis formæ, virtutem æstimare didicerit, verè, cum doctissimo seculi sui Viro, *Lutum nostrum quàm scite mixtum est, quantum tegit*, admiratione plenus dicet. Ex his ergò, cum satis, ut opinor, manifestum sit, ipsam Dei mentem, non aliâ ratione pleraq; perfecisse, quàm copulata geminarum, quas diximus, particularum unione; nunc porrò & illud, quotidiana rerum productione notata, suâ sponte patebit, quam exactis-

exactissimè, his, Domini atq; Patris sui, instans vestigiis, communis omnium mater natura, non aliâ, quicquid producit, generet ratione: neq; illud obscurius esse poterit, quàm artes omnes, curiosissimæ naturæ æmulatrices, id solertissimè agant, ne ullibi à natura aberrantes, monstrosis deturpentur fœtibus; sed ubiq; ad Typi hujus, & similitudinis, quæcunq; operantur, exigant normam. Notissima hæc sunt omnibus, quibus ipsa, communissimæ vitæ, ratio non est ignota. Nam & Mercurii formam nusquam apparere, nisi in ligno, aliové corpore, cui impressit eam artificis manus: &, ut exhibeatur illa, ita affabre efformandum illud, ut nulli exprimendo, quam Mercurio, convenientius dignoscatur, omnes puto nosse. Atq; hic jam, ad Oratoriæ artis enim accedimus operas, tàm arctè utriusq; jungi copulam, deprehendemus, ut, si alterius occurrat defectus, frustra opus suum moliatur Orator. Quod ergo ne fiat, id sedulo agit Orator, ut feliciter utroq; medio instructus, quem propositum habet, assequatur scopum. Videbis hinc, non laboriosius Apum, quam Oratoris studium occurrere, quo, optimi cujusq; Autoris, amœnitates lustrat, atque, ut rerum verborumq; (his enim duobus, omnem Oratoris materiam absolvi, communi opinione est receptum) congerat copiam, continuâ industriâ curat. Cum namque Oratoris boni munus sit, eadem facundiæ promptitudine, de rebus propositis omnibus, dicere,

re, quis non videt, quanta rerum omnium, in eo, requiratur cognitio, cui, ut res omnes apprehendant, atq; debito insuper affectu, prosequantur Auditores, est agendum? Neque tamen aliunde, vera hæc veri Oratoris, educitur eruditio, quam ex indefessa illa, floridissimorum Autorum, investigatione. Sunt enim, quæ reliquerunt, divina ingenii monimenta, instar amœnissimi viridarii, quod non modò uberrimâ, saluberrimarum rerum, sententiarumq;, fruge; sed & vernantibus, elegantissimorum verborum, flosculis (ast quàm convenienti, imò necessariâ, quem formamus, Oratori materia?) cultorem beat? Aut fontem, diffusissimum eadem statuite, qui gemino distinctus rivulo, hinc amplissimâ rerum copiâ, inde, limpidissimâ verborum claritate, æternùm scaturit? Derivatur ita inde, & verbis floridissima, & rerum amplitudine gravis, oratio, quæ, dum animo futuri Oratoris recipitur, inexhaustam dicendorum gignit copiam, quemadmodum æterno liquoris successu, semper vivos manare vides fontes. Ast dum hæc ita se habent, dum tantâ materiæ copiâ dives animus est, jam prodire licebit in publicum Oratori, ac aliis, quæ felix possidet, impertiri audebit? Næ errat, quisquis ita statuit: cum namque alterâ adhuc, corporis Oratorii parte, quæ, ut forma inducatur debita, ordinatè, ornatè item, atq; decenter formare, quod intendit, opus docet, destituatur, quicquid etiam, è profundissima haustum doctrina, absq; hac, protu-

protulerit, nihil erit aliud, quam, quod antea propoſuimus, rude illud, atq; indigeſtum, primæ creationis, chaos. Quemadmodum enim, lucidiſſimas cœli ſtellas, terræ amœniſſima germina, quæ omnia, nunc quidem, cum incredibili voluptate, uſurpat oculus, nihil, niſi rudem illam, atque primævam, quâ continebantur, molem, ſi absq; ordinata forma eſſent, dixeris; imo, niſi formæ beneficio in ordinem redacta eſſent, creata univerſa, grandem aliquam molem judicaveris: ita inſtructiſſimum illud, & curioſiſſimè undiquaq; congeſtum, eruditionis penu, quid aliud videatur, quàm incondita, diverſiſſimarum rerum, confuſio, quæ turbatiſſima coacervata mole, magis oneri, quam emolumento ſunt poſſeſſori, aliis autem, cum nec modus, nec ordo ſit erumpendi, publicè prodeſſe, neutiquam queunt? Quod ut clarius fiat, opulentiſſimum, faventioris fortunæ, vobis ſiſto pullum, qui ſplendidam, auguſtiſſimi palatii, ſtructuram moliturus, & marmoris, & eboris abundantiſſimam copiam, & quicquid pretioſiſſimarum rerum, poliendo, ornandoq; operi deſtinârat, vaſtiſſimâ mole congeſſit: unica ſaltem ei deeſt periti artificis norma, atque regula, ad cujus amuſſim exacta iſta omnia, perficiant grande molimen, quid ſpecioſi, quid elegantis, ſine hac, ab omni iſto, nobiliſſimarum materiarum, apparatu, tibi promittas? Vt ergo & hic, &, quem nos curamus, Orator digne ſuis utantur divitiis, ea alia ſubeunda cura

eſt,

eſt, &, quo debito loco, debitoq; ordine, ſingula locentur; quo firmo atq; arctiſſimo, inter ſe, nexu devinciantur; quo, juſta proportione, & magnitudine, ſibi invicem reſpondeant; quo apto, atq; convenienti, colore exornentur; &, ut uno verbo rem abſolvam, quo debitâ formâ perfecta appareant, non minori labore eſt providendum. Atq; ita demum Dei, naturæq; æmulus, utraq; procuratâ parte, dignum, nomine ſuo, producit corpus! His natalibus tandem oritur, cœleſtis illa proles, quæ, uti hominis decus ingenium, ita ingenii lumen eſt, eloquentia; cujus cum magna vis, in ſolida emicet eruditione, tum multum ſplendoris, ex illuſtri formæ concinnitate, accedere ſibi ſentit: quemadmodum & communem, rudis metalli, amorem, plurimum auget, imaginum, quibus ſignatur, ornatus. Et jam, credo, clarè ſatis, quam neq; ſine optimorum Autorum familiaritate, quid dicendum; nec ſine exactâ præceptorum cognitione, quomodo dicendum ſibi ſit, Orator noſſe queat. De quo quamvis juſto longius jam dixiſſe videar, non poſſum tamen, quin, obſignandæ ejus rei cauſa, dictatorium illud, maximorum dicendi magiſtrorum, allegem edictum, quo perfectum educturi Oratorem, ſolenni illud jubent voce; LEGE, SCRIBE: ſenſu non minus, quàm ſcopo, adeò manifeſto, ut, ſi quicquam ei illuſtrando addere velim, Soli, quod ajunt, lucem affuſurus videar. Illud ergo, quod, propoſiti ratio proximum

ximum offert, nunc potius agendum: ac, quandoquidem, à legendis Autoribus, tanquam ab opulentissimo promtuario, omnem, dicendorum, materiam petendam, statuimus; quorum lectionem svadeamus, porro indicandum erit. Hic verò, dum Historicos commendatos, hac vice, à nobis audivistis, non eam nobis mentem tribuite, quæ palmam, omnis eloquii, Historiarum conditoribus offerat, eosque ita, Oratori futuro, proponat, ut Oratorum etiam lectiori præferat. Non sanè aut rerum ita ignarus, aut immemor etiam sui, animus est, ut grande illud, quo ab Oratore, Historici differat opera, spatium ignoret. Sive namq; officium consideres, atq; scopum utriusq;, sive, quibus uterq; utitur, media, vix quicquam, diversum magis, alibi judicabis. Quæ sanè, ab omni, perfectissima Oratoris arte, requiruntur, duo ista sunt primaria, ut & dicendo fidem faciat, Auditorumq;, applaudentem, obtineat consensum, &, hoc ut fiat, vario affectuum impetu, quocunq; velit, agat, trahat, impellat, rapiat. Ast, quam incuriosus, horum omnium, Historiæ conditor? qui, cum parum solicitus, certamné an dubiam fidem, quæ scripserit, sint inventura, affectuum verò studium, non absq; gravi nominis macula, sectetur, satis egisse sibi videtur, si rem, prout gesta fuerit, simpliciter enarret. Non ille pomposum verborum apparatum, ac deliciantes flosculos, absq; quibus, omnis Oratoris vis marcet atq; langvet, conquirit;

ſed tanto rectius munere ſuo fungitur, quanto planius, nudam veritatem, videtur expreſſiſſe. Et in hoc tamen, grandi utriusq; diſcrimine, multum ſubſidii, ab Hiſtoricorum lectione, Oratori noſtro promittimus: & ita promittimus, ut, niſi, cultiſſimos Oratores lectos, Hiſtoria excipiat, vanum, atq; inane, Oratoris ſtudium afferamus. Quod ſi fortè dubium cuiquam videatur, per ſingulos, Oratorii operis, gradus, mecum pergat, & veritatem dictorum, fatebitur mecum. Prudentiam, quæ una utramq;, optimarum Orationum, facit paginam, ſine quâ nec gratus, nec efficax, ſermo ullus eſſe, unquam poteſt, quid feliciſſimè promovet? Hiſtoria, illuſtriſſima illa temporum lux, infallibilis veritatis teſtis, atque hinc, feliciſſima prudentiæ mater. Gratiſſimum illud Orationis condimentum, quæ oblectatio dicitur, ſine qua nec eſſe, nec perſvadere poteſt Orator, è quo fonte derivatur? Ex hiſtoria: hæc enim eſt, quæ, prudentiſſimo dicendi Magiſtro aſſerente, molli quodam, jucundoq;, Orationem alit, ſucco: cum maxima homini voluptas ſit, antiquiſſimorum ſeculorum, res geſtas intueri, &, qui diu inter nos eſſe deſierunt, eos tamen, oculis quaſi, uſurpare, ac familiariſſimè, cum iis, converſari. Fidem verò, quæ niſi ſequatur Oratorem, garrulus nugator potius, atque vaniloquus erit, quam Orator, quid ſolidiſſimè omnium confirmat? Hiſtoria, quæ, eodem Quintiliano teſte, eò potentiora ad fidem faciendam, ſup-

pedi-

peditat dicturo exempla, quo liberius consignata, sola criminibus, odii atq; gratiæ, vacant. Nec ignotum adeò, sapientissimi Regis oraculum, quo, optimos consiliarios, mortuos prædicavit. Et tamen, ut non modo fidem mereatur Orator, atq; assensum, sed reliqua etiam felicissimè exequatur, ita instituendus sermo est, ut & planissimo sensu, longè ab obscuritate; &, amplificatâ justè magnitudine, ab imperfectione absit: utriùsq; verò rationem, quis docebit? Historia, quæ & divitem, abundanti exemplorum copiâ, orationem reddens, convenientem amplitudinem ei tribuit; &, felicissima docendi media, Exempla profert, quæ tum, perspicuitate sua, facile Auditorum occupant animum, tum ita, vi validissima, affectus cient, prout jucundissima svavitate oblectant. Hæ exquisitissimæ illæ deliciæ, quas ex instructissimis, Historiæ, depromens conditoriis Orator, uberrimo incremento sermonem promovet. Hæ splendidissimæ illæ divitiæ, quas, ex opulentissimis illius aurifodinis, eruens Orator, augustissimo ornatu, opus suum illustrat. Ad has itaq; acquirendas, festinandum Oratori, ut, quando id usus postulat, uti frui iis possit. Et jam vos ipsi, Auditores, dum hæc dico, pleno huc ferri gressu videmini: sed sufflaminandi paulisper estis, ô boni! dum, quo pergendum sit, didiceritis: ne, si incautius progrediamini, cœco errore abrepti, pro saluberrimis pascuis, in pestilens venenum; &, pro nobili obryzo, in sordidas

incidatis ſcoreas. Non minus enim, quam auri decus, vilius interdum metallum; & ſvavem ſacchari candorem, lethale mentitur virus; plurimorum autorum ſpecies, incauto imponit lectori. Hîc ergo quâ prudentiâ, quos legas, ſeligendi ſint, nunc mihi dicendum eſſet: verùm, quia id & multo prolixius eſt, quàm ut, hâc operâ, confici poſſit; & aliud inſtituti ratio me poſcat, dabitis eam veniam, ſi, omiſſis aliis, hâc vice, omnibus, illud ſaltem agam, ut, quàm utiliſſima imprimis huic operi, Liviana lectio ſit, conſtet. Neq; id verò, ne in prima, Orationis hujus noſtræ, principia peccem, multis jactabo, cum laudis alienæ, minimè omnium, egeat, graviſſimus autor. Vt tamen, quam confertim, ſummorum virorum judicio, publica in ipſum elogia conferantur, cognoſcatis, ſufficiat, paucula, ex jmmenſa iſtorum copiâ, delibaſſe. Ecquid ergo videtur, dum jam lactea ubertate ſcribere; jam candidiſſimus naturâ, omnium ingeniorum, æſtimator; jam eloquentia, & fide imprimis præclarus; jam, quæ, dulciſſimæ Eloquentiæ, perennis imago fuit, Siren dicitur Patavina? Hæc & innumera alia, quæ ſciens atq; volens prætereo, quem non alliciant, quem non in amorem trahant? Atq; ne vana iſta laus, cujus fundamentum non res, ſed affectus ſit laudantium, videatur, iterum exactiſſimum, quem paulo ante adduxi, Romani eloquii cenſorem, vobis, Quintilianum, ſiſto: qui altius, in laudis hujus veritatem, inquirens, in narrando, inquit,


quit, miræ jucunditatis eſt Livius, clariſſimiq; candoris, in concionibus, ſupra quam enarrari poteſt, eloquens, dum omnia tum rebus, tum perſonis affert accommodata; affectus verò, nemo Hiſtoricorum expreſſit magis. Hic jam excute, omnem Oratoris artem, & vide, ſi, vel tenuiſſima ejus occurrat particula, cujus exactiſſimam rationem, non tradat, Patavina noſtra Siren. Quæ enim major virtus Oratoris, quàm ita prudenter formare orationem, ut ſingula divinum illud, τὸ πρέπον, oſtendant, aſt, quod turpius vitium, quàm ſi oratio extra oleas currens ἀπροσδιόνυσα afferat? Et quodnam felicius, tam obtinendi prioris, quàm evitandi alterius, medium, quàm omnia, cum Livio, rebus, ac perſonis afferre accommodata? Si vero, communi omnium ſuffragio, abſolutiſſima Oratoris eſt perfectio, quâ imperium, in hominum animos, quos Dei unius, aliàs ſubjacere novimus, regimini, obtinens, affectuum, quocunq; velit, motu agit atq; ducit: ad hanc verò perfectionem, quis felicior eo dux fuerit, quo nemo, Hiſtoricorum omnium, felicius exprimens affectus, potentius, hujus generis, imperium obtinuit? Videtis ipſi reliqua, quam non conducant modo, ſed neceſſariò omnino, futuro ſint Oratori, quæ & de univerſæ Eloquentiæ, & ſpeciali, Narrationis Livianæ, laude propoſita ſunt: hinc, me tacente etiam, quantum vobis, ex Patavini hujus familiaritate, commodi polliceri poſſitis, quam facilimè decernetis.

Aſt

Aſt dum ipſum Patavini nomen, ſæpius ingemino, jam diu obſtrepere mihi, neſcio quis Aſinius Pollio, videtur, qui grandem eo nomine, dicam impingens, diſertiſſimo Autori; tanta hunc illius turpitudine laborare putat, ut, manibus etiam lectorum, excusſum velit; cum quo dum paucis ago, attentionis adhuc veſtræ, A. requiro ſtudium. Et initio quidem, ut, quid, de Patavinitate, ſtatuendum vobis ſit, ipſi ſciatis, nil aliud eam eſſe tenete, quam peculiarem quandam, Patavini tractus, Dialectum, quâ ejus loci cives, levi quadam declinatione, in formulis dicendi nonnullis, à ſolenni Romanæ conſvetudine, deflexerunt: id quod, hodie etiam, ſi Patavinam, Etruſci ſermonis, cum Veneta, conferas dictionem, haud difficulter notabis. Atq; hinc jam videte, quantum ſit, quod carpat acutus cenſor? Nævus ſcilicet eſt, non levis modo & exiguus, ſed ita etiam, optimis Autoribus, familiaris, ut vix ullus, cui non exciderit vocula una atq; altera, quam non imitari, ſed notare conſultum ſit, exſtet. Atq; hoc eſt, quod Stoicorum ſapientiſſimus dicit: *Nullum ſine venia placuit ingenium: Da mihi quemcunq; vis, magni nominis, virum; dicam, quid illi ætas ſua ignoverit, quid in illo ſciens disſimulaverit.* Neque tamen, ideo culpandos eos; ſed defectus, undiq; imperfectæ humanitatis, inde colligendos, ac, quantum fieri poſſit, ſuſpectos eos loquédi modos, cautisſimè evitãdos prudentisſimè cenſet. O quã ſatius, prudentis hujus modeſtiæ, meminiſſet, argu-

argutus cenſor, qui, quanta, puræ Latinitatis, laude claruerit, non meo, ſed, ſæpius laudati Quintiliani, calculo judicetur, *quod non modo*, dicentis, *ipſe, à nitore & jucunditate Ciceronis, ita longè abſuerit, ut ſeculo prior videri posſit: ſed & tam curioſæ ſolertiæ, ut nimia ea nonnullis videatur.* Atque hic, ſi Diis placet, grandis ille cenſor: qui ſi debitam, temeritati, luat pœnam, non equidem eſt mirum. Solet enim, & jure quidem meritisſimo, ita evenire curioſis cavillatoribus, atque captatoribus verborum, ut, quæ, φιλαυτίας occœcati caligine, domi ſuæ perſpicere, aut nequeunt, aut nolunt, ea, dum alienis arguendis nævis occupantur, in publicam ab aliis lucem videant producta. Quod ſi Aſinius experiatur etiam, ſibi omne id, & ſoli acceptum ferat: nos verò misſis, arguti hominis, ineptiis, exactioris acuminis audimus Criticos, qui non modo, in florida Latinitatis ætate, numerant, ſed & Ciceroni jungendum, imprimis à latere, Livium præcipiunt, & hinc merito dicto obedientes, eorum ſequimur ductum. Vos modo A., quod nos tam promptè agere videtis, idem agite, ac promptitudine veſtrâ, ſtudium noſtrum promovete. Ipſi ſvaviſſimas eas delicias, quæ, per amœniſſima, floridiſſimi Autoris, viridaria, offerent ſe nobis, & animo, & ſenſu percipietis, dum jam pro roſtris, dubias cauſarum lites, decidentem; jam, in caſtris, in arma animantem militem; jam Tribunitios, &, quæ ab his dependet, multi-

multitudinis, furores compescentem; jam alia, mille, Oratoriorum florum, elegãtiis, disertissima facundia exponentem audietis. Et tamen longe opulentior, qui florum hanc sequetur amœnitatem, fructus erit, cum ore, ingenioq; Liviano instructi, ipsi publicarum rerum geretis administrationem, & ita geretis, ut, quam divinis animi dotibus Livius obtinuit, vos vestra virtute, vestroq; merito, obtineatis immortalitatem.



SEQVVNTVR

COMMENDATIONES CANDIDATORVM PROMOVENDORVM, AD SPECTABILES DOMINOS DECANOS, IN DIVERSIS, SOLENNIVM PROMOTIONVM, ACTIBVS HABITAE.

I.

SPECTABILIS DN. DECANE, VIR EXCELLENTISSIME, COLLEGA AC AMICE HONORANDE:



ET in Augustissimam hanc concionem, & in limatissimum S. V. judicium, & in exquisitissimam Dnn. Candidatorum eruditionem, iniquus essem; si proli-

xiori-

xioribus precibus, quæ velim, impetranda censerem. Miser Orator est, si, anxiè conquisito fuco, & colore, rerum defectum explere cogitur: at stolidus idem est, si, in re evidentissimâ, eloquentiæ luxuriem ostentat. E quibus hoc dum caveo, istud non vereor. Quos enim præsentes habet Dn. Candidatos, S. V., horum, cum Amplissimâ Facultate Philosophica, eam novit eruditionem, eam vitæ concinnitatem, ut nemo eorum existat, qui, qvantum memini, cathedram publicam non conscenderit, adeoque, præter Nobilissimos Dnn. Studiosos, t. t. Auditores, hanc sacratissimam Musarum ædem, testem virtutis habeat. Ea solertissima sementis, ea fidissima servitia, ea strenua pugna, quibus, inter, virginum Musarum, consortia, fuerunt occupati. Metant itaqve, prout sementem fecerunt; stipendium, quod meriti sunt, capiant; gaudeant, qvia vicerunt, triumpho. Tu præses, hoc semestri, sacrarii Philosophici constitutus, ne, qvod conabantur, polluerent idipsum profani, sedulus providisti: perge asserere tantum decus, ac, ab impurissimorum contemptu, fortiter vindicare. Non minima rei feliciter gestæ pars est, præmia, ac pœnas, æqua manu tribuisse. Quin itaqve, qua polles, potestate uteris, ac, te quoque directore, suum, artibus Academicis, constitisse decus, ostendis? Lauri Pater Apollo est, ac Musarum qvoqve Pater, est idem; ast qvàm, arctissimo nexu, Musis nostræ

artes ſint ſociatæ, omnibus conſtat. Exprome itaqve, quam premis adhuc, amœniſſimam laurum, ac, quod petit, me interprete, Ampliſſima Facultas, doctiſſimas haſce frontes, eadem corona. Nec eſt, quod deſperes, feliciſſimum lauri iſtius, inter has mentes, incrementum. Ea Dnn. Candidatorum virtus eſt, ut, defendendo ejus vigori, abundè ſuffectura videatur. Ficum quondam, in lauro, natam Plinius refert: quis non videt, dulciſſimi fructus laſcivia, triumphantem arborem vitiatam? Non hic is metus: conſtanti virtute, ac aſperrimo labore, agent, ut non alius, niſi lauri, æternus vigor perſtet. Non admittent quicquam, quod temerare ejuſdem decus queat. A fulmine quoqve malevolorum, ſecuram præſtabit eorum doctrina; ac, quod debetur huic Lauro, Tibi, noſtro jam, ſuoqve Phœbo, æternum conſecrabit. Tu modo tuo, ipſorumqve, honori ulterius ne deſis, ſed, quod, iteratis precibus, cum prolixâ officiorum promptitudine, à nobis petitur, feliciter exequaris.

II.

SPECTABILIS DNE. DECANE: VIR EXCELLENTISSIME, COLLEGA AC AMICE HONORANDE: Et quid reſtare ulterius putés, quàm, ut, teſte hac auguſtiſſimâ concione, literatiſſimi hi, ac Eximii, Domini Candidati, voti compotes, potiantur tandem debito, laborum ſuorum, fructu? Eſt illud, prout eruditiſſime S. V. expo-

ſuit,

ſuit, Academiarum munus, ut unicum & publicæ, & privatæ, felicitatis, fundamentum præſtent, nec minus ſingulorum res, quàm communem omnium ſalutem, ſolidiſſimè confirment. Quod proinde cum certiſſimum ſtatuerent, præſentes hi, lectiſſimi Viri, omnem iis ætatem ita conſecrarunt, ut, & moleſtiarum omnium, ac difficultatum negligentes, nobiliſſimis earum fructibus, mentem ditarent. Hinc ſi, quam mirandam hucusqve propoſuiſti, arbor, & terram ipſam, fœcunditatis beneficio, beat; & incolarum, inter ſteriles arenas, cœliqve inclementiam, deficientium ferè, ſitim feliciter tollit: ſapientiæ eoſdem puta rivulos, qui, ex Academiarum fontibus, derivati, ita, in pectoribus ipſorum, exundarunt, ut, generoſiſſimis fructibus, undiqve nobiles, opulentiam, ac miram exhiberent fœcunditatem. Vel an ignota eſt, concinna ac elegantiſſima vitæ ratio, quâ & hîc, & ubiqve, eam probarunt virtutem, quæ non, niſi ſolertiſſimo cultu, potuerit provehi? Doctrinæ verò, atqve eruditionis inſigne decus, ita vidit, primum quidem, Ampliſſima Facultas Philoſophica, cum rigoroſiùs in eam inquireret; pòſt verò, univerſus Excellentiſſimorum undiqve, ac Clariſſimorum Virorum ordo, cùm, graviſſimis diſcurſibus, publicè eam ipſam luſtraret, ut ſemper, gratulationibus atqve applauſu, fuerint excepti. Et tales hoſce viros, cum in publicum produxeris, quorſum prolixior ſermo? Sci-

licet operosè peteret à S. V., Amplissima Facultas Philosophica, ut, qvod reliquum est, Academicorum fructuum, honore publico, doctissima hæc capita, ornaret, nisi melius longè, de S. V. prudentia sentiret. Scis enim probè, Spectabilis Vir, Felicitatis Civilis Publice Doctor, quod Justitiæ, & æqvitatis sit officium; nec proinde, qvod alios doces, suum cuiqve tribuere, horum virtuti negabis. Pariter namqve iniquus est, & qvi rapit aliena, & qvi negat debita. Ab hoc itaqve qvàm longè absis, reipsa ostende, & eâ, qvâ polles nunc, potestate utens, DEO benigno, & fortunante, summos Philosophiæ honores, spectatissimæ huic virtuti, ac doctrinæ, concede. Vides, qvam id, præter me, universum Augustissimum Auditorium, converso in te vultu, etiamsi vocem non edat, oret, cui qvicqvam negari à te, nunqvam patieris. Sed &, Literatissimi Domini Candidati, ea mente adesse videntur, ut, quicquid hoc loco à S. V. perceperint beneficii, omne id, in publicum collaturos se, promittant. Erit posthac & ipsorum pectus, amænissimæ illius, quam vidimus, arboris instar, cujus saluberrimus liqvor subinde profluens, plurimorum animos felicissimè fœcundabit, iisqve fructibus imbuet, qvibus & Rerumpubl., & Ecclesiarum sustineatur incrementum. Aggredere itaqve, aggredere, Spectabilis Vir, laudatissimum opus, &, qvod prudentissimè constituisti, feliciter exequere. Pro eo autem

tem

tem noſtrum omnium, prolixiſſimum affectum, cum æterna, devinctiſſimorum officiorum, promptitudine, exſpecta.

III.

SPECTABILIS DN. DECANE, VIR EXCELLENTISSIME, COLLEGA AC AMICE HONORANDE. Quantâ voluptate, Auguſtiſſimum hoc Auditorium, amœniſſimus non minus, quàm eruditisſimus diſcurſus Tuus, perfuderit: ipſum unâ, ſi fieri poſſet, voce atteſtaturum, ac, exquiſitiſſimis, eo nomine conceptis, gratiis, id beneficii prædicaturum, ſtatue. Quod enim iis familiare norunt omnes, qvi iter confecturi, viam ingrediuntur, ut non ſemper, rectâ atqve trita, progrediantur, ſed, augendæ oblectationis causâ, diverticulorum amœnitates ſectentur, atqve ita, opinione citiùs, ſcopum propoſitum, inter digreſſiuncularum voluptates, contingant: idem ſibi evenisſe, hac vice, arbitrantur. Eqvidem, cum optimè recordentur, quo ſcopo, viam, in ſacratiſſimam hanc Muſarum ædem, ſuſceperint, ut videlicet, ſupremos Philoſophiæ honores, quibus Literatiſſimi, præſentes Dnnn. Candidati, jure ſuo merito, ſunt ornandi, honoratiſſimâ præſentiâ, illuſtrarent; tum verò ſingularis id benevolentiæ loco habent, quod ante, quam eò perventum ſit, tam jucundiſſimarum rerum expoſitione, ipſos oblecta-

re S. V. voluerit. Aſt, ſi non gratum magis, quàm ſalubre, viatoribus videtur, juſto tempore, à diverticulis, in regiam vocari viam, ut tandem, quem deſtinârant, termino iter claudant: ita, non difficulter S. V. accepturam, confidunt, ſi, ad propoſitum, ea revocetur, ac, quò, qui decretus huic Panegyri eſt, finem addat, officioſiſſime rogetur. Quanquam, ne ita quidem, multùm, à S. V. E. diſcurſu, digreſſuri ſimus. Admiranda omnia, quæ eadem de, remotioris illius orbis, incolis, in medium protulit: verùm, annon æquè admirandum illud, quod, inter incultiſſimam illorum barbariem, tam illuſtria cultæ virtutis, & exempla occurrant, & præmia, ut ſuperare etiam ferè, horum barbaries, nonnullorum videatur culturam. Sagacitatis providæ, pietatis, ſuperſtitioſæ quamvis, juſtiſſimæ æquitatis, ne alias virtutes recenſeam, celeberrima adeò, & plurima in iis notant ſpecimina, quæ accuratius eos deſcribunt, hiſtoriæ, ut, ſingulatim recenſendis iis, nec tempus ſufficiat præſens, neque inſtitutum. Ergò, ſi præmia ſaltem, virtuti ab iis conceſſa, excutiamus, illud deprehendimus, ita quemlibet honoribus, atqve dignitatibus, ornari ab iis; prout virtute, atqve rebus præclarè geſtis, meretur, reliqua ſequioris indolis turba, ſeveriſſimarum pœnarum non experte. Quæ dum audis, S. D. D. facilè largieris, ne, dum prolixiùs, ea applicando, dicam, injurius in Auguſtiſſimum Auditori-

torium, existens, quem favorem ab eodem, benevolentia tua, obtinuisti, meâ ego violem dicacitate. Ergò, quod res jubet, acturus, S. V. nomine Amplissimæ Facultatis nostræ, oro, ut præsentium, quâ literis, quâ moribus, eximiè ornatorum. Dnn. Candidatorum virtutes, quas cum omni, quâ Academicis & hîc, & alibi, operati sunt studiis, vita; tū, haud ita pridē, in tentaminibus, examinib⁹, rigoroso partim, partim publico, clarissimè locuti sunt, accuratiùs cogites; atqve hinc, quod æquitas ipsa, qvod diei præsentis institutum, quod Honoratissimi Auditorii exspectatio, quod officiosa, Collegii nostri, intercessio, cupit, debitum, Philosophicorum honorum, præmium, pro eâ, quâ jam polles, potestate, concedere haud gravatè velis. Quod quidem uti, freti prudentissimo tuo judicio, (quo, felicius, tribuere præmia aliis didicisti, quàm, natura ipsa dictante, incultiores, benè merentib⁹, non denegare audivim⁹,) facilè nos impetraturos, nulli dubitam⁹, ita, pro eo Amplissimi quidē Collegii, addictissima officia, ornatissimorū Dnn. Candidatorū nomine autem, devinctissimam observantiā, ac indefessum defendendorum honorum, studium exspecta. Sed & Honoratissimos Dnn. Auditores, hoc, quicquid viæ confectum fuerit, non, nisi feliciter, ita confectum falluros, certò confide.

Quæ

Quæ sequuntur, Alloquia, cum Honori, OPTIMORUM PATRONORUM ATQUE AMICORUM, prout tulit occasio, devinctissimus destinarit affectus, non ingratum Tibi, LECTOR BENEVOLE, & argumentorum, & pietatis meæ, in Amicos, ratione, (neq; enim decebat, absq; grati animi signo, beneficia accipere) habitâ, fore putabam, si & ea tecum communicarem. Tu solito favore, hoc meum etiam studium æstima. Sequitur ita



I.

HONOR NATALITIUS

CONSULTISSIMO AC AMPLISSIMO, DOMINO

MICHAELI ADERSBACHIO,

SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI, CONSILIARIO ET SECRETARIO,

UT ET

REGIARUM, E POLONIA, MERCIUM SYLVESTRIUM ADMINISTRATORI MERITISSIMO, PATRONO, PARENTIS INSTAR, HONORANDO,

XXVIII. SEPT. M. DC. XXXV.

CUM

ANNUM ÆTATIS LXVII. INGREDERETUR, EXHIBITUS.

CONSVLTISSIME VIR.

DVm inter publica ſacra, cum Chriſti cœtu, quæ tua pietas eſt, devotiſſimo cultu, Æternum Numen cernuus veneraris, ac, qvæ tibi cœlitus, ſacratiſſimorum Angelorum ſervitiis, infinita bona evenerint, tuâ curioſitate percenſes: privata, inter tuos, exiſtit lætitia, qva omnis tua familia perfuſa, inter gaudia ac tripudia, tam candidam lucem ſalutat, qvæ & Onamaſterii, & Natalitii, ſolennitate, tibi celebratur. Videas hinc omnes, qvo in te ſtudio ſint, atqve cultu, ubertim teſtari: Fauſtas gratulationes, ac bona verba dicunt, nec qvicquam aliud precantur omnes, niſi, ut diu ſuperſtes ſit ſuum, tam ſplendidum, decus, ac nobile columen. Quo uti feliciſſimè fruantur, dona etiam addunt, atqve munera, qvod iis, te ſibi devincire, laborent. Ego, inter reliqvos, ſi fortunâ; obſeqvioſo certè cultu, neutiquam minor, qvâ tandem vinciendi arte, Te, devinctum Mæcenatem, mihi redderem, anxius cogitavi. Prompta equidem occurrebat voluntas, ſed deſtituta omni facultate. Niſi enim deſpiciens Fortuna, intercederet bonæ menti, monimentum, ADERSBACHIANAE virtuti, ponerem, ſi non cum æternitate, cum multa ſanè annorum ſerie, certaturum. Palmam, ex ære, exquiſitiſſimè fabricatam, qualis ea à Cypſelo, inter

templorum donaria, locata fuit, Plutarcho teste, statuerem, inter undiqve furentes tempestatum insultus, læte florentem, cujus radices infinita, Ranarum coaxantium, roderet malignitas; adderem, ex aliâ parte, indefessos hominum labores, quibus, ut fructibus palmæ ditissimis fruerentur, sudarent. Agerem id, si aut tibi pretiosa dona, per animi virtutem, deessent, aut mihi, per tenuitatem meam, superessent: Nunc cum utrobiqve aliter se res habeant, una charta hæc perficiet (nam tota supellex, dicente Poëtâ, Vatum piorum, chartea est) ac, quod, majori pompa, exprimeret statua, pari veneratione, breviter proponet; Neqve enim, expressiori signo, Tuam Virtutem exponi posse, confido. Non equidem multis narro, fœcundissimam Sapientiæ, Prudentiæ, reliquarumqve domesticarum tibi virtutum, copiam, quæ, instar semper vivi RIVI, fontisve, inoffenso ductu, per VENAS interminas, undiquaqve se diffundit: Non inde promanantia, in SERENISSIMA CAPITA, servitia, ac reficiendæ, exanimæ ferè, Patriæ, derivata consilia, prolixus loquor: Non, in bonos omnes, officiosissimam, ac juvandi paratissimam, voluntatem. Non delectantur tuæ aures, proprio Encomio; nec assueta mea lingua, præsentium laudibus. Supersunt muti horum omnium præcones: & non tam verbis, quam factis te bonum esse constat. Illud saltem dico, si arbores, fœcunditate, Palma vincit, tu

tu qvam multos, fructuum tuorum copiâ, ſuperas. Quis non ad te, velut nobiliſſimam arborem, confugit, utqve fructibus, virtutum tuarum, juvaretur, laboravit? Ac ſi, annorum augmento, Palmæ augentur fructus; Nullus annus, inter omnes, quorum SEXAGESIMVM SEPTIMVM (VELIT DEVS FORTVNATISSIMO AVSPICIO!) ingrederis, actus fuit, qui, peculiari fructu, ditiorem tuam virtutem, non demonſtraverit. Ea indoles magnæ Virtutis, nunquam fatigari, nunquam, honeſtiſſimis exercitiis, vacare. Semel ubi laudabile obtinuit propoſitum, nullæ id animo eripient difficultates, nullæ injuriæ. Velan, Palmæ vigorem, inſania tempeſtatum lædit? Annon ridet magis vanos impetus, ac lætius, florentem comam, erigit? Ita virtus eſt, nunquam amœnior floret, quam diffi-cilimis agitata adverſitatibus; cum namqve ardua ſola ſibi proponat, nullis, niſi arduis, delectatur. Et, credo, ea mente, Invidiam Nutricem ei additam olim; Ranas coaxantes, certè, non alia, addebam PALMAE ADERSBACHIANAE. Mira Virtutis ſors! Inter bene facta, maledictis lacerari. Quanquam quid agas? Ea mentium nonnullarum fœditas eſt, ut, cum magnas aliorum virtutes, nec poſſidere, nec ſperare valeant, veluti nitedulæ, ſordes ſuas affricare ſtudent, inculpatiſſimis animis. O ſi noctuarum potius indole, quod ſuſtinere, lippientibus oculis, virtutum clarisſimum lumen ne-

qveunt, fugerent ſaltem. Neqve enim incrementum ſui ſperent honoris, ſi detrimentum alieni qværant: Neqve qvicqvam, ſuis impuris calumniis, virtutis fulgori detrahunt. Non læditur generoſus eqvus, canum latratu; nec interit, â Ranis roſa, Palma: Ridet etiam, ac alte deſpicit, ſtolidos impetus. Tuquoqve, AMPLISSIME VIR, ſi, virtutum tuarum, multos habuiſti obtrectatores, ſaltem id, qvod facis, æternùm cogita, qvam nihil inde damni ad te pertigerit. Flores, viges adhuc (adde Deus æternitatem!) etiam frendente invidiâ, cui gravius nihil accidere noſti, qvam ſi ridendo ſpernas, & PATIENDO VINCAS. I nunc, maligna, ac improba, calumnia, &, ſi, hac arte firmatum, animum ſubvertere posſis, experire. Irrepere, in amplisſimam familiam, ut noceas, ſtudes; ſed qvo cum, res tibi futura ſit, in ædium frontiſpicio noveris. Quid namqve, non tam literis, qvam, ſenſu, aurea eidem aſſcripta volunt?

SI VIS VINCERE, DISCE PATI:

Diſcedas procul hinc, ac alium, tuæ victoriæ, campum qværas, te jubent: hic qvidem nihil, viribus tuis, obtentum iri, ubi, virtutis fortisſimo robore, æternus honor fundatus eſt. Quæ quidem ego ubi ſæpius legi, tacitus mecum cogitavi, miram calumniæ inſaniam, quæ, tam maſculâ voce, irritata,

Tuam

Tuam, Venerande Vir, conjurata quasi malitia, exercere patientiam non desinit. Sed macte virtute, macte animo! imposterum quoqve vince, adversantium strepitus, atqve susurrus. Video, ut æterno flore vigeat palma, quam nec brumæ frigora lædunt: Video ut & tu, communem seniorum plurimorum terminum, magnum Climactericum, Deo ductore, evaseris, nec quicquam corporis, animive, viribus decesserit. Ea cœli gratia est, & vivacem, ac vegetam degere senectam; quæ quantum tempore annos, tantum vigore juventutem, auget. Deus est omnium horum autor, & conservator, quem, ne prolixiori stylo molestus sim, hoc ipso Natali Tuo, pro concessis istis omnibus, veneror devotus. Venerabatur Pagana superstitio, suas Iunones, suas Lucinas, Opes, & infinitam Idolorum colluviem, quas omni hominum ætati, â vitæ primordio, præsidio dederat; sed vana fides, vana Religio! DEVS vitæ nobis dator est, cujus indultu, quicquid venit, obtinetur. Eum, sive MAGNVM MICHAELEM, sive POTENTISSIMVM omnium dixeris, idem dixeris. Is est, qui, bonitate suâ, nos servat, potentiâ defendit, prudentiâ ducit. Is est, qui Angelum suum gravissimis TVIS, VIR CONSVLTISSIME, negotiis, difficilimisqve viis, conficiendis, comitem, sociumque dedit. Is est, qui â laqueo venantium, & â verbo aspero, tutum te præstitit. Is est, qui devotissima

tua ſuſpiria, ardentisſimaqve vota, audit, ac fructum eorundem, æterno ſibi fœnore, ſervat. Is eſt, qui, poſthac etiam, te bono publico, tuorum gaudio, multorum ſubſidio, diu ſervabit. Quibus, ubi facilem admisſionem, vilisſimi hujus muneris, benevolentiamqve priſtinam, obtinuero, nihil addo, niſi ut, qvæ Plinii ad Trajanum verba ſunt, iis omne hoc negotium obſignem.

OPTO, DOMINE, ET HVNC NATALEM, ET PLVRIMOS ALIOS, QVAM FELICISSIMOS AGAS: AETERNAQVE LAVDE FLORENTEM, VIRTVTIS TVAE, GLORIAM, ET INCOLVMIS, ET LAETVS, ALIIS, SVPER ALIA OPERIBVS AVGEAS.

II.

HONOR NATALITIVS EIDEM M. DC. XXXIX. EXHIBITVS.

Et


T hunc ergo, qvod bene profperet D. O. M.! annum dum feliciter claudis, ac, raro, fummi Numinis, favore, communem mortalitatis terminum, excedens, SEPTVAGESIMVM PRIMVM INGREDERIS, fummo jure, & Tibi, & nobis gratulandum videtur. Nam & hæc tua felicitas, qvo rarius, huic noftro feculo, contingit, eo folennioribus votis falutanda: Et noftrum, tanto effufius, emanat gaudium, quanto charius, tàm venerandi capitis, patrocinium exiftit. AVGVSTI, ante imperium etiam, natalem, hoc ipfo menfe, bidui folennitate celebrabat Roma, qvod, fingularem virtutem, fingulari cultu, dignam cenferet. Non ea nobis temeritas, ut, dicendi libidine, extra oleas vagati, fumma mundi capita, cum privatorum forte, confundamus, ac nativos rerum modos tollamus. Illud tantum dicimus, qvod Sapientibus omnibus conftat, ita qvemlibet Imperatorem effe, prout, virtutum imperio, eminet animus. Fortunæ ludibrium qvoddam, ac, mendax oculorum lenocinium, effe purpuram, fi vitiis intus fqvaleat animus. Aft fulgeat hic virtute, &, fupra Imperatorum majeftatem, coletur. Hinc videas plurimos, regno fceptroqve potitos, infra vulgi fordes, jacere: plurimis interim, mediocris cenfus, ad immortale honorum decus,

eve-

evectis. Nunc ergo, qvam toties experimur, qvem cultum, qvem amorem, Tua, VIR AMPLISSIME, meretur Virtus? Qvâ veneratione agendus dies is, qvi & huic, & Tibi, optatissimum auspicium dedit? Summum, PATRIS PATRIAE, titulum isti, qvem diximus, insolens bene faciendi studium, ac summa clementia dederunt: Tu si non patriæ (sortis enim hanc conditionem semel excepimus) ast plurimorum Pater es, qvorum egestati singulari succurris liberalitate, ac promptissimo studio, oppressiones levas. Novimus plurimorum refugium, domum tuam, fuisse, unde, velut ex sacrario qvodã, afflictioribus rebus suis remedium, non modo peterent, sed & impetrarent. Novimus, id optatissimum tibi fuisse, si sublevare oppressos, ac juvare qvoqvo modo posses. Sed & id novimus, non fractam hanc benefaciendi, in te, promptitudinem, ingrato multorum animo; Verum, cum summis animis, perpetuam hanc tibi virtutem fuisse, benefaciendo, malam gratiam experiri. Qvanqvam nec fallor, si, qvod propria modestia supprimit, hic exprimam, labores tuos, ac curas, sæpius, publicæ patriæ saluti, profuisse: Ac eam consilii tui publici, cui Te tua Virtus admovit, fuisse dexteritatem, ut patrius undiqve, in patriam, eluxerit affectus. Qvem qvidem notaturus Augustus (placet enim, qvi, communem, tecum, natalem habuit mensem, ejus nomine sæpius

pius uti) SPHINGIS imagine ſignabat: Et optimè, ſi quidem rem penitius introſpicias. Robore multo, nec pauciori prudentiâ, iis opus eſſe, qui Rerumpubl. curas gerunt, tam notum eſt, ut, contra ſi quis ſentiat, nil ſentiat. Neqve enim cujusvis, dicente illo, eſt Rempubl.; ut navem, gubernare. Hinc, ſi rerum omnium ignarus, ac expers, tanto operi adhibeatur, inter meram caliginem verſabitur, nec, qvâ ipſe ſequatur, nec, qvâ alios ducat, certus. Hærebit ad qvemvis, ſeverioris fortunæ, impetum, &, ſcopuliis alliſam, navem turpiter deſeret. Concidit namqve mollis, nec aſſuetus duris, animus, &, leviſſimo turbine, hinc inde pulſus, tandem omnino ſternitur. Secus, variis caſibus, exercita virtus: Rupis hæc inſtar, inter fluctuum flagella, perſtat immota, ac ridet, inſanientis maris, inſultum. Laborum patiens, qvod fortiter ſubiit, conſtanter exeqvitur, nec qvicqvam difficile putat, qvo publica ſalus ſuſtinetur. Hanc ſolerter providens, qvicqvid imminere malorum, è longinqvo, videbatur, prudenter avertit, aut, ſi hoc fieri nequeat, ſalubriter moderatur, ne gravius affligatur Reipubl. corpus. Hæc illa ſinuum obliquatio, qvâ, pro temporum ratione, plurimum deflectens à regia, viarum compendia facit, cæcaqve ſemitâ ſubrepit, prudentia, qvam qvi ignorat, publicis gerendis exeſto.

Id ſcilicet SPHINGIS LEONINA, CVM HVMANA, juncta SPECIES notat: Et prudentiâ hominem, & fortitudine Leonem oſtendat; conſilii publici particeps: ut & prudenter, qvod gerendum ſit, deliberet; & fortiter, qvod deliberatum ſit, gerat, pari ubiqve robore, animo pari. Ita fortunam, rerum publicam ſuſtentet; privatam, prout tempus tulerit, fortiter admittat, atqve ferat. Cum namqve optima conſilia, ac ſinceram fidem, gravior qvandoqve ſeqvatur, invidiæ injuria: humanam hanc ſortem, leonis magnanimitate, vincat. Sed & religioſum ſecretorum ſilentium (aſt qvam neceſſariam hiſce viris virtutem?) Ægyptiorum SPHINGES notâſſe, cum paſſim traditum ſit, prolixus hic non refero. Illud optarem, ut, qvam dicta iſta omnia, Tibi, VIR CONSVLTISSIME, ex aſſe convenirent, per virtutem tuam, profari liceret: ac, qvam juſtiſſimo cultu, eum diem, qvo tantum bonum terræ primùm contigit, proſeqvamur, apertius liqueret. Tot annorum continuos dies; tot viarum difficultates; tot, impeditiſſimorum negotiorum, feliciſſimas expeditiones, hic dicerem: Dicerem tot, novercantis fortunæ, offenſas, tot applaudentis ejusdem blanditias, uno ſemper, ac immoto, animo ſuperatas. Adderem, horum omnium matrem quaſi, inſignem, qva animum cultum geris, virtutem, devotiſſimam Deo pietatem, devictiſſimam SERENISSIMIS CA-

PITI-

PITIBVS fidem, ſpectatiſſimam omnibus prudentiam, quibus, fulcris veluti qvibusdam, intus magnus firmatur animus, ne unqvam collabatur, ullive oneri cedat. Sed, qvia vereor, ne, horum recenſione, lædam magis, qvam laudem, ſummam Tuam modeſtiam, qvâ non minus, qvàm reliquâ virtute, plurimis major, excellis: tacito cultu venerabor ea omnia. Atqve ita laudabiliter omnem ætatem actam, in tantum ſenium dum provexit Dei bonitas, qvis digne tuam felicitatem æſtimabit? Quis non gratuletur, ex animo, tantum tibi munus, ac, ut perennet, qvod intemerata promeruit pietas, præmium precetur? Ita namqve ipſius Dei vox edicit, eosdem longævos, qvi pii fuerint, futuros: Impiis, intra vitæ medium, exterminandis. Eat jam importunus rerum cenſor, ac onus quoddam, aut, acrem ætatis hyemen, ſenectutem dicat. Contingit ita qvidem interdum, ut in pœnam vivax ſit homo, ſi effœtus virtutum animus, vitiorum ſentibus atqve ſpinis, ſemper horreat; ſi primum Juventutis Ver, damnandâ fertilitate infame, ac, hybernâ omni ſterilitate, turpius ſit. Aſt, qvàm longè aliter bona indoles? qvæ, aſſiduo cultu, mentis agellum curat, ac, ſub primum vernantis ætatis vigorem, eam virtutum ſemente complet, qvæ, poſt amœniſſimum florem, uberrimo proventu ſuccreſcit. Hinc ij naſcuntur fructus, qvorum

maturitate, insignis novissima, qvam hyemem isti vocabant, vitæ ætas, ætatis omnis superat decus. Felices Respubl. qvarum Buleutica (sed non scenica Romanorum) his senibus occupantur! Horum qvippe virtute, & privatæ, & publicæ fortunæ sustinentur, afflictæ reficiuntur, labefactatæ eriguntur. Horum ætas, cum onera cuncta, & privata, & publica, sublevet, nunqvam sibi oneri, sed, qvod mireris, tanto indies fit facilior, qvanto virtutibus gravior evadit: Reliqvis interim, qvi vacuam istis senectutem degunt, sub gravissimo ejus onere, succumbentibus. Sola qvippe absqve onere gestatur virtus, cujus, qvo major moles, eò facilius sentitur onus. Est hæc tua, VIR AMPLISSIME, ut tandem claudam, privata felicitas, qvæ ut serioribus canis vestitur, ita viridiori amœnitate reflorescit.

Canathum fontem, cujus aqvis qvotannis, Juno Virgo, repubesceret, Argivi prædicabant, sed vana jactatio! Cœlestis gratiæ fons est, qvi innumeris qvotidiè diffusus rivulis, novam, instar aqvilæ, tibi reducit juventam, dum vegetam, sine marcore, conservat senectam. Qvem summum Dei favorem, cum ipse, omni tempore, gratus colas: nos etiam, hoc ipso die, tecum idem (neqve enim, digniori solennitate, eum colere nobis licet) qvam devotissime agimus, ac

UTI

VTI PVBLICO PATRIAE, PRIVATOQVE TVORVM BONO, FELIX AC INOFFENSVS CANAE TVAE PRVDENTIAE VIGOR DIV SVPERET, SVMMVM NVMEN INTER GAVDIA ET GRATVLATIONES SERIO ORAMVS.



III.

HONOR NATALITIVS
EIDEM
M. DC. XL.
EXHIBITVS.



SEPTVAGESIMVM SECVNDVM NATALEM TVVM (QVOD FELIX DEVS VELIT!) DOMINE, hâc luce celebrantes, non qvidem, ad Paganæ superstitionis præceptionem, thure, meroqve, Genium veneramur: sed devotissimis gratiis, mundi Domino, peractis, qvod, rarissimo indulgentiæ exemplo, ultra communem

mortalitatis terminum, te provexerit, eundem piis votis adoramus, ut quodcunque restat vitæ (quod o sit longissimum!) felicissimum id tibi, intra inoffensum, publicæ privatæque incolumitatis, tenorem contingat. Neque enim aliunde, quam ab æterno hoc numine, rerum suarum prosperitatem, obtinet mortalitas, cujus nutu & dies, & successus, nostri ordinantur: Huic si, ardentissimarum precum, fragrantiâ litetur, gratior omni thure est suffitus. Et istud qvidem cum omni; tum eo imprimis, peragendum est die, qvi & vitæ, & humanæ sortis, nobis auspex fuit, qvod semper, prosperiorem futurorum successionem, proba principia soleant polliceri. Cujus rei cum semper observantissimi essent gentiles, hinc ejus diei, qvem dixi, solennitatem, religiosâ curiositate, semper ab iis exactam, invenimus. Ac cum, citra, desperatissimæ profanitatis, crimen, victima omitti, eo die, nequiret; vino saltem, qvia aliis non licebat, GENIVM colebant. Eo usqve processerat superstitio, ut, cum, summum cœli munus, devotissime recolendum videret, nefas tamen putaret, vitâ quicquam, eo die, orbare, quo, primum vitæ munus, cœlitus obtinuisset, omnibus aliis victimis cædendis, ultro abstineret. Nolebat pollutas sanguine manus, eo die, cœlo ostendere, quo, purissimæ lucis usurâ, frui primùm inceperat. Ergò, quæ una, incruenta, superaverat litatio, vino fiebat. Et jam hinc, quâ devoti-

votionis ſanctitate, natalitia noſtra celebranda, quivis intelligit, qui, puriſſimam illam mentem, exactius cogitat, quæ & mirandâ potentiâ, in vitæ hujus theatrum, nos producit; & ineffabili bonitate, in eodem moderatur. Sed tamen, qvia &, citra effuſiſſimam lætitiam, tanti muneris memoria nunqvam reparatur, eo quoque nomine, lætitiæ omnis fontem, VINVM additum puto. Jejunè equidem malignus ſit, qui exquiſitiſſimam D. O. M., ſibi impenſam, curam animo repetens, divini gaudii partem, non ſentiat, qvo ſtimulatus, præter ſolitum, exultet. Tot enim, patrii affectus, illuſtrisſimos teſtes; tot munificentiſſimas, bonorum omnium, conceſſiones; tot potentiſſimas, ingruentium undiqve mortium, propulſiones; tot annorum inconcuſſam valetudinem, fortunam, famam, qvis, citra puriſſimum gaudii affectum, unquam prædicabit? Quæ cum omnia Tibi, AMPLISSIME DOMINE, tam largâ manu, divinitus ſint conceſſa, qvis hujus diei lætitiam non probet, qua, Tecum, Tui omnes perfunduntur? Atq; hanc quia ſinguli, quibus poſſunt modis, augere ſtudent, ego quoque, quod mearum partium erat, ſuſcepi. Verum, quia, alio id munere, expedire non valebam, chartaceum hoc, devotionis erga Te meæ, pignus offero, ut inde, quam obſtrictus Tuo Patrocinio, ac præſidio animus ſit, omnibus conſtet

ſtet. Ne tamen omnino, vacua eſſent folia, umbram tantum, neque enim, rei ipſi exprimendæ, tenuitas mea ſufficiebat, ampliſſimi muneris eidem junxi. Dum namque, veneranda illa, Tua canities, &, omnibus bonis, laudatiſſima virtus, animo obverſabatur, aliquo, ſaltem indice, honorandam iſtam duxi. Et ecce! commodum occurrebat, peculiare, Tui ſimilibus viris, donum, quo ſemper, maximam prudentiam, cultam fuiſſe lego;

GALEA EST AVREA, QVAM CORONAE MORI FOLIIS CINGAT.

Illud, inquam, munus tali, qualis Tua, DOMINE, virtus, ſemper oblatum eſt: tibi tamen ejus umbram, dum, per tenuitatem, offerre cogor, non iniquius accipies. Eſt ea Tua exactiſſima Prudentia, atque cœleſtis virtus, quæ ſapientiſſimè Galeæ loco, afflictiſſimis patriæ rebus, fuit. Non hic afferam ſaluberrima tua conſilia, non, difficilimarum rerum, feliciſſimas, apud SERENISSIMA ET POTENTISSIMA CAPITA, expeditiones: Neque enim Tua modeſtia talia admittit, & patriæ univerſæ, quæ iſta omnia ſenſit (obſtrepente quamvis invidiâ) optimè ſunt nota. Adhuc ea, Tuis ſe conſiliis adjutam, ſcire poteſt, quoties, præteritorum temporum, annales ſolertius evolvit.

Sed


Sed & privatarum adverſitatum, qvodnam poſt DEVM, felicius, Tuâ Virtute, habuiſti remedium? Innocentia tua, atqve rerum geſtarum integritas, clypeus fuit atqve Galea, cujus præſidio, fortunæ omnem eludebas inſultum. Prudentis eſt, ita proſperos fortunæ dies ordinare, ne difficilior aliqvando, ingruens adverſitas, reddatur. AVREA ea GALEA eſt, quâ reſplendet VIR BONVS, quoties virtutum ſuarum, & illuſtriſſimorum operum, venuſtate radiat. Hoc capitis Tui ornamentum, hæc optima Tua mens, quam nullum aurum, aliudve, blandientis fortunæ, lenocinium, dignè ſatis ornet. Quid verò, è MORI FOLIIS, CORONA jungitur? Citra verbum, patent omnia. Quis namqve naturæ adèo inconſultus, ut diu Prudentiam, MORO expreſſam, ignoret? Temporum quippe una obſervantiſſima arbor, ne frigore lædatur, opportuniſſimo, benignioris cœli, calore germinat. Et quæ prudentis major laus, quam ita tempore uti, ne quicquam importunè, aut indecorè fiat? Quod quemadmodùm, temeritatis, æterna pœna eſt: Ita curioſiſſimè circumſpectat omnia prudens, ne ſua culpa aliis noceat. Ac ſi montana maximè amat MORVS: ſemper, in ſpecula quaſi edita, conſtat prudens, ut liberiori viſu, qvæcunqve occurrunt, luſtret. Nunquam imparatum, quam diu præviderat, offendit fortuna, & proinde, minori noxâ, eundem affligit. Nec proin-

de mirum, ſi, inter hanc cuſtodiam, diutiſſimè perſtet prudentis incolumitas, cum, cœco ſemper præcipitio, deturbetur temeritas. Ita qvoqve MORVM ſeneſcere notant, non aliena, ab inſtituto, mente. Etiamſi namqve canorum, atqve ſenii, feliciſſima quædam ſoboles eſt, matura prudentia: Nunqvam tamen, cum corpore, interna hujus vis deficit, ſed indies, novo vigore, tantum creſcit, quantum annis obſeritur vita. Accede, qvisqvis de hoc dubitas, & ADERSBACHIANAM ætatem expende. Quæ cum omnia, de MORO dicta, perfectè exprimat, tum perfectiſſimum ultimi, qvod diximus, exemplum præſtat. Etiam vacillante corpore (quod tamen, diuturno robore, fulciat cœleſtis bonitas!) quotidie nova, abſolutæ prudentiæ, virtutisqve, familiaribus oſtendit incrementa, nec ullum diem, doctrinâ vacuum, prætermittit. Ita ſolet, à teneris, exculta virtus: Non tantum merces, ſed pabulum ſibi ipſa eſt, quo in ſolidiſſimum enutrita robur, nunquam poſtea langueſcit. Optarem hic, DOMINE, quam propria hæc omnia Tibi ſint, ſtrictius oſtendere liceret: Sed ne, laude hac debita, offendam tuas aures, vereor. Ideoqve, ſuppresſis verbis, eruenda hæc aliis linquo, qui omnem vitæ tuæ Hiſtoriam tenent, nec, citra manifeſtiſſimum injuriæ crimen, ſummam tibi laudem detrahere poſſunt. Ego, qvod reſtat, ad-

um-

umbratum hoc potius, quam expressum, ac, debitum Tuæ Virtuti, submisse oblatum munus, ut, solita facilitate admittas, oro, sicqve omnem affectum, quæ Plinii ad Trajanum verba sunt, iisdem obsigno:

OPTO DOMINE, ET HVNC NATALEM, ET PLVRIMOS ALIOS, QVAM FELICISSIMOS AGAS, ÆTERNAQVE LAVDE FLORENTEM, VIRTVTIS TVAE, GLORIAM, ET INCOLVMIS ET LAETVS, ALIIS, SVPRA ALIA, OPERIBVS AVGEAS.



IV.

GRATVLATIO

AD

PL. REVERENDVM EXCELLENTISSIMVM

DN.

COELESTINVM MYSLENTAM,

SS. THEOLOGIAE D. CLARISSIMVM, P. P. ECCLESIAE CATHEDRALIS PASTOREM VIGILANTISSIMVM, CONSISTORII SAMBIENSIS ASSESSOREM FIDELISSIMVM, AMICVM AC COLLEGAM HONORANDVM,

CVM

ELECTISSIMA CONJVGE

REGINA WINTERIDE,

PRIMOGENITVM COGNOMINEM SVSCEPISSET,

M. DC. XL.



Vod ergo unum, absolutæ tuæ, inter mortales, felicitati deerat, illo ne æternum careres, VIR PLVRIMVM REVERENDE, hoc die, præstitit, cœlestis gratiæ, indultus: dum, prole mascu-lâ, venustâ, omnibusqve numeris perfectâ, tuam domum donavit. Obtinueras jam, qvicqvid votorum, in sortem tui ordinis, cadere poterat, eruditionis omnis, divinæ & humanæ, punctum, nominis, per omnem Christiani orbis ambitum, celeberrimam famam, fortunas, quantas multi ignorant, torum felicem, tranquillum, ac, per omnia, optatissimum: sed quid ista omnia, si quo uno, â ruina

&in

& interitu, afferi debebant illa, deesſet fundamentum. Prolem dico, ac, quibus nihil dulcius natura conceſſit, liberos, qui non modo patriæ gloriæ, ſed & virtutis heredes, innumeris ætatum ſucceſſibus conſervant, qvod aliàs, vix unius ævi, opus eſſet. Quod cœleſte munus, dum, cœlo favente, nactus, qvid mirum, ſi, amicorum omnium, diffundatur lætitia. Hinc, fauſtis acclamationibus, omnis domus perſonat, quâ ſalvere, novum mundi civem, ſpem patrii pectoris, ac voluptatem, dulce gaudium matris; deſideratum pupum, omnes jubent. Alii ulterius progreſſi, gaudii ſui æquiſſimas cauſas, jam proſpiciunt, ac, quas promittere videtur, ſtirpis ſuæ, æmula indoles, in vultu leguntvirtutes. Non his effundar, in prolixam vel tuarum, VIR PLVRIMVM REVERENDE, vel Maritæ Lectiſſimæ, laudum ſeriem, qvod non, me interprete demum, hominibus iſta innoteſcant. Illud ſatis ſit dixiſſe, non, niſi laudatiſſimam, ex eâ ſtirpe, prolem, omnes polliceri. Quod ſi qvis, è profanis, ac ſuperſtitioſis auguribus, ominetur, forte eadem, quâ admittatur, facilitate repudietur. Aſtra procul dubio, ac varios, quibus iſta influunt, modos hi allegarent; aſt qvàm vanum, ſolidæ felicitatis, fundamentum? Quàm ſæpè, in cœlo, legit felicitatem vates, cum nihil, niſi omne infortunium, affligat natum? Quam ſæpe virtutes

nati,

nati, ac honores loquuntur astra, cum, extremo dedecore, opprimant eundem scelera? Adeò non constat cœli, animiq; humani, ordinatio! Ast nobis certius, tanti ominis, signum, Vestra, OPTIMI PARENTES, pietas, vestra laudatissima curiositas, quâ formabitis tenerrimum hunc surculum, facit, ut certi ea, quæ diximus, auguremur. Non equidem è Scilla, Rosam nasci constat; sed &, generosissimæ stirpis, germen, sibi relictum, qvandoqve degenerare æquè constat. Cultus atqve cura accedat hortulani, quæ putet, flectat, dum tener est, ramulum, ut perficiatur generosa indoles. Et qvid sublimia ingenia, si cura desit? Annon eò lascivius luxuriant, qvo uberiori dote ditescunt? Hìc itaqve parentum solers adsit oculus, qui, ne quid noxium, ne qvid malignum, contingat suo germini, excubet. Et is vester, LECTISSIMI PARENTES, labor erit, qvo tantum, cœlestis gratiæ, depositum dignè curabitis. Cujus quidem rei, qvod aliud poteratis, illustrius specimen dare, qvam qvod dedistis? Cum namqve divinum munus certò statueretis, qvod possederatis, statim, diffisi vestris viribus, superiori curæ id commendabatis. Ita quippe solet evenire, ut, quo qvid pretiosius, eò majoribus insidiis petatur, ac proinde non, nisi solertissima curâ, sit asservandum. Et quid, quæso, infra cœlum, homine dignius? homine, inquam, qvem omnis cœlestis gratiæ, gloriæ, voluptatis participem volu-

voluit DEVS. Aſt periculum ejusdem cogita, & quot myriadas,immaniſſimorum inſultuum,computabis? Voſne ergo eâ fuiſſe temeritate, ut, depellendis iisdem, ſuffecturos vos putaretis? Imo, divinâ hic opus eſſe ope, ſcientes, primò omnium cœleſti amori,quē ab hoc obtinueratis,veſtrũ reddebatis natum, ac, ſacratiſſimi lavacri, Sacramento, reciproco quaſi fœdere, & DEI indubium favorem, & certiſſimam, prolis veſtræ, beatitudinem firmabatis. Eſt, eſt prima hæc cœleſtis gratiæ, in nos, derivatio, quæ, ex hoc patentiſſimo fonte, innumeris diffuſa rivulis, omnem vitam rigat, fœcundat, atqve vegetat. Sed & prima, fidei noſtræ, eſt obligatio, quæ æternùm poſtea, cœlo devincta, huic uni ſerviat, militet, ac, infiniti præmii, certam ſpem conſervet. Atqve hæc omnia, nomine primæ infantiæ, ſpectatiſſimi, prolis veſtræ, ſuſceptores ſpoponderunt: ſed &, ne, domeſticus monitor, veſtro deeſſet nato, providiſtis. Quid namqve dulciſſimum COELESTINI, qvod impoſuiſtis, ſibi vult nomen? Annon quoties hoc leget, audiet, dicet, & ortum, & ſucceſſum, à cœlo toties cogitabit? annon huc levandam, cum oculis, mentem diſcet, quoties vel felicitatis incrementum, vel adverſitatum (prout eſt hæc noſtra patria, malis undiq; obſita) moderationem optabit? Imò cognominem, MAGNO PARENTI, dum ſe videbit, qvid æquius fore ſtatuet, qvàm, juxta nomen, virtute &

lo-

gloria eundem exprimere? Neqve id ſibi difficile experietur, ſi nominis ductum ſecutus, cœleſtia curet, indeq;, felicitatis omnis theſauros, ſibi petat. Ita ſiquidem, ſtatuo MAGNE DOCTOR, neqve te temerè unquam geſſiſſe, neqve ita impoſuiſſe tuæ proli, divinum hoc, ac cœleſte nomen. Quin uti cœli bonitati, omnes tuos progreſſus, devotus ipſe tribuis: ita optimâ hâc ſpe, proſpera quæqve tuo nato pollicitus, à cœlo nomen dediſti. O felices animas, quæ ita cœlo ſuo adhærent, ut terræ ſordes, hoc ipſis non ſubvertant! Eæ demum feliciter, mortalitate fruuntur, cum ſemper DEVM, (neque enim hic, ubi cœlum eſt, abeſſe poteſt) ſibi comitem, ducem, rectorem, & patrem præſentem habent. Quæ, ſi obſignaturus affectum hunc meum, multis nominibus tibi, VIR PLVRIMVM REVERENDE, debitum, recens nato Filiolo, ſeriò precer, qvid artificii oratorii, addere deberem? Ergò, qvod unum, inter tot amicorum gaudia, poſſum, ſubjungo:

DEVS ITA HVIC NATO COELESTINO PATER ESTO, PROVT EVNDEM NATVM PIIS PARENTIBVS CONCESSISTI: ITA FAVEAT IPSI COELVM, PROVT EODEM ILLIVS FVLGET NOMEN.

IN



V.

IN NATALEM
EXCELLENTISSIMI ATQVE EXPERIENTISSIMI,

DN.

CHRISTOPHORI TINCTORII,

PHIL. ET MED. D. CLARISSIMI P.P.

SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENB. ARCHIATRI FIDELISSIMI,

AMICI AC COLLEGAE HONORANDI,

CVM

XXXVI. ætatis annum

M DC XL. XXVII. Octobr. ſt. v.

ingrederetur.

EXCELLENTISSIME VIR:



Diu eſt, cum ea tempora ardentiſſimè mihi precarer, quibus, quod, cum innumeris aliis gentibus, ſolenne habemus, Natalem Tuum, & videre, &

 digno

digno quodam honore celebrare, liceret. Dolebam enim, tot obstaculis, impediri hucusque amicissimum hoc propositum, ut, cum aliis familiaribus, ac amicis sæpius, eâ solennitate, devinctissimum affectum testarer, tibi uni, eo nomine obstrictus, expediundo huic debito, impar semper esse cogerer. Et plurimum augere dolorem hunc videbantur, promptissima tua officia, quibus perpetuo mei prosperi curiosus, fortius me tibi indies obligas. Ne proinde malignus partium desertor haberer, si, commodum sese offerente occasione, & hic annus indictus abiret, sisto me tibi: &, præsenti interprete, quantum possum, FAVSTVM, FELIX, AC SALVTARE ANNI, QVEM INGREDERIS, VITAEQVE OMNIS SVCCESSVRAE, INCREMENTVM, divinitus precor. Neqve enim aliud, tua pietas, officii hujus initium requirit, quæ, ab ipsis incunabulis, hereditario quasi jure, animo insita, ita cœlum suum venerari novit, ut, quicquid prosperum, atqve fortunatum sibi optat, hinc impetrandum confidat. Et qui poterat aliter? Itaquippe, à piissimis parentibus, formata, ac continua, successuum suorum, experientiâ confirmata, tua mens, diu didicit, non temerario affluxu aut humanis artibus, fortunas nostras procurari, sed superiori arbitro disponi. Nusquam ea creatorum potentia est, ut vel largiri, vel servare vitam possit: unum hoc Deitatis munus est, & ut sis, & ne

ne intereas, providere. Quod dum &, naturâ duce, animadvertebant pagani, Deitatis opus esse, omnem vitæ nostræ ordinem, fatebantur, sed quæ Deastrorum monstra non fingebant? Vnam juventutis tenerrimam ætatem, quod, exquisitissimâ curâ, egere videbatur ipsius infirmitas, vel viginti Deorum curæ subiiciebant: Nec pauciores generando homini præficiebant. Miseram stoliditatem, quæ, ea impotentia, idola sua damnat, quam facilè, nisi subsidiariâ sociorum opera sublevetur, cura fatiget. Nobis is Deus est, cujus uti bonitas immensa, ita infinitum robur; qui cum omnis mundi, tum vel maximè, qvem huic præfecit, hominis salutem, vitam, fortunas, æternâ curâ dirigit, ac conservat. Hic est, qui arctissimo, maternorum claustrorum, carceri inclusos format, animat atqve fovet: Hic est, qui intra, patentioris mundi, orbem eductos, divino præsidio defendit, ductu regit, nutricatu fovet, consilio juvat: Hic est, qui mirandis modis, ita res nostras sæpè ordinat, ut, in sapientiæ ejus abysso, stupeat omnis mens. Atqve ista omnia quam sæpissime commemores, CLARISSIME VIR, noruntij, qvi, interiori conversatione, tibi junguntur. Sciunt iidem, qvantopere tibi sordeat omnis mundi vanitas, dum non aliter, ac præsentissimum exitium, eam aversaris. Ita, cum semel virtuti mancipasti animum, nunqvam illum, ullæ illecebræ, vitiant, sed puritate inoffensâ perstat. Ignosce AMICORVM OPTI-

ME, apertiori laudi, qvam, hoc ipso die, specta-tissima tua virtus requirit. Nam, post devotio-nem ritè peractam, illud supererat natalitii mune-ris, ut gaudium undiqve pateret, quod parerent e-jus, cui natalitia fiebant, merita. Atqve hoc si exe-qui vellem, qvam ingratum, modestiæ tuæ, offici-um præstarem? Exponendæ enim omnes istæ men-tis dotes, quibus ditatus, summis atqve imis, pro-ceribus atqve vulgo, notis & ignotis, ex æquo cole-ris, atque amaris. Et, si medici princeps virtus est, cum modestia, promtitudo quædam: ea qvam te omnibus commendet, quis ignorat? Non hic pri-mos illos, in exteris, exactos annos refero, quibus & Medicinæ, & omnis literaturæ principibus, adeò amori fuisti, ut singuli vel patrium, vel, quibus hunc ætas negabat, dulcem fratris offerrent affectum. Belgium, Galliam, Angliam, & eam Germaniæ partem, qvæ, summam tibi LAVREAE MEDI-CAE dignitatem, dum conferebat, ipsa interim plurimum, ex tuo honore, splendoris recipiebat, testes hujus dicti cito, ne quisquam, amoris nimi-um dictamen, sequi me cavilletur. Sed suppri-mam ista omnia, ac, qvocunqve licet, cultu tacitus venerabor; unicum tantum horum omnium in-dicem, si non aspernaris, addo, ne, absqve munere solenni, hic mihi dies colatur. Ast hoc si quæris; en cape! Ipse scis, quod

Mon

Non ebur, neq; aureum
Mea renideat in domo lacunar:
Non trabes Hymettiæ
Premant columnas ultimâ recisas
Africâ: neq; Attali
Ignotus heres regiam occuparim.

Ergò, qvod unum licet, & maximè tuam virtutem decet, LAVRI SERTVM cape, non amœnitate sua virescens, sed, lineis hisce, adumbratum. Hoc quidem primum, omnis medicinæ, esse insigne, adeò certum est, ut etiam, qvem Medicorum omnium præsidem colebat Roma, Apollinis festa, non alio sertorum genere celebrârint. Scilicet cum, innumeris remediis, hominum vitæ prodesse, laurus deprehenderetur: nefas esse putabant, alio Symbolo, artem divinissimam honorare; qvæ, qvomodo accommodanda esset, usibus humanis, saluberrima arbor, doceret. Sive verò Deastrum revera statuerint; sive, qvod multis arridet, Virum, in re medicâ, eminentissimum, Apollinem, noverint gentiles: illud colligere omnes possunt, dignissimos, honoratissimo cultu, esse viros, sanitatis ac longævitatis, post Deum, procuratores. Iterum hic eos produco, qvicunqve, inter nostrates, curæ tuæ, valetudinem suam commiserunt, & neminem fore credo, qvi non addictissimum se, tuo honori atqve cultui, sit professurus. Audebo, liberâ voce, spondere, omnes accessuros, ac, una manu, di-

vinam tuam mentem, debitâ lauro, cum æterni vigoris apprecatione, ornaturos. Si namqve Romanorum, alius mos solennis erat, qvo Magistratibus, singulis annis, feliciter hos exactos, LAVREO SERTO gratulabantur: nemo, mihi crede, tui veneratione iis cedet, qvoscunqve provida tua cura, ac indefessa solertia, aut incolumes servat, aut incolumitati reddit. Ita namqve videtur, qvod boni Magistratus, in civium moderatione, munus est, ne, inordinatæ licentiæ intemperie, detrimentum patiatur Reipubl. corpus: idem solertis Medici esse, cujus beneficio, peccantium humorum, dominium reprimitur; justum vero sanitatis regimen servatur, ut undiqve, universo corpori, suus constet vigor. Quod qvam â te curiosissime fiat, qvotidianæ tuæ circuitiones, qvibus, dum aliis consulis, fessum corpus domum refers, testantur. Neque id auri, argentive cupidine stimulatus, agis; sed sæpius, pretiosissimum, laborum tuorum, fructum censes, afflictissimæ egestati subvenisse; & aliis, qvam tibi ipsi, profuisse, gloriosissimum putas. Tam charum caput itaqve, qvis iterum, LAVRO colendum, non videt, hoc potissimum tempore, qvo novum ætatis annum ordiens, novis curis ac laboribus, prodesse aliorum difficultatibus incipit? Quod ipsum vero qvoniam, absqve felicissimo successu, vix præstatur, qvid aptius huic signando,

do, qvam LAVRVM adhibebimus? LAVRO non modo, felicitatis incrementa fieri; ſed depelli qvoqve adverſa, & proinde, inconcuſſam ſervari ſecuritatem, creditum eſt. O ſit ergo (ita velis Deus!) & NOSTRO TINCTORIO, virtutis, atqve eruditionis LAVRVS, ſolidiſſimum felicitatis ſtabilimentum, qvo, qvicqvid adverſitatum ingruat, fortiſſimè propulſet. Sit illi, inexpugnabile ſcutum, eadem: qvo conviciorum, ac calumniarum, ſpicula felix retundat. Qvorſum iſta? Procul dubio, ſatis ſuperqve experiris id, qvod, ſub nativitatis tempus, Sole ſcorpium ingreſſo, cœlum ominari videbatur. Ictus iſtos maledicentiæ, omni ſcorpione, virulentioris dico, qvorum utut expers eſſe nequeas, fortiter tantum admitte, & vince. Scimus ſemper, in ictu, ſcorpii eſſe caudam: nec unqvam ceſſare novit, calumniæ aculeus. Sed domi tibi ſuppetit, qvod opponas. LAVRVS ea, qvam dixi, qvæ non validius veneno, qvam tua virtus calumniæ, reſiſtit. Imo maximum virtutis argumentum, ex tuo Stoico, noſti, calumniatorum morſibus peti, qvemadmodum ſcorpios, exſuccis atqve tenuibus præteritis, maximè ſanguinea corpora, pungere, notatum invenio Macte itaqve, Macte ſolita virtute, CLARISSIME VIR, ac, qvod agis, perge fortiter, laudatiſſimis factis, malevolorum invidiam, bonorum hono-

honorem provocare! Ego interim, quousque potero, nunquam, pro firma proſperitatis ſtabilitate, cœlum venerari, deſiſtam:

TV MODO DEVS O. M. ITA COELESTIBVS BONIS MEVM TINCTORIVM BEARE DIGNERIS, PROVT ILLE OMNIVM BONO VNICE STVDET AC OPERATVR.



VI.

EIDEM

MAGNIFICO TVNC ACADEMIAE

RECTORI,

NATALEM XXXVII.

GRATVLATVR,

M. DC. XLI.

MAGNIFICE DOMINE!


Nter innumeros ferè, natalium celebratorum, ritus, quos, diverſiſſimarum gentium, diverſiſſimos notant, illud

illud ſaltem unicum ubiqve convenit, non, niſi efſuſiſſimo gaudio, eorundem ſolennitatem agi, ac, quantum qvisqve poſſit, ſerenâ mente, fauſtis acclamationibus operam dare. Et ejus quidem lætiſſimi affectus, uti ſolidum fundamentum erat, primum illud, qvo natum qvemque excipiunt ſui, gaudium: Sic ille eo majori, qvotannis, augmento creſcit; qvo ſpectatiori virtute, hoc cujuslibet virtus auget. Ita namqve videtur, non minus incertum, atqve fluxum eſſe omne, ſuper natâ prole, gaudium, quàm dubia, atqve lubrica juventutis, vitæqve inſtituendæ, ratio, â quâ ſæpe, & generoſiſſimorum parentum, ſobolem, immane qvantum, deviare videas: aſt ubi confirmata parentum virtus, cũ annis, in ipſa prole creſcit, jamq; immotã, â virtutum ſcopo, mentem præſtitit, tum demum eo juſtius eſt gaudiũ, qvo clarius, non liberos tantum, ſed optimos, genitos conſtat. Atqve horum, prout bonis omnibus gratiſſima, ac maximè ſalutaris vita eſt: ita, lætiſſimis votis, diuturnior ejusdem uſurpatio, cœlitus rogatur. Quorſum hæc dicantur, MAGNIFICE VIR, facilè patet; illud modo opto, ut qvam hæc omnia, Tuo Natali, competant, tam dignè, à me, præſtari queant. Liceret utinam, externo teſte, apertiſſimè illud gaudium demonſtrare, qvod, intùs conceptum, totum ſe, Tuæ huic feſtivitati dicavit. Qvod tamen ſi fieri deberet, neceſſariò omnis illa Tua Virtus, qvam, à lau-

datiſſimis Parentibus, majoribusqve, per traducem qvaſi, in te derivatam, continuo exercitio, & cultu ita provexiſti, ut jam, commune qvaſi bonum, omnium amorem, qvo Te, ſuo bono, natum, gratulantur, poſſideas, exponenda eſſet: ſed & hoc, qvam ægrè Tuæ aures ferant, ſatis ſuperqve, modeſtia tua, me docuit. Hinc, ne in eam peccans, omne Tibi, gaudium natalitium, interpellem, cœli potius bonitatem venerabor, qvam, Te nato, clariſſimè oſtendit. Ita plerumqve contingere ſcimus, ut optimorũ qvorũq; natales, peculiaribus illuſtrentur ſignis: ac proinde, cum noſtro orbi, ac, potiſſimum literarum honori, Te largiri vellet cœlum, diem, huic rei commodiorem, nullum deſtinare poterat, qvam V. KL. NOVEMBR. cujus & priſco, & recentiori ſeculo, chara exſtitit memoria. Et qvantum, Patrum memoria, huic ipſi diei, bonæ literæ debeant, qvis neſciat, qvi, acerrimum illum literarum vindicem, ac feliciſſimum Muſarum, jamjam, prout videbatur, Germaniâ expellendarum, Statorem, ERASMVM, eodem natum audit? Cui qvidem Viro, niſi omnes Muſæ, atque literæ, OB SE SERVATAS, coronam præbeant, juſtiſſima deportatione mulctentur. Aſt qvid poterat aptius, qvam Te communem, cum tam chariſſimo capite, habere natalem, qvi & ipſe tam charus, & verè ἐραστὸς, omnibus es, ut, ignotis etiam, deſiderium Tui videndi facias? Cum Muſis vero


ro, Gratiis, ac literis, non modo ſeverioribus, ſed humanioribus etiam, adeò arcta Tibi neceſſitudo, ut nunqvam, Te vindice, impune eas contemnere, aut laceſſere liceat. Quodipſum cum infinitis aliàs, tum publico, hoc ipſo tempore, qvo, omnis rei literariæ ſalus, tuo regimini atqve curæ commiſſa eſt, teſte, ſatis ſuperqve confirmas. Illud proinde tempus eſt, qvo, ſi fieri poſſit, Muſas ipſas, hunc Tuum Tibi Natalem gratulantes, illudqve maximè omnium precantes, liceat ſibi, æternum, Tuo moderamine, regi, audias. Vel an parum videtur, hoc præſertim exitiali, bonis literis, tempore, earundem aſſerere decus, ac vigorem? & tamen hæc omnia, â Tua Virtute, certiſſimè ſibi pollicentur. Neqve id fruſtrà: nam ſciunt adverſus barbariem, eruditionem tuam; adverſus, faſtidioſum, ſui contemtum, gravitatem tuam; adverſus miſerias ſuas, tuam bonitatem; adverſus deniqve qvoſcunqve hoſtilium impetus, animi Tui robur, ac conſtantiam plurimum valere. Et tamen iſta omnia, longè certius confirmata, videmus, ſi, ad priſcas Romæ antiqvitates, regreſſi, Natalis Tui ſolennitatem evolvamus: qvam Ludi victoriæ, poſt Samnitium exercitus fuſos, adeò illuſtrem reddiderunt, ut continuâ, gaudii publici, celebritate, urbs ipſa, quotannis revixiſſe videretur. Hoc ſcilicet erat, qvod jam tum, lætiſſimam Tibi, omnium adverſorum, victoriam ſpondebat. Neqve enim militi ſolum

ſuus hoſtis, cum qvo confligat, præſtò eſt; ſed omnem hominem, & literatum imprimis, ſua militia urget. Cui ut Te præpararent, piiſſimi Parentes, cœleſte, ante omnia, robur tibi procurabant, mentemqve, divino ſpiritu, firmabant. Hinc, ſuccedente curâ, ne cladis qvippiam inferrent hoſtes, ſedulo providebant. Attigeras jam, primum illud, Juventæ lubricum, qvo, qvicqvid obſtare hoſtium ſolet, tibi ſeſe obiiciebat. Non eſt ulla, ejus generoſitatis atqve Virtutis, indoles, quæ non ſuos errorum patiatur manes. Et, ſicuti, illuſtriſſimorum ſiderum, ſplendorem, obfuſcat interdum, terra objecta: ita & ſplendidiſſima Virtus, ſuas qvandoqve tenebras habet, atqve nebulas. Imo, ſi credas, eò acrius, optimas mentes, invadunt ſæpe vitia, qvo gravius, ab iis, ſibi periculum timent: ſegnibus interim atqve vitioſis, qvod minus nocere videntur, præteritis ac omiſſis. Et hîc ea, uti graviſſima pugna, ita honoratiſſima victoria, quâ inter imbelles adhuc, teneræ ætatis, lacertos, jam, fortisſimis profligatis hoſtibus, rectâ ad triumphi honores itur. Hæc vera triumphalis porta, qva æternus, ac immortalis, peragitur triumphus! Hâc tranſiens, acceſſiſti tandem ſummos illos, qvibus Tua Te Virtus, poſt ſtrenuam atqve indefeſſam pugnam, ornavit, honores, ac immortalitati, Nomen Tuum conſecraſti. Neqve tamen, inter iſtos, feriandum Tibi ducis, qvaſi jam pax undiqve; nusqvam

qvam verò, hostiles metuendæ essent insidiæ. Longè aliter prudentissima Tua mens sentit: qvæ, qvemadmodum optimè novit, magnæ Fortunæ, nisi probè usurpetur, magna adjacere præcipitia: ita cautissimè incedens, nunqvam fidis ejus blanditiis, qvin semper Virtute, ita tenes constrictam, ut nullâ sui parte nocere possit. Proinde sive, torvo vultu, minax appareat, non terreris, sed masculâ constantiâ fugas: sive blanda rideat, ac palpetur, tu itidem agis, ac ridendo, ejus levitatem spernis. Ita, qvacunqve veniat, victor evadis. Et qvæ, major felicitas hominis, esse potest, qvam ita ordinare vitam, ut, inter mille vicissitudines, semper sibi constet, suaqve victoriâ lætus triumphet. Sublimiorem is, omni Romano, triumphum agit, qvo nemo adeò felix fuit unqvam, ut non, grandi aliqvo infortunio, omnem felicitatem turbatam, senserit. Qvid hujus rei Syllam felicem, Pompeium, Cæsarem, aliosqve innumeros testes, citem? Notiora ista sunt Tibi, quàm ut, à me, in memoriam revocentur. Ast è literariis castris, si summos triumphatores producam, qvotus qvisqve eorum existit, qvi, inter ferrum etiam, cicutam, aliaqve mortis instrumenta, non felix exspiraverit. Et horum nominum famam, Tu qvoqve exæquaturus, propitio cœlo, orbem nostrum intrasti! Timoleonti aliàs, felicis ominis ergò, coronas, victoriis ornatas, cœlitùs delapsas, Plutarchus testis est: Sed,

longè divinior, Tibi contigit gratia, cum, Deo ipſo autore, ea menti tuæ illapſa virtus, cujus vi, qvicqvid ſuperandum homini accidit, fortiter vinceres. Qvorum qvidem dum, hodierno die, memoriam repetimus, qvidni, lætiſſimâ devotione, ſummum Numen colamus, ac, prò æterno, tantæ felicitatis, ſucceſſu oremus? Hujus enim favori, qvæ Tua pietas eſt, omne illud, qvodcunqve, in Te, veneratus eſt meus ſtylus, tribuis, nec aliunde, ejusdem ſoliditatem ſperas. Ergo, cum in omnibus, tum, in hoc ipſo, præſertim morem tibi gerens, ſocium, hujus devotionis, me ſiſto, ac omnia, Pliniano iſto, obſigno:

OPTO, DOMINE, ET HVNC NATALEM ET PLVRIMOS ALIOS FELICISSIMOS AGAS: AETERNAQVE LAVDE FLORENTEM VIRTVTIS TVAE GLORIAM, ET INCOLVMIS ET FELIX, ALIIS SVPER ALIA OPERIBVS AVGEAS.



VII.

AD EVNDEM

CVM SVPREMOS, RECTORATVS ACADEMICI, HONORES SECVNDVM SVSCEPISSET M. DC. XLI. GRATVLATIO.

MAGNIFICE DOMINE.



I exordiorum auſpicia, rerũ certiſſimos ſucceſſus, non priſcæ modo ſapientiæ, ſed noſtris qvoqve hominibus, haud rarò notare ſolent: jam certum atqve ratum videtur, eâ felicitate, decurſurum hunc tuum, noviter ſuſceptum, Magiſtratum, ut non tam ordine, qvàm ſucceſſu, SECVNDVS ſit futurus. Non eqvidem curioſum agam augurem, &, anxiâ minutiarum conquiſitione, dictorum fidem firmabo: qvod tamen ſi fieret, infinita, optimè conceptæ, ſpei, occurrent fomenta. Sed nunqvam complacita animo, ea eſt temeritas, qvæ ſuperſtitionis levitatem ſectata, ea ſæpe arripit, rerum agendarum omina, qvorum vanitatem rideás ne magis, an culpes, dubitâris. Vnicum proinde ſaltem, qvod, gerendorum Magiſtratuum, ſemper feliciſſimum habitum fuit auſpicium, propono,

pono, &, qvàm, certissimâ spe, nitatur animus, clarissimè constabit. Cum namqve solidissimum, omnis regiminis, fundamentum, Prudentiæ Magistri, benevolentiam civium statuant, atqve amorem; qvid unqvam optatius, Academiæ nostræ, potuerit evenire? Quanto enim amore devinctus tibi sit, universus Academiæ cœtus, non modò maximum illud desiderium, qvo, exspectabant; sed & effusissimum gaudium, qvo inter publica vota, & gratulationes, denunciatum, ac constitutum Te, suum Rectorem, salutabant, clarissime testatur. Quod cum, nullo alio indice, ostendi poterat, dulcissimâ, concentuum, Instrumentorumque Musicorum, Harmoniâ demonstrabant; illud, felicitatis omnis Civilis, punctum esse innuentes, si & Regentium, & Obedientium mentes, suavissimæ Harmoniæ instar, dulcissimè consonent, nec qvicqvam utrinqve occurrat, qvod dissensu, aut discordiâ, eandem lædat. Et verè felices Respubl., qvæ, eâ concordiæ jucunditate, utuntur: non modò enim, felicitatis suæ, uberrimum cernunt incrementum; sed & Rectores suos, magnâ molestiarum, quibus onerari solet hic honor, parte levant: ut, qvod sæpe, inter anxias curas, & mille tædia, gerunt alii, ipsi, summâ cum voluptate, sustineant munus. Thuscos Musicæ, tibiarumqve imprimis, cantui, etiam suppliciorum, dolorumqve acutissimorum, miti-

mitigationem tribuiſſe, Athenæus teſtis eſt; neqve aliàs, Muſicorum concentuum, adeò ignota ſuavitas, ut curarum, adverſitatum, feliciſſimum inde, lenimentum exiſtere neſciatur: Sed nondum, illam, qvam volumus, Regentium felicitatem, ſonus ille, in tenues auras evaneſcens, præſtare videtur. Quin videas ſæpe, inter ſuaviſſimas undiqve, circumſonantium ſummorum artificum, modulationes, non vacare curis, atqve ſtrepitu forenſi, Principis animum: aſt reducatur, rerum omnium, ſtatus ad eum, qvem diximus, conſenſum, nil utrinqve diſſonet; ſed, eodem tenore, reciprocus concordet amor, &, graviſſimis moleſtiis, liberatus Rector, nec ſentiet, qvæ regimini adjacere ſolent, difficultates. Hinc qvidni credere liceat, hunc ipſum, ſuaviſſimum Platonis, concentum esſe, quo, cum nihil aptius occurreret, univerſitatis hujus ſtabilem fidem, atqve incrementum expresſit, Divinus Philoſophus? Illud quidem, pro me, aſſerere videtur, ſapientiſſimus Boëtius:

Hanc rerum ſeriem ligat,
Terras ac pelagus regens,
Et cœlo imperitans, AMOR:
Hic, ſi frena remiſerit,
Quicquid nunc amat invicem,
Bellum continuo gerat.
Et quam nunc, ſociâ fide,

Pulchris motibus incitant,
Certent solvere machinam.

Et qvam facilè ostensu esset, nullum aliud, civilis instituendæ Harmoniæ, præter AMOREM, medium esse: si, aut cum expertibus agerem, aut volupe mihi esset, Politicorum chartas, qvarum utramqve, hæc res paginam facit, compilare. Ideoque illud potius ago, ut, qvod omnibus Rebuspubl. faustum semper, atqve felix exstitit, idem literariæ nostræ, Te RECTORE, non adversum, aut insalubre futurum, ostendam. Atqve hîc ita sentio, ut, qvemadmodum, rerum omnium, soliditas, è fundamenti æstimatur robore, ita, amoris qvoqve firmitatem, censendam velim. Quoties, levissimis fortunæ blanditiis, hic nititur, aut aliud, externi lenocinii, principium habet; toties fucatus est, nec constare diu valet: ast, qvi, virtute parente nascitur, eandem, cum genitrice, æternitatem habet. Et ipse durat, &, qvodcunqve semel fulcit, æternum sustentat. Atqve eum mihi, in subditis, amorem ostende, qvem Regentium virtus ultro provocat; non externa potentia injungit: & solidam tibi Rerumpubl. felicitatem promittam, imo spondebo. Talis cum Tua, MAGNIFICE DOMINE, sors sit, qvod, felicitatis sperandæ, certius signum desiderem? Per modestiam tuam, summarum Virtutum comitem, te oro, patere ea, qvæ dixi, clarius delineare. Elapsus est unus, atqve alter, annus,

nus, cum eodem ornatus honore, profperrimum Academiæ, tantâ cum virtute, incrementum procurafti, ut nunqvam, ejus memoria, animis omnium fit exceffura. Noras qvippe optimè, non aliam Rerumpubl. curandarum, qvam corporum, rationem, qvæ fimul, ac aureum mediocritatis deferat tramitem, præfentiffimam ruinam inducit. Nec minus norâs, nunqvam, ad extremam medicamentorum violentiam, profiliendum, dum lenibus ac blandis locus fupereft. Moderata hinc effe fubjungenda, ac qvæ, frigore fuo, languorem inducant membris, atqve fegnem ftuporem, ita juftè, calidis, temperanda, ne alterutrum peccet. Quid multis? Omnia prius tentanda ante nôras, qvam, ad ferrum & ignem, decurratur. Ea proinde, veluti, Divina adjutus gratia, tot ægris hominum corporibus, feliciffime adhibes: ita qvoqve, in Academiæ corpore curando, eodem fucceffu, ufurpas. Non deerant huic qvoqve, prout in tantâ mixtione folet, fui morbi ac defectus: fed his fanandis eâ, qvam diximus, prudentiâ ftudebas, ne videlicet, dum falus, moderato imperio, reftituenda erat, laboranti membro; nimio rigore, interitus eidem accerferetur. Liberos te homines, ac, fummæ virtutis, gloriæq; tirones regere, cum Romano illo ftatuebas: hinc non, nifi liberali, in eos, imperio uti, ac qvam maximè, à fervili, eofdem revocare, timore volebas. Neqve te hinc dimovebat, aut limus nonnullorum

oculus, aut temeraria audaciorum cenſura, qvi ſubinde te petentes, nimiam lenitatem obiiciebant. Sed videant, illi cenſorii Catones, qvàm ſæpè, tranquillitati Rerumpubl. conſervandæ, patria indulgentia, rigoris ſeveritate, plus profuerit! Aut qvid tandem, detrimenti Academici, ex laudatisſima Tua lenitate, proferre poſſunt? Verum manum de tabula: non alio fine hæc dicuntur, qvam ut, prioris Rectoratus repetitâ memoriâ, omnium animis, eum amorem inſediſſe, conſtet, qvi jam, ſub ſecundi auſpicium, tam clariſſimè eluxit. Ita namqve ſtatuebant: cum ea virtutis ſit conſtantia, ut ſemper ſui ſimilis perſtet, non aliam, ſpectatiſſimæ Tuæ Virtutis, indolem futuram. Quin, ſi virtutem nonnulli, RORARIÆ, plantæ, imagine exprimunt, cujus ea natura ſit, ut, etiam inter flagrantiſſimum Solis ardorem, humore ſemper madentia, gerat folia: eam qvoqve, Tuæ Virtutis, ſperant fore bonitatem, ut ſemper, deſtillanti qvodam, benevolentiæ qvaſi, rore, multorum miſeriam, egeſtatem, ac, qvæcunqve literario generi impendent, difficultates ſit refectura. Cujus uti ſpecimen, ante hâc, ſæpe experta eſt, hæc noſtra Academia, ita continuum ejusdem ſenſum ſperant. Atqve, ea mente, qvemcunqve, ſuo Rectori, bona mens cultum debet, promptiſſimè offerri videbis. Ego verò, cum Tibi, MAGNIFICE DOMINE, paucis hiſce lineolis, meam obſervantiam voluerim, non tamen, qvan-





qvanta debebatur, potuerim testari, devotiorem eandem, reipsâ posthac qvotidie, confirmabo. Nunc, omnem hanc gratulationem, voto obsignans, Deum veneror, ut, qvodcunqve ominata fuit pietas, id pro æternando, immortalis Nominis, honore, ac nunqvam intermorituro, Reipubl. Literariæ, incremento, perpetuo firmum faxit atqve ratum.



VIII.
AD EVNDEM, CVM ANNVM AETATIS XXXVIII. INGREDERETVR M DC XLII.



ET hic ergo dies, qvo novum ætatis annum (ô FELICITER!) auspicaris, EXCELLENTISSIME VIR, AMICE SPECTATISSIME, novâ felicitate, non inania fuisse, qvæ superioribus annis, pro salute Tua, fecimus, vota testatur. Annuit namqve iisdem, æternus temporum moderator, qvodqve, uno ore, petebamus omnes, superesse & suis, & REIPVBL.

Literariæ, & tot amicorum subsidio, TINCTORIANAM virtutem, clementissime voluit. Quo qvidem nomine, cum semper solennes Deo gratiæ sunt agendæ, tum hoc præsertim tempore, tantò id peragi debet solertius, qvanto difficiliùs, votis responsurus eventus, videbatur. Adhuc angitur animus, dum recordatur ejus temporis, qvo laborare TINCTORII valetudinem, percrebescebat. Et qvis non una terrebatur? qvis non dolebat? Scilicet, tum demum vidisses, communes amicorum affectus esse, qvibus, qvæcunqve alterum tangant, sentiat alter. Hinc geminari vota, & communes omnium preces, audiisses, qvibus, TINCTORII sanitatem, poscebant DEVM. Nefas enim videbatur, ejus salutem, qvibuscunqve modis, non procurare, cujus indefessâ curâ, toties suam procuratam, erant experti. Etiam CELSA CAPITA, doloris ejus sensus afficere videbatur: hinc solicitè inqvirebant, ecqvæ spes restitutionis appareret, ut, qvem maximè desiderabant, TINCTORII curâ frui possent. Atqve hæc omnia, qvæ tam anxiè metuebamus, dum, pro infinita sua bonitate, benignè averruncavit, simulqve, restituto tibi, solita Natalitii Tui gaudia, indulsit æternus Sospitator, iterum, an jure tantum munus prædicetur, ac, novo gaudio, pristinus luctus commutetur, quæro? Ita sane ago, ac, quem unum, hujus largitorem, profi-

profiteris nobiscum, DEVM O. M., veneror, qvo & diuturnitatem, & incrementa uberiora, huic beneficio, ſuperaddere dignetur. Sed, dum fuſius explicare, mentis gaudia, conatur calamus, en! præter ſpem, novâ adverſitate, ex Filioli morbo, TINCTORIANAS ædes turbari, nuncius adeſt. O ergo nunqvam pura, mortalitatis, gaudia, exclamo! O malignam fortunæ invidiam, qvæ nunqvam, absqve nubilo, virtuti affulget! Quanquam qvid fortunam incuſo, cum DEVS potius, vitæ noſtræ ſummus arbiter pro voluntate, hujus ſortem diſponat, atqve diſpenſet? Is proinde ſimul, ac excipit nos, mortalitatis hic orbis, dividit temporum noſtrorum vices, ac, qvo ſingula decurrere ſucceſſu debeant, ordinat. Ita Te qvoqve natum, hoc præſertim die, qvi primus aperuit Tibi hoc, qvicqvid miſeræ vitæ eſt, ergaſtulum, nec prius lucis, qvam adverſitatum, auſpicium dedit, cogitabis, ac, qvâ polles animi conſtantia, nunqvam, ferendo Tuo fato, ſuccumbes. Neqve enim qvicqvam difficilius fertur, modo prius mens ipſa, DEVM ſuum, intus gerat, cujus auxilio freta vincit, qvicqvid moleſtum; ſuperat, qvicqvid arduum, vulgo apparet. Aut fallor, aut, eâ mente, nomen Tuum, â piiſſimis parentibus, inditum geris. Scilicet non vana, plerorumqve omina eſſe ſolent, neqve glorioſius, ab eventu, Felicis, Victorioſi, & alia geruntur nomina,

mina; qvam, si laudatissima sint, virtutum exercitio, confirmantur. Atqve, ita postqvam sub primum, divinioris regenerationis, sacramentum, Christum Tuum, atque Deum, toto pectore conceperas: hunc ut semper ferendum tibi, omni vitâ cogitares, monitorem, è nomine, tibi addidit, patria pietas. Hîc tamen palàm dubito, utrum plus mirer? istámne parentum solicitudinem, an Tuam, AMICISSIME, laudatissimam virtutem, qva, ex asse, explere Parentum vota videris? Quamvis facile consensum impetravero, si posteriori inhæream: cum istud commune, omnium parentum, sit officium; hoc verò non, nisi nobilissimæ, atqve optimæ, prolis studium. Neqve tamen, per modestiam Tuam, hoc loco, declarare licebit, qvomodo pietatis, atqve, qvem hæc curat, DEI studio, spernas, qvæcunqve suspicere solent vanæ mentes; qvomodo omnium, ex æqvo, servitiis te impendas; qvomodo feras, ac laudatissimè feras, qvicqvid vel injuriarum, invidia, vel oneris, vita in te proiicit. Ita, qvippe constat tibi, nuspiam ea vitæ tempora oriri, quæ, suos turbines, non experiantur. Atqve sic, quod vitari nequeat, ei perferendo, animum præparare, sapientis esse putas. Cui rei exactius ponderandæ, ipsum nascendi tempus, te protulisse videtur, quod non æstivis solibus, sed austeriori cœlo, apparet. At tamen,

men, ſi hujus moleſtias, ſperata, Veris ſuccedentis, clementia mitigat: neqve Tibi negatum eſt, qvo vitæ, fortunæqve, difficultates lenias. Virtute tuâ te involvis, atqve, hac caſſide, tutus, fortiter excipis, qvicqvid, in te, telorum fortuna jactaverit. Ac ſi Venuſini Vatis, qvem jure tuum, per familiaritatem, dixerim, ea conſtantia, ut, intrepidum pectus, ubiqve fortunæ opponat: Tu ſublimiori magnanimitate, cum eodem, leviſſimum monſtrum alloquens,

Fortuna, inquis, *ſævo læta negotio, &*
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem: ſi celeres quatit
Pennas, reſigno, qvæ dedit; & mea
Virtute me involvo.

Aſt omnia iſta unde, niſi à magna, & erectâ indole, habeat? cujus qvidem formatorem, non Genium qvendam effinxero; ſed, poſt DEVM, unicum, mentium noſtrarum, conditorem, parentum intemeratam virtutem, qvam, cum ſanguine ipſo, in prolem derivari, puto. Eſt qvippe, omnis virtutis, genuinum iſtud fundamentum, optimis naſci: ac proinde, non minor felicitas eſt, primi omnium Natalis, ſi laudatis parentibus oriaris; qvam reliqvorum deinceps omnium, ſi magis magisq; qvotannis, parentũ, in prole, virtus reviſcat.

reſcat. Ita ſiquidem videtur, ſingulis Natalibus, plurimum gaudii accedere, ſi virtutibus, cum ætate, perfectis, non vano gaudio, recens natam prolem exceptam, conſtet. Verum enimverò, antea dixi, non audeo, qvod conſtitueram, gaudium hoc diducere latius. Ita namqve commotus, ad novam, domus Tuæ, viciſſitudinē, & animus eſt, & ſtylus, ut vix quicqvam læti, præter lætioris mutationis ſpem, concipere poſſit. Vnicum illud ſaltem, qvandoquidem muneribus etiam, inter nos, diei hujus ſolennitas peragi ſolet, addi patere, ut, non qvidem ſplendido, ac pompoſo, ſed literario dono, hujus diei officium claudatur. RORARIAE plantulam cape, qvam uti, quoties, inter ferventiſſimos Solis radios, coqvitur, roſcido ſemper humore, qvem, intra foliorum cavitatem, ſemper continet, refici noſti: ita inter omnia adverſa, conſtantiæ, reliqvæqve virtutis tuæ, exſere vires, ut nunqvam contabeſcere, ſed, novo indies vigore, efflore ſcere videaris. Illud verò qvò felicius poſſis, eam Tibi, Tuisqve omnibus, ac domui univerſæ, divini ſolis, benignitatem precor: ut & hujus, qvem ingrederis, &, plurimorum ſecuturorum annorum, lætiſſimos ſemper dies numeres, qvi, multâ felicitate, ſereni perennent. Tu interim, VIR EXCELLENTISSIME, hoc, qvantulumcunqve officii eſt, pro noſtro affectu, æqvâ mente accipies, ac, ſi, aliorum lautior fortuna, gem-

gemmis atqve auro, manum tuam, hoc die, ligaverit; Tu, qvæso, amore ac fide, constantissimè ita me tibi devinctum, ut irrupta semper copula sit futura, credes.



IX.

HONOR NATALITIVS,

PL. REVERENDO, CLARISSIMO, DOCTISSIMO,

DN. M. VRBANO LEPNERO,

ECCLESIAE, QVAE REGIOMONTI PAROCHIALIS EST, DIACONO MERITISSIMO, AFFINI AMICISSIMO,

EXHIBITVS,

CVM

NATALEM XLIX.

CELEBRARET

M DC XLII. X. JAN. S. V.

PL. REVERENDE VIR, AFFINIS HONORATISSIME:



Vem QVADRAGESIMVM NONVM (QVOD DEVS TIBI BENE VERTAT) NATALEM, pro tua pietate, religiosè, hoc die, colis: eum nos, qvos arctior necessitudo tibi devinxit, inter faustissimas comprecationes, læti gratulamur. Neqve enim, omnibus exactissimè constitutis, aut sanctior à te devotio, aut gratius, à nobis, officium requiri videtur, qvàm utrinqve ejus diei recoli memoriam, qui tibi vitæ auspicium, nobis tantum amicum concessit. Et qvandoqvidem omne hoc, nascendi contigit lege: nemo justissimam hanc solennitatem negabit, nisi, qvi leve qvoddam, ac vile, divinæ bonitatis, opus putaverit, HOMINES NASCI. Est equidem tanta plurimorum temeritas, ut, qvæ, summi miraculi instar, veneranda sunt, divina opera, qvia crebriùs eveniunt, vel fortuita, vel communia putent: id tamen, si de mirando illo, nativitatis humanæ, opere qvisqvam statuat, infra Paganam etiam cæcitatem, malignus sit, necesse est. Hæc namqve dum, uni hominis nativitati promovendæ, immensam Deastrorum catervam præfecit, jam Cautii, jam Lucinæ, jam Opis, jam aliorum monstrorum, implorans auxilium: qvid aliud, qvam nunqvam, humanis

nis viribus, absqve divino beneficio, hominem naſci, demonſtraſſe videtur? Ita ſcilicet, divinum ac mirandum opus, qvanqvam impiiſſimâ devotione, fatebatur; & nos, diviniſſimo radio illuſtrati, perſpicere eadem neqveamus? Imo, adjuti Dei luce, clariſſimum, divinæ ſapientiæ, ac potentiæ teſtem, qvoties hominem naſci audimus, intuemur. Sive namq; ſtupendam, humani corporis, concinnitatem, qvæ ſuis artubus, membris, articulis, exactiſſimè diſtincta; venarum, nervorumqve validisſimo nexu, inter ſe, devincta; internis, vitæ conſervandæ, inſtrumentis ſufficientiſſimè inſtructa; ſupremum omnium rectorem, divinitatisque particulâ inſignem, animum circumfert, contempleris: quid aut fieri ſapientius, aut eſſe elegantius queat? Sive verò mirandum, qvo iſta omnia formantur, augentur, èque anguſtiſſimi carceris latebris, in, apertiſſimum hoc mundi, theatrum producuntur, expendas modum: quæ, niſi abſolutiſſimæ poteſtatis, perfectiſſimæqve ſapientiæ, mens ſuffectura, tantis peragendis, videtur? Et cujus eam eſſe dixeris, niſi ejus, qvi per omnia diffuſus, à nullo, quod velit, agere prohibetur; qui æternus ipſe cum ſit, æternâ virtute, quæ facta ſunt, fecit; qui unus, quæ fortiſſimè conſtructa miramur, eorum omnium, potentior deſtructor timetur: qui rerum omnium legem, finem, ordinem ponens, voluntate, ac arbitrio ſuo, cuncta gerit, à nullo con-

filium vel petit, vel exſpectat? Et hæc omnia ſi, complexurus, unico verbo, exprimere velis, quod aliud dices nomen, quam DEI? Tantum itaqve naſcendi munus cum ſit, non minimum ejusdem augmentum videtur, OPTIMIS NASCI. Communis antiquiſſimorum vox, ſummam felicitatem, ita, ut diximus, naſci, dicit. Et quidni? cum parentum, in prole, rediviva indoles, ſemper eluceſcat. Quamvis enim nunquam, ea naſcendi neceſſitas, impendeat, ut non, ſæpiſſimè, plurimùm vel deſerant, vel excedant; parentum virtutem liberi: tamen neſcio, qvid, arcani ſtimuli, liberis ſufficiat, patriarum, avitarumque, virtutum memoria. Credo, quod, veluti facilior incendii, ab igne, continuatio; ita, hereditarii illi igniculi, citius animum inflamment. Sua ſponte, quæ intendo, apparent: ideoque nil iis addo, niſi ut, pace Tua, PL. REVERENDE VIR, oſtendam, quam feliciter, ea naſcendi, ſors Tibi, acciderit. Laudatiſſimum LEPNERORVM nomen, hoc loco, explicandum veniret, cujus uberrimum fructum, & Eccleſia, & Curia patria, ſatis ſuperque eſt experta, niſi, non tam omnium memoria, quam vox, quæ, hoc loco, dicenda eſſent, quotidie adhuc uſurparet. Quis enim ignorat, religioſiſſimam, OPTIMI PARENTIS COGNOMINIS, pietatem? quis indefeſſos, tot annorum, pro divini cœ-

tus


tus ſalute, labores? quis conſtantiſſimam mentem, qua ingratiſſimam, orbis noſtri, erga hoſce viros, malevolentiam fortiter ſuperavit? quis denique immotam illam fidem, quâ Deo, Divinisque adhærens, & valetudinis, & vitæ ipſius diſpendium, animosè contempſit? Prudentiæ verò civilis, auguſtiſſimum illud ſacrarium; ſolidiſſimum, vacillantis civitatis, fulcrum; præſentiſſimum bonorum aſylum; Muſarum ac eruditionis, genuinam ſobolem, &, quod primo dicere debebam, DIVI SIGISMVNDI, AVGVSTISSIMI POLONORVM SVECORVMQVE REGIS, dulciſſimum delicium; æternæ memoriæ PATRVVM, HIOBVM LEPNERVM, Palæopoleos noſtræ, PROCONSVLEM Meritiſſimum, quid dicam? Adhuc requirere ejus virtutem, inter mœrorem, & triſtia vota, patria civitas videtur: unde facile conſtat, quanta vivi virtus fuerit, cum demortui, tam pertinax ſit deſiderium. Et ex his omnibus ſatis Tua, VIR AMICISSIME, felicitas apparet; nunc, per modeſtiam Te precor, patere laudem, hinc Tibi enatam, breviter recenſere. Ita quippe videtur, ſi optimum eſt, aut non naſci, aut optimis naſci, utroque melius longè eſſe, ſi optimorum, qvibus natus ſis, ſtrenuâ æmulatione, aſſeras virtutem. Egiſti id, OPTIME VIR: ita namque, etiamſi tua id ſupprimat modeſtia, omnis tua ætas, laudatiſſimè exacta, loqvitur: ita loquitur conſtans, bo-

norum

norum omnium, de te opinio, qvibus candor Tuus, &, priscæ Germanæ fidei, integritas, amori est ac venerationi: ita deniq; loquitur parentis æmula, in officio, fides, quam quo minus & Deo, & tuo cœtui, testeris, nullæ te curæ, nullæ ægritudines, avocant: quin, quasi non sentiens hasce, semper publicæ, imò æternæ, promovendæ saluti operaris. Sed nec aures Tu, propriæ laudi; nec linguam, ego, adulationi, assuevimus: Ergo, & iis missis, illud videamus, quam unicè hæc omnia, non tuæ virtuti, non laboribus atque curis, sed iterum, divino muneri, asscribas: cujus bonitate uti natum te; ita, per tot annorum decursus, gubernatum, atque ductum, palam fateris. Et, qui aliter posset piissima tua mens, quæ exactissimè perspicit, quam minimè, suo moderamini, hominis sufficiat infirmitas? Optimè nosti, quam pessimè, inter innumeras vivendi difficultates, dirigendo gressui suo, præsit humana cœcitas, ne vel blanditiis, vel invidia fatorum deviet. Succedat ergò, nostris defectibus, provida DEI cura: quem ducem ita, omnis vita nostra, sequitur, ut, quocunq; tramite pergendum sit, nunquam erretur. Quæ quidem omnia, qui solertius scrutatur, & Tibi, VIR REVERENDE, gratiarum agendarum; & nobis gratulandi, amplissimam, hoc die, causam præsto esse, deprehendit. Neque verò quicquam, quod tuarum

rum partium ſit, omittes, ſcio; Illud magis optandum, ut, qvod nos deceat, bene exequamur. Sed, ne dubites, de noſtra quoque voluntate: Cujus uti hoc tenue ſignum dedimus, ita, qvicqvid deeſſe eidem qveat, votis, ex Priſco Ritu, obſignamus. Ac ſi is, inter mille GENII cultus, non ultimum, qvi THVRE peragebatur, habuit: Thuris loco, devotiſſimæ nobis preces erunt, quibus non GENIVM, ſed eum, qui unus mentem nobis format, atqve regit, D. O. M. & hoc, & reliquo omni tempore, ſupplices venerabimur:

VT QVEM, POST GRAVISSIMOS ELAPSI ANNI MORBOS, AC VARIAS DIFFICVLTATVM VICES, HAC LVCE AVSPICARIS FELIX, SALVTARIS, LAETVS TIBI DECVRRAT ATQVE TERMINETVR.



X.

GRATVLATIO,

CONSVLTISSIMIS ATQVE AMPLISSIMIS

DOMINIS,

DN. JOHANNI KRINTZIO,

NVNC PROCONSVLI,

DN. JOHANNI SCHIMMELFENGIO,

VIRO CONSVLARI CNIPHOVII REGIOMONTANI,

AFFINIBVS CONJVNCTISSIMIS, PATRONIS MEIS OMNI VITA HONORANDIS,

SVB PVBLICAM ONOMASTERIORVM SOLENNITATEM EXHIBITA

M DC XXXVII. XXIII. Iunij.



SI quæ animorum, eadem affectuum, amicis communio est, jam, verissimâ voce, amicorum omnia communia, dicuntur. Et qvi proinde non commune, vobiscum, VIRI CONSVLTISSIMI, AMICI LECTISSIMI, mihi gaudium esset, dum, solitâ solennitate Onomasteria læti agi-

agitis? Cum namqve ex vestra amicitia, illustre vitæ meæ ornamentum, atqve fructus amplissimus, promanet: non majori vobis gaudio, ob vitam; qvam mihi, ob amicos tantos concessos, idem dies agendꝰ est. Ac liceret modò ea, tam promptè exequi, qvam bene constituerat animus: laudatissimo labore defunctus essem. Equidem antquissimam, dierum horum celebrandorum, consuetudinem novimus; sed & operosam, circa eosdem, curam fuisse, constat omnibus, qvi non ignorant, varios, Deorum infinitorum, cultus, opulentas ludorum pompas; donariorum splendorem; conviviorũ deniq; luxus, & qvæcunq;, mille superstitionum, genera, pagana excogitabat cœcitas. Quis enim Cautium, qvis Lucinam, qvis Opem, Vagitianum item, Cuninam, Rumiam, Statilium, Adeonam, & reliqva, argutæ mentis temeritate, fabrefacta idola, qvicqvam aut formandæ, aut curandæ vitæ nostræ, conferre dixerit? DEVS, DEVS, nobis unus, & potentia immensus, & bonitate infinitus est, qvi, qvâ virtute, universi molem, sustinet creatam, eâdem, animatum divinâ particulâ, hominem format, atqve fovet. Hujus, mirandi opificis, sapientia, operum omnium capiti, atq; ornamento, suam impressit imaginem, constantiori miraculo, qvàm suam, Deæ Clypeo, olim impresserat Phidias. Hujus, fidelissimi Custodis, æterna providentia, qvicqvid vitæ degitur, certius dirigit, qvàm

vel Bromii altor, vel alius naturæ Deus, atqve Genius fictus. Hujus, munificentissimi Patris, inexhausta bonitas, feliciori incremento, quicquid utile, quicquid jucundum existit, vitæ suggerit, qvàm, vanâ opulentia fœcundum, Amaltheæ cornu. Hæc dum dico, occurrit Hircaniæ arbor, querci facie, foliis mellitis, quorum tamen succus, nisi sole oriente, extinguitur: scilicet ea, felicitatis humanæ, sors; vana est atqve vilissima, nisi, divini amoris, atqve gratiæ, foveatur radiis. Hæc itaq; vobiscum, AMICI COLENDI, hoc die cogito, ac, qvem bonorum omnium unicum, eumq; ditissimum, largitorem statuitis, devotus veneror: qvin, si priscorum cultus piabat,

floribus & vino GENIVM;

diviniori victimâ, eundem adibo, pro vestra incolumitate, sacra facturus. Puro sanctitatis flore, ac læto cultu, delectatur sanctissimum Numen: nec, aliâ profecta mente, vota ei offero, qvæ gratissima & vobis, fore confido, qvod & DEVS, non desideret pomposas opes; nec vos, Dei adjuti ope, aliis muneribus egeatis. Si tamen munuscula addenda sunt, qvidni Musarum, qvas Vos exactè colitis, & felicissimè ambitis, constantes proci, potius, quàm levissima fortunæ, adeam sacraria, ut inde, quod exhibeam, mutuer? Neq; verò id novum putandum, qvod Halicarnasseus, Lucianus, & illustria literatorum nomina, suo ævo, fecerunt, qui, quod unum pote-

poterant, ingeniorum opera, atque fœtus, donariorum loco, mittebant amicis; neq; etiam gratiora his, literaria munera extitisse, qvam vobis, quisqvam mihi persuaserit, qvi amorem vestrum, ac propensissimum, non in meas modo; sed omnium, benè cordatas, Musas, affectum præsens video: qvi vitam vestram omnem, quantum, à publicis negotiis, conceditur, istis addictam, sæpius invenio. Hæc vobis, omni ludorum amœnitate, jucundior recreatio; hæ, lautissimis epulis, gratiores deliciæ, quibus animum, ad voluptatem, pascere soletis. Alia adderem, Virtutum Vestrarum, illustrissima documenta: sed & ista invitus jam dixi, quod metuam, ne buccinator, vestrarum laudum, audiens, offendam impatientes, proprii præconij, aures. Ideoqve, quæ restant, fido potius venerabor silentio, qvam admittam, ut officiosè molestus dicar. Erit aliquando tempus, quo publicâ felicitate ea, clarius, citra vocem etiamsi, prædicante, mea opella non requiretur. Illud tamen unicum, quod omnino dicendum est, dici patiemini, in magna felicitatis meæ parte deputandum, benevolum, in me, vestræ voluntatis affectum. Ac, si non minus vobis placet, qvam à me petitur, sit is fortissimi vinculi, quæ nobis stata aliàs, hoc die, solennitas est, loco, quo æternum vobis jungar, felix consortii vestri membrum. Ego, si, quo Vos mihi devinciam, aliud obtineo nihil, promptissima saltem serviendi vo-

luntas; ac constans, cum observantia, amor, vinculum præstent. Notum sanè, nullum, sine his, fidum firmumq; dari vinculum; sed & alterum, quod sæpe gemmis, multoq; auro grave est, splendidum interdum esse fascinum, quod oculos tenet, animum ne tangit quidem. Prius itaq; istud, eo gratius vobis fore confido, quo sincerius à me porrigitur! Claudo omnia votivis, Symmachi, verbis;

AEVVM MANEAT DIES HIC, QVI VOS MIHI AMICOS DEDIT. HVNC EGO ET GAVDIIS MENTIS, ET VERBORVM HONORIBVS, PER MVLTOS ANNOS VOBISCVM OPTO CELEBRARE, ADIICERE ETIAM MIHI LICITA, VOBIS JVCVNDA MVNVSCVLA; VT NVNC LINEAS HAS MISI, QVARVM POTEST OBLATIO EXIGVA NON VIDERI, SI MAGIS MEI IN VOS ANIMI, QVAM SVI PRETII, AESTI-

MATIONE PENDANTVR.

XI.

IDEM HONOR IISDEM AMPLISSIMIS VIRIS, EXHIBITVS M DC XXXVIII.

VIRI AMPLISSIMI, AMICI HONORATISSIMI.



QVod æternum. D T. O. M. ſecundet, ſecundus hic annus eſt, qvo, cœleſtis gratiæ indultu, Natalem veſtrum diem, mihi celebrare contigit, cujus auſpicium, cum, prioris acclamationis clauſula, connexurus, Aevum, dico, maneat dies hic, qui vos mihi amicos dedit! Aevum maneat dies hic, qvi vos, bono publico natos, toties reviſit! Aevum maneat dies hic, qui vos, ejusdem incremento, hodienum conſervat! Ea, credo, devotiſſima mente, priſcorum more, hoc ipſo die, ſupre-

ſupremo Numini litabitis; ſed & vobiſcum, litabunt omnes, qui aliquam, proſperitatis veſtræ curandæ, particulam,ad ſe pertinere arbitrabuntur. Præter hæc,ne quid oblectationis,diei huic Geniali,decedat, amœnitate priſcis ſolitâ, mihi, veſtra cum gratia, celebrandus erit; vos modo id agite, ut aurem quandoque ſubtrahatis, ne præſentem lædant, neceſſariò dicenda. Equidem, Genialium dierum, varias fuiſſe ſolennitates, etiam, ſordibus obſcœnioribus, turpatas alii dicunt: ſed omnium ea, & uſitatiſſima, & honoratiſſima creditur, quâ, amicorum Genium, venerabantur invicem. Hunc autem dum dico, quantis impedior tricis? Quis enim non Genium, ſuo ſenſu finxit, ac,infinita deſcriptionum varietate, expreſſit? Huic, rerum omnium gerendarnm, Deus; illi, duodecim cœli ſignorum ordo; iſti, rei locive cujusvis præſes, Genius eſt: Hominis autem Genius, cuſtos cœlitus additus, cuivis putatur. Ego omnibus hiſce miſſis, Genium, hâc vice, hominis cujusvis indolem accipio, quà impulſus, in diverſa rapitur ſtudia, nec uno omnes delectantur. Neqve ego hoc dico, ſed palàm omnis exponit antiquitas, varias Genii proponens imagines. Nam cum,in eo, conſentiant omnes, ut notaturi vegetam laudatamqve indolem (neque enim malum, hoc loco, Genium curamus) Adoleſcentem depingant,

gant, alis, uti nos cogitationibus, quovis contendentem: qvid varia, eidem tributa, ſigna loquantur aliud, præter ſtudiorum, inter homines, varietatem? invenias hinc militarem Genium, militiæ armis; literarium, librariis voluminibus; Muſicum, inſtrumentis Harmonicis; Ruſticum, inſignibus agreſtibus, ornatum. Atqve hinc, ni fallor, illud jam initio conſtabit, quod antea diximus, Genii cultum potiſſimum, in recenſione virtutum, ſtudiorum, quibus qvisqve, indole inſtigante, incumberet, conſtitiſſe. Quod in vobis dum conor, opportunè ſe mihi ſiſtit, ex antiquiſſima pictura, Genius ad PLATANVM ſtans, ſerpentem dextrâ tenens, caput, Platani cinctus foliis. Jampridem, Genialem arborem, Platanum fuiſſe literæ teſtantur; ſed veſtri Genii, AMICI HONORATISSIMI, exactiſſimam notam eam eſſe, hoc ævo conſtat. Omnibus gratam eſſe, ac amari, Platanum, nemo negabit, qui ſemel ejusdem miratus fuerit, venuſtiſſimum decus, ac proceritatis honorem. Scilicet eſt ea nonnullis, felicitas indolis, ut omnium, ſuo jure, poſſideant animos, &, laudato qvaſi faſcino, ad ſe trahant. Nam, qui, corporum pulchritudinis comes eſt, amor, idem animos, ſi virtute pulchri ſint, individuus ſequitur. Neqve enim, ſi, corporeos oculos, horum pulchritudo fugiat, animum qvoqve non ferit. Quin eo divinior eorum eſt formoſitas, quo externis corporum vaſis

exclusi, divinæ auræ particulam, mentem, fortius tangunt. Nunc vos, VIRI COLENDI, quod, de aurium subtractione, monui, agere optarem: sed quicquid sit, non meis verbis, sed aliorum, qvæ volo, expressurus, facilè adulationis crimen evitabo. Ea sæpius, FIDEM testor, audivi: non facilè abstrahi vestro cultu posse, quotquot semel ad animum admisistis vestrum; semper servitiis, vestræ virtuti, adesse multos velle, qui semel ejusdem contemplati sunt decus. Tàm potenter & trahitis, & tenetis hominum mentes! Musas ipsas quantopere vobis devinxeritis, plurimi testantur, ita ut Athenarum Academia, ex PLATANORVM (hanc enim arborem, maximè complacitam scimus) undiqve consitarum umbra, non minus oblectationis, atqve subsidii cœperit, quam, ex vestra benevola liberalitate, paupertinæ multorum Musæ sentiunt. Scimus sane, quantum, Solis ardoribus depellendis, gratissima PLATANI umbra prosit, sed & quantum Musas, adversitatum ardore marcidas, Patronorum juvet favor, scimus. Illud vos agitis, HONORATISSIMI VIRI, quoties (iterum aliorum voce loquor) inter flagrantem, Martiâ face, Germaniam, languentes multorum Musas, humanitate reficitis, consilio juvatis, auxilio sustinetis. Ita solent, quotqvot, à teneris, iis artibus assueti sunt, quæ hominem feritate exutum, verâ humanitate induunt. Neqve tamen privata hæc tantum, vobis

bis laus eſt: quia tantum in publicum prodit, quantum prudentia veſtra (nam eam SERPENS, Genio additus, fortè notat) publico prodeſt. Ejus cum jam pridem plurima ſpecimina, prima ætas traderet, ſpe uberrimi fructus, Patria lætabatur. Iterum PLATANVM hîc cogito, quæ quidem cum primis germinare arboribus, Plinio teſte, dicitur, non absqve egregia, indolis bonæ, nota. Nam qvod, de leonum catulis, Aelianus refert; qui, matrum uteros ſtimulantes, ad lucem feſtinant: idem mihi, degeneroſiſſima quavis indole, videtur; cujus

Nec vis, nec ætas ſuſtinet impetum:
Sed, prævolanti numinis alite,
Curas parentum laureatas,
De viridi meditatur ævo.

Sed quò dilabor, pulcherrimarum rerum memoriâ? Credo non facilius à Veſtri, VIRI COLENDI, Genii venuſtate, quam ab, amœniſſimæ PLATANI, amœnitate, me dimoveri. Regredior tamen, &, quam expreſſi, indolis veſtræ, PLATANVM, debito cultu cum ſemper, tum, hoc die, maximè proſequor. Eſt interdum ea PLATANI infelicitas, ut, pro benè meritis, injuriam ſentiat: dum, quos paulo ante, à pluviis, cœliqve injuriis aliis, immunes præſtiterat, eorum mox vellicetur manibus, Themiſtocle id eleganter explicante. Non deerunt forte vobis calumniæ, ac rectè fa-

ctorum malæ gratiæ: sed absit ea, à bono animo, iniquitas. Cujus quidem, uti semper, quantum potui, Dei auxilio, studiosus fui: ita, hac in parte quoqve, Xerxis potius exemplum sectabor, qui, PLATANI cujusdam, summâ venustate captus, plurimo auro, ex arboris ramis suspenso, eandem coluit. Non eqvidem, aurum meum, sitire vos scio, neqve id mihi suppetit: sed, auro integriorem, fidem, si non despicitis (qui autem despiceretis, fidei observantissimi?) vobis offero. Aut si magis floribus delectamini (nam, & iis ornatam, PLATANUM Tibullus refert) en capite, quibus omnis jam hortus superbit, Rosæ flammam, Liliorum permistam nivibus. Scilicet ita, in vestrum genium, AMICISSIMI, amoris mei flamma, cum niveo pectoris candore, certabit, ut nec hoc ille exstinguatur, nec ille hunc, DEO JUVANTE, exurat unquam. Quod superest, sic, quicquid bonus animus obtulit, obsignat universum:

ITA VOS COELESTIS FAVOR FOVEAT, VT ET AMOENISSIMO FLORE DIV LAETENTVR; ET SALVBERRIMO PATROCINIO

JV-

JVVENTVR BONI O-
MNES.

XII.

IDEM HONOR IISDEM AMPLISSIMIS VIRIS, EXHIBITVS M DC XXXIX.

VIRI AMPLISSIMI, AMICI HONORATISSIMI.



Nter varia, Onomasteriorum Vestrorum, quæ tertium (BENE VERTAT DEVS!) vobiscum ago, celebrandorum consilia, occurrebat tandem illud, quod ipsi vos, à me dici, memineritis, FLORIBVS & VINO GENIVM PIANDI, antiquissimum esse ritum. Hincqve cum nollem, absqve solito, fortè non ingrato vobis, cultu, tam charum diem, mihi elabi, æstivæqve amœnitatis floridum decus, exactius contemplarer: in ipsam naturæ benignitatem, injurius mihi videbar, si alio,


quàm qvem, largiſſimâ munificentia, hæc mihi ſuggerebat, honore iſtum mactarem. Quos proinde iſtius ſolennitati, Geniiq; Veſtri laudatiſſimæ indoli, hâc vice deſtinavi FLORES, (VINVM namqve hodie non apponetur) eos ut bonâ mente, atqve facili accipiatis, oro. Equidem FLORES generatim omnes, Genio piando dicatos fuiſſe, quis miretur? Conſtat quippe, ex omni veterum ſapientia, & alibi fuſius ea dicuntur, florem omnem, SPEI quandam certiſſimam, notam eſſe. Cum namqve, futuri boni, exſpectatio, quædam ſpes ſit; non aliter, fructuum ditiſſimorum ſpem, florum amœnitas confirmat. Fore aliquando tempus pollicetur, quo, poſt oculos, florum ſuavitate, paſtos, animos quoque, fructuum maturitas ſit refectura: Contrà, langueſcentis floris, deſperatur fructus. Hic jam videte, AMPLISSIMI VIRI, ſi qvid aptius, ſi qvid venuſtius cogitari potuit? Ea laudatiſſima indoles eſt, quæ, inter amœniſſimum juventæ vigorem, fructuum ubertatem promittit. Si vitiorum ſentibus horreat animus, vitiata indoles eſt: nec florum gratiâ, nec fructuum divitiis inſignis. Ita omnia, à Genio ſuo, proveniunt, qui, prout optimus, aut peſſimus eſt, ita ſperes, aut metuas eventum. Neqve tamen id temerè fieri videtur: ſed, qvod in floribus, idem hoc ipſo notatur. Florum exactè ſervari ſpecies, nec, degeneri

ri ſaltu, alios in alios abire, annus omnis docet: Et ea, mihi quidem, optima indoles videtur, qvæ, ex optimo traduce, propagatur. Quæ ſi, poſtmodum, cœleſti rigata fonte, divinâ foveatur gratiâ, nec, ſolertis educationis curâ, deſtituatur: tum demum, & floret amœniſſimè, & grandi fructu diteſcit. Omnia ea florum, fructuumque incrementum, juvare ſcimus; qui quotidie, & blandâ cœli clementiâ, & debitâ imbrium humectatione, & indefeſſo hortulani cultu, eos perfici videmus. Sed & Genio curando, unicum horum deſit, ac, qvæ ejus bonitas ſit futura, apparebit. Quæ omnia dum vobis, VIRI AMPLISSIMI, tàm optatò contigerunt, qvi non & amœnitatem, & fructum, Genii Veſtri, omnes venerentur? Non recenſeo prolixius, ſpectatiſſimam utriusq; familiæ, quæ Vos, nobiliſſima germina, produxit, virtutem, ac, in bonos quosqve, optima merita; quod & nota ſint, &, præſentibus vobis, non exponenda: Non innumeram, divinæ gratiæ, bonitatem, Vobis demonſtratam, enarro; qvòd hanc Ipſi Vos, cùm quotidie, tum hoc maximè die, æſtimare ſatis ſciatis: Veſtrum ſaltem ſolertiſſimum ſtudium, ac mirandam cogito ſedulitatem, quâ curare ſolebatis, cœleſtem mentem. Literarum amariſſimas radices, laborum, in conſummandis iſtis, continuitates, viarum atqve itinerum difficilimas moleſtias, pericula, & quævis incommoda, non horrebatis, ut, nobiliſſi-

liſſimarum virtutum amœnitate, iſta floreret, ac, ſi Deo placeret, fructuum ſalubritate, patriæ prodeſſet. Annuit felicibus votis, & annuet poſthac etiam, facile numen, nec patietur, niſi tardiſſimè, tantâ virtute, orbem hunc noſtrum carere. Creſcet, ac, qvod opto, augebitur indies veſtrum decus, illæſus ſtabit, inclytæ virtutis veſtræ, vigor. Quem equidem quanto magis conſidero, tanto majorem, amœniſſimorum florum, fragrantiam deprehendo. Sed, plurimis omiſſis, eos ſaltem exhibebo vobis, quorum gratiſſimam ſpeciem, hoc quoque die, oculis uſurpamus. LILII flagantiſſimam flammam præmitto, & debetur ea, veſtræ pietati atqve candori. Nymphis ſacrum, quem diximus, florem, Veneri inviſum, feliciſſimiqve thalami notam invenio. Ipſi, quæ velim, videtis. Virgo mens veſtra eſt, quam devotæ pietati cõſecraſtis; non adulteratur hæc, ab impura profanitatis protervia, quin odio ipſam habet, atqve faſtidio. Maritata cœlo, huic, quam addixit, intemeratam præſtat fidem, reciprocumqve inde amorem experitur. Notant, qui curioſiores ſunt, in LILIO ea potiſſimum, quod candidum, quod aureum, qvod odoratum, qvod expanſum, qvod incurvum, denique exiſtat: Omnia ex amuſſi vobis concedenda, qui & fide candorem, & amore aurum, & converſatione fragrantiſſimam ſuavitatem, & beneficentiâ expanſionem, & modeſtiâ curvitatem exhibetis.

VIOLAM huic addo LVTEAM, cujus quidem vim medicam, plurimi celebrant, Vos verò exactè, qvotidie exprimitis. Quis enim ignorat, hoc vestrum ſtudium eſſe, & publicis, & privatis, aliorum neceſſitatibus mederi, conſilio juvare ægras mentes, ac, quantum poteſtis, ubique prodeſſe? Quod ſi, inter bene merendi ſtudium, aliorum odium provocatis, atqve iram, non læditur Veſtra Virtus. Et in hoc, credo, Violæ ſimilem, cujus odor, ſi juxta allia plantetur, augeri dicitur: Ita omnis Virtus, ab adverſitate vires capit, nec unquam felicius augetur, quam, ſub rerum difficultatibus. ROSAE ſaltem attexam purpuram, & moleſtus eſſe ceſſabo. Equidem ſæpius iſtã conſiderare ſoleo, ſed, huic tempori, unicam ſaltem, ejus virtutem applicabo. Indorum Magos, quod roſaceo odore Principum animos concilientur, docuiſſe lego: Ea veſtra felicitas eſt, omnium bonorum mentes, fragrantiâ Virtutum vobis devincire. Nemo, qui bene vos novit, odit; nemo, qui non novit, noſſe vos non deſiderat. Et ſi, perpetui folii, ROSAM narrant, rei herbariæ conſulti: quis non, perpetui floris, hanc veſtram fore virtutem, polliceatur? Verum modeſtiæ notam, ROSAM eſſe recordor, quæ quanta in vobis ſit, cum probè ſciam, nolo in iſtam ulteriùs peccare. Illud unum reſtat, ut, quæ ſolennitatis hujus, princeps portio, devota comprecatione, rem omnem claudam:

VELIT DEVS, VT, QVA VIRTVTE BONIS OMNIBVS PRODESTIS, AMICI HONORATISSIMI, EIVS PERENNIS AMOENITAS CONSTET ATQVE VIGOR.



XIII.

HONOR NATALITIVS
CONSVLTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO DOMINO
JOHANNI KRINTZIO,
PROCONSVLI NVNC CNIPHOVII REGIOMONTANI,
PATRONO HONORATISSIMO,
IPSO NATALI,
QVI EST XIV. SEPTEMBRIS S. V.
EXHIBITVS
M. DC. XL.

VIR CONSVLTISSIME!



Icet ergo tandem, desideratissimi illius diei, celebrare honorem, quo natum te quondam, terris his cœlum concessit, tui, inter faustas gratulationes, exceperunt. Ita quippe testari affectum solet, au-

let, aucta, novâ prole, domus; quod, novo pignore, ruinæ atqve interitus periculum, declinasse videatur. Cujus rei memoriam dum asserere, hoc anno, qui Tibi QVADRAGESIMVS SEPTIMVS (feliciter velit DEVS!) hac ipsâ luce inchoatur, quem alium, quam calamum, administratorem tanti negotij adhibeam, qui linguæ ministerio sumto, quantum potest, acclamat:

DVLCITER ANNVS EAT!

Ita quidem, solennissimâ formulâ, annorum felicitatem, priscos sibi precatos, alibi ostendi, nunc nec, à nostro more, distare solenne votum, quis dubitet? Primum omnium, in nostris natalitijs, esse solet, prospera precari; ast quid prosperius, quam adversitatum deprecans amaritiem, jucunda omnia, atque blanda, ad Dei voluntatem, precer? Equidem non communis modo vitæ, sed sortis insuper parricipem, inter homines, te fecit iste, quem celebro, dies. Jam verò, omnem hominum sortem, si executias, eæ semper vices deprehenduntur, ut nulli, absque acerbitate fatorum, exigere dies suos liceat. Cujus rei te, omnium certissimè, admonere videtur, Natalis ipse, qui cum, EXALTATAE CRVCIS memoriæ sacer sit, jam inde hujus aliquam partem, tibi gerendam, vides. Non ero hic arbiter tuæ vitæ, illud saltem dico, cum virtutis non modò strenuus fueris cultor, sed & felix existas possessor; nunquam, absqve adversitate,

hanc tibi contigiſſe. Nam prout iſta arduis delectatur; ita, unico laborum pretio, venit. Molitiem, ac voluptatum lenocinia, ſpernit iſta, & fugit proinde, iſtarum dulcedine, ineſcatam mentem. Hîc jam, quia aliunde conſtat, non affero, quantum, adverſus iſtas illecebras, ſemper depugnaveris: ſatis id probat honoratiſſimus ſtatus, qui, niſi ſpectatiſſimæ virtuti, nulli contingit. Sed & hujus difficultates, acerbiſſimas ſæpiùs, credo, experiris. Prout enim publica omnia, liberiori imperitorum cenſuræ, & judicio, ſemper patent: ita Judicis, præſertim æqui, ea ſors eſt, plurimorum experiri ſuggillationem. Non addo, humanitatis alios caſus, quibus ita non es exemtus, prout inter homines cenſeris.

Nunc itaqve DVLCEM ANNVM, rectè tibi optari, clarius conſtabit. Quanquam quid aliunde iſtud quæram, quod abundè, domi tibi præſto eſt? Virtutem dico, quæ unica feliciſſimum, adverſitatum, remedium eſt, ac quodcunqve, fatorum acerbitate, amareſcit, moderatione ſuâ edulcat. Hanc quàm Tu, cum lacte materno, imbiberis, norunt omnes, qui ſpectatiſſimam Parentum Virtutem norunt. Neqve enim domeſticâ Nobilitate, ſed &, publicis honoribus, mactatam eam vidit, hæc ipſa civitas, quæ nondum oblita adeò, Patris Tui Ampliſſimi eſt, ut non ſæpius fidem ejusdem, ac curioſiſſimum, pro incremento publico, ſuſ-

co, ſuſ-

co, ſuſceptum ſtudium, celebret. Quorum omnium dum tam felix, ex aſſe, heres ſucceſſiſti, novo exemplo, tot ſeculorum dicterium, firmas: Maximum, optimè agendi, ſtimulum eſſe, patriam virtutem. Ita quipqe omnino videtur, cum, ſanguine, virtutum quoqve ſemina, propagari, ſimilesqve impetus; nec Poeticum eſſe, Poetæ illud:

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis, patrum
Virtus; nec imbellem, feroces
Progenerant aquilæ, columbam.

Quod ſi uno, alteroque, degenerum exemplo, convellere quis conetur, mirum, ſi non naturam omnem accuſet, cujus generoſiſſima germina, multum, à ſtirpis perfectione, deficiunt; ac ſic, legis mundanæ, certa ſunt documenta, quâ nihil, ab omni parte, beatum occurrit. At ſi iſta, ſolerti colonorum curâ, corrigi feliciſſimè ſæpius videmus: non aliter tenerrima prolis ætas, parentum cultu, plurimum juvatur. Hic, dum educat lubricam ætatem, molliter flectit, ac, ut, in mediocritate, erecta conſtet, efficit. Ita ſtatuebant, quibus editus es: hinc, poſt primum pietatis munus, quod rigato, cœleſtibus aquis, pectori præſtabant, ita omnem juventutem formabant, ut, non abſque fructu, maturior ætas ei ſuccederet. Iterum hic felicitatem, Temporis Natalitij, expendo, quod cum, ſub Autumni ferè initium, incidat, non te-


mere sementis, verno tempore factæ, messem proponit. Ac si, Veris salubritate, messis notari divitias, naturæ consultiores volunt; juventutis verò florem, amœnitati Vernæ, similimam alij edicunt: quis non uberrimam Virtutum messem, provectiori ætate, speret, qui, florentissimam Virtutibus, juventutem, inter solertissimam, sapientiæ prudentiæqve, sementem exigit? Vides, CONSVLTISSIME VIR, quid velint sibi ista, quæ clarius, pro laudatissimè exacta, à te, juventute ostendenda, ostenderem, si, modestiam tuam, offendere vellem. Nunc cum, Patriæ curæ, hic magna portio occurrat; ejusdem quoqve laudis, non minor particula existit. Privata tua laus est, explevisse hoc patrium desiderium, nec unquam admisisse, ut frustrà, optimæ indoli, impensum studium videretur. Succedebas deinde isti operi, cumqve institutam, ex aliorum præscripto, vitam, tollebat maturior ætas, ipseque tibi rector eras atqve dux; tam, presso vestigio, insistebas susceptæ viæ, ut nusquam, ab aurea mediocritate, declinares. Ita faciendum tibi, in cœlo, sub quo natus eras, legebas: hîc namqve cum, sub ipsum Nativitatis tempus, Solis in Libram ingressum, videres; eo semper æquilibrio ponderanda, & dicta, & facta statuebas, ut in neutram partem, quà vitium appareret, propenderes. Et hæc ista mediocritas, quæ divinæ virtutis, mater est; hæc ista moderatio, quæ, veræ pruden-

tiæ,



tiæ, soboles; hæc ea, quæ fortunæ utriusq;, æqvum gubernaculum est; quæ justitiam conservat, honores auget, ac amorem æternum lucratur. Hæc illud retinaculum, quo & publicæ, & privatæ res, fortissimè sustinentur. Hæc postquam continuo, apud te, exercitio, in naturam, cœli beneficio, diu abijt, quis non &, felicissimo sidere, natum, & diuturnam, inter nos, vitam mereri videt? Atqve hæc quisquis omnia videt, quî non, & natum te, & Natalitia feliciter, (quod diu DEVS velit) celebrantem, justissimam gaudendi causam, omnibus dedisse simul videat? Ego quidem, quod unum possum, tantum muneris desiderium, serio voto testabor:

VELIS DEVS, ITA MEVM
KRINTZIVM PLVRIMIS
SVPERESSE, PROVT ET
FELICI SIDERE NATVS,
ET LAVDATISSIME O-
MNI HVC VSQVE VITA
EST FVNCTVS.



XIV.

OFFICIVM NATALITIVM,

CONSVLTISSIMO AC AMPLISSIMO

DN. JOHANNI SCHIMMELFENGIO,

NVNC

NVNC
VIRO CNIPHOVII REGIOMONTANI
CONSVLARI PRVDENTISSIMO,
AMICO HONORATISSIMO,
M. DC. XL. V. NOV. S. V.
CVM XXXVI. AETATIS ANNVM
INGREDERETVR,
EXHIBITVM.

AMPLISSIME VIR!


Vi omnis amoris, atqve constantissimæ fidei, testis esse solet, eum hoc die, quo quondam, triginta quinqve abhinc annis, mortalitatis usura tibi est concessa, nunc verò, inter felicissimum Tuorum applausum, novum ætatis annum (BENE VELIT DEVS) auspicaris, producturus: non, remotissimarũ gentiũ, citabo instituta, aut antiquitatis obscuros scrutabor ritus; sed intra, domesticæ consuetudinis, cõsistens cãcellos, patriâ solennitate, hoc quicquid est officij (quod tamen ne displiceat, vulgatissimo argumento, rogo) peragam. Ita quidem constat, sæpè fastiditis patriis, peregrina coli; sed major tua prudentia, quam ut unquam decori oblita, non ubiqve, quid res mereantur, expendat. Atq; hinc, cum post varias, variarum gentium, natali-

tia,

tia celebrandi, ceremonias, patrius vinciendi mos, quo artificiosis, inter se, constrictis nodis, vel texunt, vel plectunt ligamina, ac ijsdem dextras amicorum cingunt, occurrat, quid, quæso, aptius tam amicissimo affectui exprimendo, adhiberi poterat? Sic namqve autumo, & amico ab amico, & pro amici diuturniore fide obstringenda, natalitium hoc officium præstari. Neqve verò, hoc loco, perversissima eorum levitas probatur, qui, sanctissimum hoc munus, defunctoriè saltem gerunt, ac, externo isto symbolo, devinctissimum affectum mentientes, plenos irarum animos habent, ut nihil magis divulsum distet, quam eorum mentes, qui, arctissimam necessitudinem, mendaci hoc nodo simulant. Absit, inquam, talium, à nostris hisce natalitijs, impuritas, quin, uti, veri amoris, divinum fontem novimus; ita puro candore, rem divinissimam, inviolatam amoris fidem, tractemus, & si dextras, hujus genuinas testes, obstringant alij, animis nos eundem nodum injiciamus, ac mutuis virtutum officijs, quantum possumus, illud agamus, ut æternum dubia sit, & anceps, tam divinæ conspirationis, palma. Hoc illud felicissimum litigium, inter junctissimos amicos, qvum invicem, mutuis concertationibus, ad amorem immortalitatis, se exacuunt! Hoc beatissimum illud vinculum, quo semel obstrictus animus, etiam, cum corpore exuitur, solvitur nun-
 quam

quam; ſed, prout æternus ipſe eſt, ita æternum, bonæ fidei, cultum ſervat! Iſta credo omnia meditantes noſtri, non vincula ſaltem offerunt, ſed, annuâ iteratione, innovant, ſanctiſſimi muneris dignitatem. Quod dum ego, hoc anno, molior, non luxuriantes, multo auro, gemmisqve, tibi trado nodos, ſed qui, literarum, quandam exhibeant amœnitatem. Sit ergo, vinculi vice, flexilis MYRTI ATQVE MALI PVNICAE RAMVS, QVEM VNDIQVE FORTITER CONSTRINGAT, AMARANTI AETERNVS FLOS: & ſic, amiciſſimo ligamine, te, VIR AMPLISSIME, conſtrinxi. Amori namqve ſemper, omnem myrtum, ſacram fuiſſe, adeò conſtat, ut &, Amorum matri, dedicata reperiatur. Cujus quidem rei ſi inquiras cauſam, non equidem ſolâ, quæ alijs commendatur, ſvavitate; nec fabuloſo, quod Veneri, inter maris ſpumam prodeunti, præſtitiſſe fingitur, nuditatis velamento: ſed nobilisſimis uſibus, quos omnes plantæ partes præſtant, tam ſanctæ virtutis, imaginem conſtitutam eam puto. Si namqve ea Myrti vis eſt, ut, ob beneficentiſſimam remediorum largitionem, nomen, apud plurimas gentes, SALVTIFERAE, aut MEDICAE, plantæ invenerit: quænam alia, inter mortales, res eſt, cujus præſentiora, in omni fortuna, remedia deprehenduntur, quam candidus amor, & amicitiæ intemerata fides? Antiqua vox Oratoris eſt, & ornari

nari res ſecundas, & ſublevari adverſas, per amicos. Scilicet uti rerum, in natura, omnium felicilliſſimus, moderator, eſt ignis calor: ita vitæ humanæ rebus omnibus, flagrantem amoris flammulam, admiſcuit DEVS, ut & coaleſcerent felicius, & cohærerent fortius, quæcũqve humanæ menti evenirent. Hinc videas, nunquam deeſſe, amati rebus, fidum amorem: ſed, ſive proſperæ iſtæ ſint, conſulit, monet; ſive adverſæ, juvat, defendit, quãtumqve poteſt, amici neceſſitatibus eſt ſubſidio. Ita ſcilicet gratiſſima Myrtus, utiliſſimum iſtud, humanarum viciſſitudinum, remedium, Amorem, notat. Verum hanc dum, MALI PVNICAE, jungo, flori, nil aliud innuere cupio, quam mirandum illud, quo, naturæ quaſi quodam faſcino, utraqve jungitur, conſortium. Summa quippe, mutuæ fragrantiæ, ſvavitas, ita afficere utrumqve germen, naturæ conſultis, dicitur, ut remotæ, longiſſimè quantumvis, radices deſiderare ſe videantur, dum, ſolita conſitione, jungantur, quam nec ſemper, ab Hortulani operâ, exſpectant, ſed, mirãdâ indole, ipſæmet promoviſſe ſcribuntur. Supra fidem ferè videntur iſta, nec proinde, ultra debitum, à me urgebuntur: illud tamen certum eſt, quandocunqve ſemel bonas mentes virtus junxit, eam amoris, qvem mutuo ſibi teſtantur, eſſe jucunditatem, ut, cùm difficulter ſejungantur, divortium qvam ægerrimè ferant, niſi, quampri-


mum reſtituantur. Quod quidem ſi dubium ſit, unicum illud propono, quantopere abſentium amicorum memoria, aut inſtituta ſuper ijs colloquia, delectent. Et, quâ ratione alia, abſentium amicorum imagines jucundæ ſunt, niſi quod Stoico dicente, memoriam renovent, & deſiderium, abſentiæ falſo atqve inani ſolatio, levent? Adeò quippe qualicunqve, quam nullo, medio orbitatem ſolari, mavult amor! Et qui poſſet aliter? Animos quippe mutuò devinciri, & unitatis quâdam ſocietate copulari, ante diximus: hinc qui, citra triſtiſſimum deſiderium, careant magnâ ſui parte? Violenter rumpitur, quodcunqve, amicabili devinctione, cohæret. Atqve hinc, quid mirum, ſi communi, omni naturæ, deſiderio, perfectionis reſtitutionem, appetat nobiliſſima hominis pars? Sed & illud, credo, hinc elucet, cùm animum, veri amoris ſedem, diximus, quam proxima eidem, æternitas exiſtat. Nec proinde unquam amaſſe, qui amorem depoſuerit, verè dicitur: cum ſola hujus conſummatio ſit, nunquam mutare amorem. Signaturus idipſum, utriusqve ramuli fragrantiam, AMARANTI floſculo ornavi, cujus is vigor, ut, contra pertinaciſſimas cœli injurias, immarceſcibilis perſtet. Ita bene fundatus amor, non temporum viciſſitudini ſubjacet; ſed ſemper, vegeto incremento, inter caliginoſiſſima qvoqve fortunæ nubila, amico præſtò ſit. Quod ut feli-

cius

cius ſuccedat, virtutis aſpergendus eſt nobili ſucco, quemadmodum AMARANTI vigorem, aqvæ puriſſimæ rigatione, à marcore ſervari notant. Atqve hoc amore quicunqve juncti ſunt, eos arctisſimè devinctos quis negat? Quæ quidem omnia, qvantopere in Te, VIR AMICISSIME, ſim expertus, nunquam, citra gratiſſimam memoriam, revolvo. Illud unum doleo, non eâ ſemper amoris reciprocatione (neqve enim vires concedunt) tibi, à me, occurri. Quanquam illud ſanctè teſtor, neutiquam hujus rei deeſſe voluntatem: fortunas meas damno, quæ ſufflaminant promptiſſimam mentem. Sed tamen neque Tu, quæ, Tua indoles, ideo æternitatem, amoris Tui, mihi negabis: quin uti literarum, magnus æſtimator ſemper fuiſti; ita literario hocce vinculo, æternam iſtius copulam, mihi obligatam ſervabis. Ego quidem, quantum DEVS permiſerit, obſtrictam æternùm fidem, nullo tempore, nullo loco, ſolvendam ſeriò promitto. Illud tantum unum, quod auſpicium melius fuiſſet hujus officij, quo utrinq; diu conſtet, optimè concepta mens, vides ſupereſſe, ut DEVM, pro perennitate, huic propoſito, concedenda, orem. Ergo Te veneror æternum Numen:

ITA INGREDIATVR NOVVM HVNC AETATIS ANNVM MEVS SCHIMMEL-

FENGIUS, UT NOVA UBIQUE COELI GRATIA EUNDEM COMITETUR, DUCAT, HONORIBUSQUE, FORTUNIS, AC FAMILIIS NOVIS OMNI DIE MACTET.



XV.

HONOR ONOMASTICUS,

Balthasar, militiæ principem designat.

ORNATISSIMO ATQUE SPECTATISSIMO VIRO JUVENI,

DN. BALTHASARI SCHIMMELFENGIO,

MUSARUM CORCULO,

GRATIARUM DELICIO,

M DC. XXXIX.

V. JANUARII,

EXHIBITUS.



ITa quidem fato factum esse, credo, SPECTATISSIME AMICE, ut, quæ alijs more vulgato; tibi, privato jure, ac familiari necessitudine, pro felici anni auspicio, & vota, & honor nuncupentur. Præter istam enim, quæ Christiano orbi com-

communis; domestica Onomasteriorum Tibi, sive Nominalium, solennitas est, quam quidem, alij varijs & jocis, & pompis, celebrabunt, ego, unico hoc teste, gratum mihi signabo, modo ne indicta mihi transeat. Sed & tu, qui tuus in me, measque, tantum non, ineptias amor est, nec, inter minima, Chartaceum hunc cultum censebis, scio; nec proinde torviore leges oculo, qvæ hac vice, pro temporis ratione, passim, è prisco ævo, super hac re collegi. Ac duos quidem, vitam auspicantium, maximè solennes reperio dies, quo uteri soluti carcere, atque tenebris erepti, liberiori cœlo, atque auræ exponuntur, NATALEM (de quo hic nobis sermo nullus) &, qvo lustrati, Nomina sumebant, NOMINALEM sive LVSTRICVM. Atque hujus, quem ultimo loco dixi, solennitatem, maximè insignem fuisse, non minus testis est. Cum namque nono die, vel octavo, (hunc enim sequioris, illum nobilioris sexus fœtui destinatum; Plutarchus autor est) imponendum nomen esset; triduum, aut quatriduum purgandis, qui futuri essent ejus rei gestores, ante constituebant, Suidâ dicente, atq; ita, inter solennes ritus, diem lustricum agebant. Post impositum vero nomen, intra tricesimum diem, apud Præfectos ærarij, natam prolem profiteri, â M. Antonino, jubebantur, notante hoc ipsum, Julio Capitolino. Vide, quæso, ubiq; sacrorum rituum æmulam, seu

affecta-

affectatricem magis, gentilitatem, quæ, cum splendorem eorundem neutiquam ferat, umbram saltem quasi eorum, proponere annititur. Neq; enim obscura, cuiquam nostrum, est, ea, imponendorum nominum, solennitas, quæ, DEO autore, cœpit. Sive enim primo fœdere Israëlem, sive posteriori, eoq; novissimo, receptum gentilium orbem spectes, omnia ea expressa deprehendes. Et diei numerum (qui tamen, ex nostro fœdere, liber nobis est) ferè istis communem; & reliqua, omnibus maximè convenire, videmus: nisi, quod diviniora nobis, ut est sanctissimum nostrum numen, cogitanda proponantur. Sordes & nobis, & istis, cum nomen imponitur, abluuntur: sed corporis maculas istis; nobis & animæ, vitiosas notas, primum tollit lavacrum. Cum namq;, fœdissima scelerum lue, inquinata anima, vivere in terris incipiat: cœlo vivere, quod debebat, neutiquam poterat, nisi cœlesti balneo mundetur. Non admittit pura DEI sedes, impuro natum semine; hinc, e cœlo, promanans fons, divino scaturit sanguine, illudq; purgat. Qui antequam pateret omni orbi, à cultro medicinam quærebat, huic malo, Judæorum Ecclesia, postquam, memorandâ voce, æternus Medicus, quà parte id fieret, edixisset. Scilicet ut ignominiæ nostræ pudor, vix citra pudorem nominando, corporis membro, patesceret, ac interiorem mentium ob-

obſcœnitatem, exterior iſta loqueretur. Ita ubiq; ſuis ſacris, initiabantur recipiendo nomini, nati infantes: quia non levis res videretur, bono nomine gaudere, quod DEO ipſi dicendum eſſet. Non ſecus enim, ac, civilium codicum tabulis, inſertos Romanos audivimus, nos cœleſtibus D. O. M. codicillis, imo (ſi vera fateamur) DEI manibus notamur, ac jam tum primum, paternæ felicitatis, obtinemus teſtem. Eminentiſſimæ, in terris, civitatis juribus, & privilegiis illi, hoc ritu, donabantur: Aſt quæ major dignitas, quam divinâ beatorum, civitate recipi, ac ſecuritatis omnis, certiſſimo autore, tanquam Patre, uti, amari, defendi? Quæ major felicitas, quam nomen, Deo charum, gerere, quod ipſe crebrius intueatur, legat, relegat, imò in delicijs habeat? Eâ quippe, omnium piorum nomina, ſorte gaudent, poſtquam, JESV nomen, orbi noſtro, innotuit, cui parum fuit, eidem legi, dum nomen acciperet, ſubjici, niſi &, ſanguinis ſui purpurâ, divinis manibus, noſtrum imprimeret nomen. Neq; aliâ, credo, lætitiâ, tuus, AMICISSIME, magis effertur animus, cum ſemper, tum hoc cum primis die, quo, novo monitore, Nominis Tui, recordaris. Hunc namq; teſtem, divini fœderis, quoties cogitas, toties ineffabilem Dei celebras amorem, qui te & hoc, & iſto donavit. Verum enim vero ſi, quæ hominum cura, circa aſſignatum tibi nomen, fuit, pari-

ter consideres, par tibi oritur lætitia. Equidem quis applausus priscis fuerit, si vitæ successus, omine suo, impositum confirmaverit nomen, & primis Historiæ tironibus constat, nec proinde huc cito: Illud unum potius, quam tu id felicissime approbes, propono. Est ita docentibus, qui nominum evolvunt origines, quod geris, nomen, ut, sanctioris vi linguæ, militiæ principem notet. Non is tibi animus, ut, cruentis Martis castris, delectatus fueris: non te, facilem sibi, hospitem invenerunt, quæ, difficulter admodum, hospitio excipiunt virtutem. Alia tibi occurrebat arena, quâ uberior, solidæ virtutis, succresceret seges, ac gloriosior, quâ ad sacrum triumphum pergeretur, pateret via. Hinc, postquam Sacramento obstrictus, divinæ pietatis militiæ nomen dederas, Christo duce, strenuus semper miles exstitisti: hujusq; fultus immenso robore, nunquam succumbere visus es. Nactus scilicet, divinæ particulam auræ, in debellandis hujus hostibus, sedulò laborasti. Quod ut optatiori progressu succederet, Virtutis atq; Musarum imperio, sponte subjiciebaris; & harum ductu, quicquid objiciebatur hostium, vincere discebas. Longo hinc agmine, exercitum in te ducentia, vitia simul, ac conspicabaris, ignorantiæ tenebras, scientiæ luce; arrogantiæ ferociam, modestiæ fronte; ignaviæ illecebras, laboris solertiâ; Philautias balndimenta, defectuum accuratâ cogitatione; meticu-

ticulositatis diffidentiam, forti conatu; devincenda statuebas. Nec fefellit consilium: adfuit; qui nunquam virtuti deest, successus. Ita quippe singula expedijsti; ut, cum, in plerisq;, primas obtinueras, in reliquis secundas, quarum & ipsa magna laus, non absq; primorum laude, atq; admiratione, attígeris. Ita, dum, quod diceris, revera quoq; existis: qui non gaudeas, tam feliciter, BALTHASARIS, imposito nomine? Tui equidem, ut, non sine omine, imponeretur nomen, optare poterant: Tuum autem, ne irritæ preces essent, erat providere. Egisti id, Juvenum flos, atq; optimæ militiæ, si non princeps, tamen proximum locum tenens, dignum SCHIMMELFENGIORVM, quorum virtutem, tot jam anni Patriæ nostræ testantur, Nomine, Nepotem, Filium, Patruelem, Fratrem te præstitisti.

Quod tamen hic, ne adulari tibi, indecens prolixitas, videatur, supprimo; ac, quicquid dici ulterius, hâc vice, debebat, sacro voto obsigno.

ITA (VELIS DEVS!) MEO
BALTHASARI NOMINIS
HAEC SOLENNITAS CREBRIVS RECVRRAT, VT ET
POSTERIS AVSPICATO
HOC TRADAT; ET IPSE,
QVO COEPIT, BONO E-

JVS OMINE LAETVS DIV FRVATVR!



XVI

IDEM HONOR

EIDEM

M DC XL.

EXHIBITVS.

SPECTATISSIME AMICE:



Ptarem equidem, ut, qui hodie, gratissimam nominis memoriam, reducit, idem illucesceret tibi natalis, ne, quæ jure merito, huic debentur, aliò transferenda essent solemnia; verum, cum patrio vivamus more, eum secutus, non ingrato officio, affectum meum testabor, si nascentis felicitatem, ONOMASTICO AGAM SACRO. Et id quidem tantò lubentius, quanto tempori huic magis convenit, quo adhuc, gratulantium voces, passim sonant: ac, inter ipsos, felicis perennationis, precatus, publico gaudio cuncta plaudunt. Hinc & felix, communis anni, auspiciū, &, ONOMASTERIORVM Tuorum, solennitatem celebrans, lætus, hæc videbis, ac, si quid vota possunt, prosperrimi successus omina, inde capies. Non te, grandi munere, macto; sed, fide, amore, devincio: qui ita tibi prospera, ita

læta

læta, ita dulcia cuncta offert; quemadmodum, ipsa cœli bonitas, indulgere hominibus eadem solet. Quod cum notare volebat, prisca prudentia, sub anni auspicium, votis dulcissima Caricarum, Cariotidum, atq; Mellis jungebat munera, sic dulcissimos anni dies ominans, si, dulcium rerum, sumerent auspicium. Non ea hîc immista vides, sed adsunt tamen omnia, si mentem videas, quæ complectens ista, tribus verbis offert:

DVLCITER ANNVS EAT.

Non refricabo, amaritiæ omnis, memoriam, quæ superiorem annum exacerbavit, ne bona pars, debitæ lætitiæ, interire videatur. Illud certum est, votis omnibus expetendum, ut nova gratiâ, novâ felicitate, dulcescat sequens ætas, ac, si felleus prætериit, melleus subsequatur annus. Tibi cum primis, OPTIME AMICE, privatim, hoc die, ea vota nuncupanda sunt, qvi privatâ festivitate gaudes. Non unus annus est, cum virtutum ac Musarum, prout initio esse solent, acerbas radices, ultrò eligens, eâ eas constantiâ sectatus es, ut &, hoc tempore, gratius animo pabulum non occurrat. Hinc cum alios, rerum vanissimarum dulcedine, captos cernis, ridere soles miserorum cœcitatem, quâ, quæ subsecutura est, acerbitatem nequaquam provident. Voluptatum dico nepotulos, qui blandis illcelebris fascinati, stimulos earundem non

cognoſcunt. A quibus cum tam longè ſemper abfueris, quid mirum, ſi ſolertiæ tuæ, laboris, ac moleſtiarum, dulciſſimos fructus ſperas? Neq;, hæc dum dico, inſignem horum partem, a Te jam poſſideri, nego. Jejunè ſtolidus ſim, ita ſi ſentiam, dum tot tuæ virtutis lumina video, quibus laudem, amorem, cultum, bonorum omnium quotidie experiris. Ita ſanè decet, in pretio eſſe, clariſſimas Virtutes: ac, hoc æternanti honoris fructu, acerbiora rudimenta donari. Quid ergò, dum dulciorem tibi ſortem precor, addere iſtis poſſum? Diuturnitatem, ac inoffenſum tenorem, addere volo, qui, acerbioribus fatis, non turbetur; qui, iniquitate temporum, non intervertatur, ſed æterno conſtet talo. Aliàs, & maximæ virtuti, familiaris eſſe ſolet acerbitas, ac communis, humanarum rerum, fortuna: ea itaq; ne in te locum habeat, itero votum:

DVLCITER ANNVS EAT.

Sed ut familiarius tecum agam, (heus! in aurem) ſcisne DECEM SEPTIMANAS, ſubſecuturam dulcedinem? Quid ſi ita DVLCITER HIC ANNVS EAT, ut contingat tandem, quod diu optavi? Tu quidem, ſi volueris, præſtare abundè potes. Quin ergo aggrederis tandem, ac, quæ una tibi deeſt, familiæ ducedinem experiris? Ne invideto nobis diutius, virtutum Tuarum exemplar,

ſed

ſed aſſere magis Honoratiſſimum, Gentis Tuæ, nomen, ac eo, quo cœpit decurrere, tramite, ſolerter provehe. Non hæc temere, aut, per jocum, dico; tempus exprimit. Ita quippe conſtat, menſem hunc, nominis tui monitorem, JVNONI PRONVBAE ſacrum, ac, GAMELIIS lætiſſimis, actum fuiſſe. Omen accipe, ac tandem eventu confirma: & quia JVNONEM PAGANAM (abſit enim hinc ſuperſtitio, ubi DEI obtinet imperium) ignoramus, Tu REGIOMONTANAM elige, opibus ac corpore florentem, cui, quantum potes, lita, ut propitiam habeas DIVAM. Et jam expedias, mi AMICE, annon, Melle & Caricis; dulciora, tibi hæc tulerit charta? Addet tamen adhuc unum, quod priſci, inter Strenas, numerarunt, ego munus ONOMASTICVM conſtituo: NVMMVM SIGNATVM. An quis NVMMVS, quod SIGNVM ſit, quæris? PECTVS MEVM, BONÆ FIDEI NOTA, INSIGNE accipe. Ac id quidem, ſolennitati, Onomaſteriorum, patriæ, quàm convenientiſſimum videtur. Vincula mutuo miſſitari, pro fortioris amoris ligamine firmando, ſcimus. Et jam hinc conſtat, mentis nexum, externo iſto vinculo notari. Mentes ergo ligandæ, ac, æterno nodo, ſunt ſtringendæ. Eat nunc quispiam, ac, quem nectebat funiculum manus, menti devinciendæ adhibeat. Non feriunt, oculorum hæc blandimenta, cœleſtis particulam


culam auræ! Sola, quâ capitur, ſimplex integritas, ac cœlo oriunda fides eſt. Hæc ſi pura ſit, ac intemerata; ſi, promptitudine ſua, radiat; ſi conſtet, inter omnia tempora: adeò gratum, cœleſti menti, vinculum exiſtit, ut, cum libera alioquin ipſa, quâ orbis patet, incedat; hoc modo coerceri velit, ac ligari. Quid enim, familiarium neceſſitudines, aliud quam grata hæc vis, quâ mutuo devinctæ mentes, non poſſunt ſejungi invicem, etiam longiſſima intercapedine objectâ?

Hæc modò te, SPECTATISSIME AMICE, mihi, meq; tibi devinciat, non curioſius alium nodum requiram. Sive enim robur iſtius requiras, quid fido amore firmius, quo, &, immenſa orbis machina, devincta conſiſtit, reliquos interim nodos, vi aut arte, rumpente? Sive pretium, deſideres, manet auro omni, atq; gemmâ clarior fides, quæ una, pretioſis his fortunæ ludibrijs, tantò eſt nobilior, quanto, inter iſta, auri eminet ſplendor. Sed, quod unum reſtat, iſtud potius agam, ut opere conſtet fides, quam prolixiori ſermone jactetur. Tu interim, quo ſoles, animo hæc (neſcio quâ culpa ſperato tenuiora) accipe, ac defectus, devotione animi, patere compenſari. Neq; enim, hujusmodi ſacra, facundia, quàm pietas, felicius peragit, cujus omnis vis hæc erit:

SIT

SIT FAVSTVM, SIT LAETVM, SIT DVLCE, QVODCVNQVE MEO BALTHASARI SVPEREST TEMPVS, NEC VNQVAM SINE SOLE AGATVR DIES.

AVDI DEVS ATQVE JVBE.



XVII.

NATALITIVS HONOS, EIDEM M. DC. XLI, XXVI. Julij. st. n. EXHIBITVS.



AEpè dubitavi, AMICE SPECTATISSIME, cum, inter Natalitiorum solennia, effusam omnium lætitiam, ac undiq; ingeminatos, gratulantium, plausus cogitavi, dignáne tanto gaudio, an, lacrymis potius, prosequenda, ea res esset, quæ primum, omnis miseriæ, auspicium, nostro generi existit, ejusq;, tam pertinacem, successum continuat, ut non, nisi cum morte, eandem terminet. Equidem notissimus, earum gentium ritus est, quæ natorum lachrymis, denatorum contra sortem, tri-

pudio atq; jubilis excipiebant. Verumenimve-rò erectiori mente, rem omnem cogitanti, non carere videbatur iniquitate, iſtius populi profanitas, quæ cum procul â, Numinis ſupremi, abeſſet notitiâ, non poterat ſano, tam divinum opus, judicio arbitrari. Cum namq; , ſub primam , univerſi hujus, conſtitutionem, illud maximè, æterna Conditoris mens, provideret, ut quam diutiſſimè, fœcunda, ſingulorum generum, multiplicatione, quod produxerat, conſtaret opus, primævâ ſtatim benedictione, fœturam omni viventium generi conceſſit. Atq; id cùm, in omnibus animantibus, ſummi beneficii loco cenſeatur; tùm , inter homines, tàm ſanctum habetur, ut divinum opus, ipſe DEI Spiritus, illud appellet. Nec aliâ mente, primo omnium , Natalitiis diebus , non gaudemus modo ; ſed gratulamur inſuper tantum munus, quod, dum, DEI bonitas, clementiſſime nobis , noſtrisq; præſtitit, quis non, devotiſſimô grati animi affectu , ejusdem recordetur? Quamvis nec levior gaudij ratio videatur, ſi potentiſſimam D. O. M. dextram cogites, quâ mirandis modis, non modo, inter anguſtiſſima clauſtra, cum nondum eſſes, te formarit; ſed &, poſtquam tenui, atq; imperfecto corpuſculo, ſtatis ſucceſſionibus, incrementum dederit, tandem, poſt tot difficultates, poſt mille, mortis imminentis, pericula , verè divino auxilio, in ampliſſimum, noſtri orbis, theatrum, productum,

ctum, plenam, vitalis auræ, usurpationem largitur. Atq; ista omnia quorsum, sub initium hujus Natalitij, (quod iterum, DEO propitio, tibi exhibeo) officij, à me dicta sint, nemo, cui vel minimum, devotissimæ tuæ, erga DEVM, pietatis innotuerit, quæret. Ita siquidem vitam omnem agis, ut, unde ista tibi contigerit, exactissimè omnium expendas. Ac proinde, cum, divinum munus, hanc probe teneas, religioso cultu, qui divinis omnibus debetur, eandem curas, dum sedulò caves, ut, vitiorum pollutionibus, profanetur tam divina res. Quâ quidem in re, dum præsentissimum, cœlestis gratiæ, experiris auxilium, qui non tacitum, intra pectus, tuum enascatur gaudium, quo, lætâ mente, tantorum beneficiorum largitoris, DEI prædices bonitatem? Sed & reliqui, quos vel naturæ, vel familiaritatis arctioris, tibi junxit necessitudo, quomodo faustissimis acclamationibus, concepti intus gaudij testibus, tantam felicitatem tibi non gratulentur, ego quidem non cerno; maximè si amicitiæ fides, communionem quoq; animorum pariens, nunquam expertes sinit amicos, mutui affectus. Ego sane nunquam verum amorem ratus, qui non animo fundatus, nec luctus, nec gaudij, amicorum partem sentit. Nec proinde unquam, subducere animum, adeò valui, ut, non multum semper, amicorum casibus, tangerer. Quod ut sæpius Tibi, Tuisq;, ita & hoc ipso die, qui, notâ solemni-

lennitate, privatim tibi festus illuxit, testari volui: & postquam, quæ pietas exegit, breviter, à me, peracta videntur, amoris saltem aliquod pignus, addendum est. Ita quippe nostratium mores requirunt, ut, Natalitio gaudio obfirmando, munus aliquod addatur. Quod dum curiosè quæro, (non quod, externis hisce, egeat optimus noster amor, sed ne uspiam defecisse videatur) ecce! ultro sese meҫ mihi sistit Plinius, ac HECATONCEPHALON herbam offert, cujus radicem uti raram, ita eousq; portentosam dicit, ut amabiles reddat omnes. Et jam obtulissem eam tibi, firmandi amoris nostri causâ, nisi meliora, prudentissimus monens Causinus, super hanc Plinij plantam, Nihil, dixisset, ad amorem potentius, quam virtus, humanitate condita. Vel annon omne, quod me, æterno tuo amori, devinctum tenere unquam possit, expressisse videor? Tua illa virtus, quam & hereditate, & peculiari, post Dei gratiam, cultu, familiarem tibi fecisti, illa, inquam, una est, quæ & rapere in sui amorem, &, postquam rapuit, absq; ullo alio pignore, non solvendo nexu, obligatas sibi servare, aliorum potest mentes. Illa est, quæ non minus decenti gravitate, inter inæquales, quam humanâ comitate, inter æquales, eundem semper te adhuc præstat. Illa est, quæ peregrinorum undiq;, quos solertissimus, optimarum rerum, cultor, tantâ cum laude, adiisti, amorem, atq; honorem, concilians tibi, nunquam,

ab


ab antiquâ ſanguinis nobilitate, deflectere te patitur. Non certe Vlyſſem, Mercurij Pharmacum; ſed virtutis integritas, â Circes faſcino ſervavit: Hac adhuc tuum animum, ne vel lenocinijs, vel minis, viciſſitudinum mutetur, firmat. Et quid huic, amoris noſtri, fundamini ſuperaddam, cum non minus iniquus, qui virtutem ſpernat; quam ego, ſi te (abſit tamen dicto malus animus) non amem, videamur. O vivas ſaltem, atq;, prout cœpiſti, ſemper conſtantem ſibi, virtutem ſecteris, nec unquam noſter cadet amor! Sed neq; tu ipſe, etiam cum occideris, cadere unquam poteris, quod nunquam, Tua te virtus, patietur interire. Et illud, credo, unicum non capiebat, earum, quas ſub initium averſati ſumus, gentium ſtoliditas, cum lacrymis, primum, naſcentium ſuorum, ſalutarent ingreſſum. Illud ſcilicet deplorandum, inconſultis mentibus, putabatur, miſeriis atq; morti naſci: quibus tamen omnibus, quantum ſupereminet hominis virtus? Miſerias ſiquidem, fortiter ferendo, vincit; mortem verò, cui æternum ſuperſtes eſt, etiam contemnit. Illud eſt bene naſci, cui ſi ſuccedat inoffenſus, optimæ vitæ, tenor, nunquam non, lætiſſimus, oritur Natalis. Quem ut eò feliciorem nanciſcereris, & illud natura providebat, ut quotannis, quarto ante, quam naſcereris, die, Leonem, Siderum Princeps ingrederetur. Non hîc fabulas ſectabor, nec feſtiva Aſtrologiæ ſcrutabor præcepta,

illud ſaltem dicam, ſive, temporis hujus, flagrantiſſimum fervorem; ſive animalis, cujus iſtud nomē gerit, ſummam virtutem reſpexeris: & ferventisſimum in Te, virtutis ſtudium; & ſolidiſſimum ejusdem robur, utrinq; elucet. Demonſtrarem hîc omnia fuſius, ac imprimis, convenientiſſima tibi oſtenderem, qvæ, de Leonum generoſitate, vates ſequentibus proponit:

Peroſus vincla puerperi,
Lentam Dianæ ſollicitat manum,
Geſtitq;, in auras exilire,
Magnanimi catulus leonis.
Mox arte patris impete præferox,
Primæq; matris lætus adorea,
Prægeſtit agris, & ſequaci
Dente premit capras fugaces.

Dicerem ea omnia, ſingulari Natalitij beneficio, præ multis aliis, privata tibi eſſe, ſed neq; modeſtiæ tuæ, neq; verecundiæ meæ (quam toties, hoc amoris officio irritati, arrodunt maledici) excedam modum. Illud igitur, quod & pietati, & amicitiæ utrinq; noſtræ, convenit, ultimum hac vice addam; Deum precabor, ut, quæcunq; chariſſimi tui, mecum, hac luce, pro te, conceperint vota, æternum conſtent. Proinde

TV QVI OMNIVM AVTOR ATQVE ALTOR ES, D. O. M. ITA BALTHASARI PLVRIMOS ADHVC NATALES, INTER LAETISSIMVM VIRTVTIS FRVCTVM, LARGIRE: PROVT LARGISSIMAM AGRORVM MESSEM OMNES DEVOTI ORAMVS.



Quæ sequuntur, Orationes non sunt habitæ.

ORATIO
AETERNAE MEMORIAE,
CONSVLTISSIMI ATQVE AMPLISSIMI VIRI,
ROBERTI ROBERTINI,
SERENISSIMO ELECTORI BRANDEBVRGICO, A SECRETIS CONSILIORUM REGIMINI BORVSSI, AMICI MEI CERTISSIMI, SACRA:

CVI INVITATORII PROGRAMMATIS LOCO, FVNEBRE PRAEMITTITVR.

Hæc

HAEc ergò dies illa peremptoria, atque funesta, quæ, quodcunq; æternum, de liberando genere nostro, Dei decreverat consilium, ineffabilis piissimi Sospitatoris susceperat amor, furibunda stygii hostis intentaverat rabies, efferatum Judææ gentis, tot annis, agitaverat odium: exequebatur tandem, atq; in actum deducebat. Scilicet, ut infensus nobis, nostrâ culpa, reconciliaretur Deus, infensissimam sibi Patris iram, culpæ vacuus, experiebatur Filius: ut sua iterum, piorum animis, tranquillitas constaret, atq; lætissima quies, horrendis angoribus, atq; infernali dolore turbabatur, sanctissima Christi anima: ut exempti, æterni carceris vinculis, cœlesti libertate potirentur homines, libertate ultro abdicatâ, servilibus catenis, atq; diris nodis, constringebatur cœli Dominus: ut, quod gravissimæ, tot hostium, accusationi opponeret, hominum inveniret scelus, confictis in perniciem, & exitium, dolis fraudibusque, accusatur Christi innocentia: ut, quicquid vel corpori, vel honoribus, dolorem inferre possit, atque maculam, constantius superaret nostra infirmitas, & cruciatuum, & conviciorum omne genus, ultro admittit cœlestis majestas: ut novissima, supremi judicis, sententia absolvatur, per gratiam, tot scelerum rea mortalitas, injustissimo, pedanei judicis, arbitrio, per invidiam, condemnatur Christi innocentia: ut tandem æternis, cœlestis vitæ, delicijs frueretur, qui perenni addictus erat morti, homo, execrando, in cruce, supplicio moritur, perennis vitæ fons, atq; origo, JESUS CHRISTUS. Quæ omnia, & quicquid ea tam horrenda, tam dira, tàm modis omni-

mnibus crudelia, comitatur, cum & ab alijs, & â nobis aliquoties hoc ipso die, ita ferente occasione, variè proposita sint: hac vice nil aliud, quam miserandam eam vocem, quâ extremas hasce miserias, ac angustias expendens Servator, Ego, *inquit,* vermis sum, & non homo, *cogitabimus. Ecquid enim vel ad contemptum abjectius, vel ad miseriam calamitosius, vel ad sordes atq; immunditiem impurius? Et tamen ut & hac, & ista, & illo liberaremur, omnia assumpsit, sibiq;, ut propria fierent, imputavit, admirandus Redemptoris amor. Nota alias Baldadi Suhitæ, ex Hiobo, vox est, quâ summam hominis impuritatem, ex eaq; innumeras profluentes malorum myriadas descripturus,* Homo, *inquit,* putredo, & filius hominis Vermis est. *Atque ita sane, postquam semel serpentini vermis dolo, atq; insidiis, circumventa universa hominum gens, feralibus deliciis cupidinem suam explevit, statim contigit, ut primo omnium subnatus in mente, culpæ ac sceleris rea, virulentus vermis, diris morsibus miseros roderet ac læderet: Domesticum intelligite tortorem, malè conscium animum, qui mox tanto malo perculsus, vanas quærebat latebras, atque, inter mille angores timoresq;, Dei vocem tremebat. Ast protractus eadem homo, gravissimo Dei edicto, corporis animæq; æterna morte damnatur, ut post exiguum miserrimæ, atq; undiquaque ærumnosæ, vitæ exactum spatium, corpus quidem non modo vermium pabulum atq; esca fieret, sed & ipsam abominandorum vermium induceret speciem: anima verò non morituri vermis dente, inter immensos cruciatus, æternum morderetur atq; roderetur. Neq;*

ullius ea conditio atq; felicitas erat, ut hac eximeretur sorte, cum omnes pariter communi nascendi impuritate damnati, inter sordes atq; putredinem, vermium instar, esse incipiamus, posteà ubi existimus, inter variam peccatorum corruptionem volutemur & agamus, ut iniquitatibus quasi innutriti, ita vermibus pascendis destinari, intra amplissimam mundi hujus omnium domum, videamur, prout, intra privatas singulorum familias, varium altilium genus, nutriendi conservandiq; corporis ergo, pasci videmus. Hæc omni nostro generi miseria, immoto justitiæ divinæ tenore, incumbebat, & æternum incumbens oppressisset etiam, nisi pijssimum Redemptorem stupendus amor eò, ut præter innumera alius miseriæ genera, vermis etiam speciem susciperet, adegisset. Hic namq; postquam cœlo delapsus, in hac mortalitatis nostræ fece volutari voluit, tot dolobus, tot injurijs fuit expositus, ut omnium commune quasi quoddam existens ludibrium, revera verme etiam (cum in horum quoq; insectorum classe, quæ coli soleant, reperias) abjectior videretur, atq; contemptior. Id verò cum omni vitæ tempore clarè satis, tum sub novissimam ejus clausulam, quæ qualis fuerit, initio diximus, omnium clarissimè est testatus. Et hinc, æterna DEO laus sit atq; gratiarum actio, id felicitatis in nos derivatum est, ut quicquid vermium infestum esset atq; noxium, potentissime depelleretur. Nam &, qui inter sordes peccatorumq; impuritatem, cum vermibus quasi communis, nobis ortus erat, sanctissima ejus nativitate mundatus est; &, qui animos angere solebat, peccatorum vermis, purpureo vermiculi

hujus

hujus sanguine submersus; & qui æternos, post fata, animæ minabatur morsus, hujus morte retusus est atq; oppressus, corpori verò ne corruptio vermiumq; fœditas noceat, efficit beatissimum illud conditorium, cui illatum hoc die quondam sanctissimum corpus, contra putredinem atq; vermium arrosionem, sepulchra nostra ita munivit, ut jam non squalidæ vermibus sedes, sed suavissima tranquillissimæ quietis dormitoria existant. THAMUR *alias Salomonis vermis, ab Ebrææ rei scriptoribus, dicitur, cujus summam à Rege deprehensam virtutem ita referunt. Cum struthionis pullum vitreo vasi Rex inclusisset, à struthione, quod eximere carcere vitreo prolem non posset, è deserto vermem dictum afferri, occidi, ac vitrum illito occisi sanguine frangi, sicq; libertatem captivo parari vidit: Sit, uti diximus, liberum cuivis super ea re judicium, modò id concedatur, elegantissimam, sanctissimi è cælis vermis, JESU, eadem imaginem contineri. Vel annon stygio carceri ab inferorum Tyranno eramus occlusi, æterna captivitate cruciandi, nisi divinus hujus occisi vermis sanguis, gravissimi carceris repagula rupisset, atq; æterna libertate donatos liberali manu asseruisset. Hæc ergo summa credentium felicitas, quod, etiamsi verme omni, per naturæ culpam, abjectiores, miseriores sint atq; turpiores; hujus saluberrimi vermis gratiâ, ab omni vermium squalore atq; morsu, tuti sint & salvi. Ac proinde uti prioris memores, miserrimam vitæ suæ æstimantes vanitatem, nunquam ultra sortem cristas erigunt, quod, quacunq; specie blandiatur vita hæc, undiq; vermibus scateat*

teat atq; corruptione: ita dum posterius exactius recolunt, nunquam animum abjiciunt, sed, quantumcunq; peccatorum vermis eos angit, dæmonis mortisq; horror mordet, semper sanguine vermis hujus animati, vanas minas spernunt, ac illud Dei adjuti gratia agunt, ut, quantum per infirmitatem licet, ita animæ corporisq; curam gerant, ne, quod de Alexandri demortui exercitu Plutarchus refert, effœminati atq; socordes flaccescant, ac, sopito cœlestis amoris ardore, vitiorum vermes atq; fœtores producant, quod alijs cadaveribus, vitali calore destitutis, familiare novimus. Quæ quidem omnia quantopere semper, pro prudentia sua, expenderit, CONSVLTISSIMVS AC ERVDITIONE ACTIBVSQVE VARIIS AD EXEMPLVM PRAECIPVVS DN. ROBERTVS ROBERTINVS, SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBVRGICI, IN SVPREMO BORVSSIAE REGIMINE, SECRETARIVS VT DEVOTISSIMVS, ITA CLARISSIMVS, *vel inde constat, quod, quoties mortalitatis vanitatem cogitaret, toties, aptißimè ijs, quas ex Jobi libro, adduximus, vocibus eam notari,* Hominem putredinem, filium hominis vermem esse, *statuerit. Hinc & quid superbiret, quid machinaretur hominum insania, sortis suæ immemor, gravius invehi, & Deum rogare, vellet is, ut ipse nunquam ejus rei oblitus, vanitatem atq; imbecillitatem suam semper agnosceret, electi verò a DEO vermis sanguine fretus, & confirmaretur infirmus; & lavaretur*

tur immundus, audivisses. *Cujus etiam rei fructum quin uberrimum, inter beatos jam percipiat* *VIR ITA DESIDERATISSIMUS, UTI OPTIMUS,* *nemo dubitaverit, qui inprimis immotam eam animi magnitudinem, qua JESU sui præsentiam, cœlestisq; gratiæ efficacißimum sensum, sub novißima prædicabat, audiverit.* *Ita revera qui sibi, abjectißimo vermi, nihil unquam tribuebat; omnia ex abundantißimo, quo vermis divinus scatuit, sanguinis fonte haurire, & quæcunq; morsum infligere ipsi moliebantur, hinc eludere videbatur.* *Natus autem est hic noster anno seculi hujus auspice 3. Martij circa XII. nocturnam* PATRE REVERENDO CLARISSIMO, AC OPTIMAE MEMORIAE VIRO, GERHARDO ROBERTI, ARCHIPRESBYTERO *primum* ECCLESIAE SALFELDIENSIS, ac CONSISTORII POMEZANIENSIS, ASSESSORE, *post* RASTENBURGENSIS, *tandem* LOEBENICENSIS, *quæ hic Regiomonti est,* PASTORE ATQUE CONSISTORII SAMBIENSIS ASSESSORE VIGILANTISSIMO: MATRE LECTISSIMA ATQUE PUDICISSIMA BENIGNA Preussin / *b. m.* *Post initationis Sacramento renatus, solertißima cura educatur, ac, quandoquidem mature vis sublimis ingenij insita emicabat, modis omnibus promovebatur, dum non modo privata, sed publica dictarum scholarum informatione, pietatis optimarumq; artium præceptis instruebatur, eo etiam cum*

suc-

successu, ut tandem ad Academiam hanc nostram, majoris profectus causa, dimitteretur. Ingressus eam, Alumnis Electoralib9 accēsetur, atq; ita, quod laudabiliter cœperat, literarum stadium gnaviter decurrit. Verum uti solent cœlestia ingenia, motu suo gaudere; ita expertus noster hic est. Anno namq; 1610. cum exteros invisendi studio teneretur, consentiente Domino Parente, & literas etiam à SERENISSIMA ELECTRICE BORVSSIAQVE DVCE, *cui Mater pie defuncti à servitiis quondam fuerat,* AD SERENISSIMAM SAXONIAE ELECTRICEM *commendatitias impetrante, Lipsiam primò petijt, ubi annum, & longius aliquantulum, subsistens, Criticum & Antiquitatis, quo inprimis delectatus omni vita, studium solertißime tractavit, ac deinceps alias Germaniæ Academias lustrans, tandem Argentoratum sese contulit, ibiq;* MAGNAE ET INCOMPARABILIS ERVDITIONIS VIRO MATTHIAE BERNEGGERO *familiari9 junct9, ita ej9 cōversatione ac convictu usus est, ut, quod sæpius prædicare consueverat, non minus corpus cibo, quam salutaribus monitis animum pascens, grandi eruditionis cumulo auctus* 1621. *in patriam post* Dn. *Parentis obitum rediret. Ingressus eam, mox* MAGNIFICO AC GENEROSO DN. ANDREAE A KREYZEN, SVPREMO *tunc tēporis* MARSCHALLO, *mox* CVRIAE PROVINCIALIS MAGISTRO *commendat9,* GENEROSIS FILIIS *præficitur; quā spartā ita functus est, ut &* MAGNIFICI Dn. PARENTIS, & GENEROSAE PROLIS

LIS *addictissimum expertus fuerit affectum. Trien-nio ita exacto,* 1624. à GENEROSO AC NOBI-LISSIMO Dn. HERMANNO MAIDEL, CA-PITANEO *in Curlandia* PILTENSI, *eadem ipsi provincia committitur, cumq; dexterrimam in eadem fidem anno integro sufficienter probasset, ab eodem* GENEROSO, *qui adhuc inter* ILLVSTRES REGNI POLONIAE PROCERES, *florentissime viget,* FILIO, *in Belgiũ comes atq; Ephor9 additur, à quo tamen, cum annum iterũ integrum adfuisset eidem, gratiose dimittitur, atq; ita* 1629. 9. *Septembris è Belgio Angliam ingreditur. In ea cum anno fere integro commoratus esset,* 1627. *circa Augusti terminum, Galliam intrat, in qua cum commodum sese occasio offerret, biennium ferè integrum Patritij primum Noribergensis, post duorum Equitum Silesiorum literis promovendis præpositus, substitit. Tandem à* MAGNIFICO POTENTISSIMI DANIAE NORWEGIAEQVE REGIS LEGATO *expetitus, eidem, dum Legationis negotia expediret, officiorum fidem addicit. Quibus exactis jam fere ad finem properante Anno* 1629. *Argentoratum,* MAGNI BERNEGGERI *conveniendi causa (tam dulce nomen tanti* VIRI ROBERTINO *erat, nec ingratius hoc illi publica testimonia confirmant) repetit, sicq; tandem* 1630. *secundum ad nos fit redux. Atq; hic honoratissimis forte conditionibus frui potuisset, sed aliter disponente, atq; ad majora reservante, tantam virtutem,* DEO, *ita evenit, ut precibus,*

CON-

CONSVLTISSIMI DN. MICHAELIS ADERSBACHII *&c. b. m. locum reliquens, informandi ac per exteros, inter quos tunc agebat, ducendi Filij*, VIRI NVNC CLARISSIMI DN. ANDREAE ADERSBACHII SECRETARII VARSAVIAE RESIDENTIS ELECTORALIS, *curam susciperet. Digressus ergo hinc mense dicti Anni Decembri, se eidem, & quem comitem hic habebat*, POLITISSIMVM nunc BEATISSIMVM VIRVM JACOBVM SCHLEINIVM, *in Gallia jungens, deinceps, cujus visendæ studio semper flagraverat, antiquissimam sapientiæ sedem, Italiam tandem feliciter intrat. Non dicam Campanellam, non Grotium, non alios eminentissimos Reipubl. literariæ Proceres, quorum conversatione ubiq; semper usus, insignem eam eruditionem sibi acquisivit, quam & qui familiarius ipsum norunt, & publica, quibus ipse in Patria laudatissimè præfuit, munia illustrissimè testantur. Cùm namq; quicquid ubiq; prudentiam confirmare posset, (linguarum enim peritiam cui non probavit?) curiosissimè notasset, tandem ita iter, cum comitibus, instituit, ut per Hispanicas Belgij, in confœderatas provincias reditus, tertiùm Patriam 1633. mense Septembri reviseret. Hic jam cogitans illud Poetæ,*

O quid solutis est beatius curis,
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi, venimus larem ad nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto?

& ipse

& ipse viarum, itinerumq́; difficultatibus finem statuere, ac, quibus abundantissime mentem instruxerat, dotes publico conferre decreverat. Et commodum favebant ei proposito fata; cum namq́; REVERENDISSIMVS ET ILLVSTRISSIMVS DOMINVS, DN. ADAMVS COMES A SCHWARZENBERG, ORDINIS S. JOHANNIS PER MARCHIAM, SAXONIAM, POMERANIAM, ET VANDALIAM MAGISTER, DOMINVS IN HOHENLANDSBERG ET GIMBORN &c. *Virum prudentia civili, & dexteritate rerum gerendarum pollentem, cui nomine* ILLVSTRIS EJVS ORDINIS, *per dictas provincias, publico, Secretariatus committeretur, desideraret; Eidem à* MAGNIFICO DOMINO KREYTZIO, *prout erat incomparabilis bonorum, quorum fidem probaverat, patronus, commendatus hic noster, suscipit id muneris, ac ita triennio ferè gerit, ut clementem* REVEREND. ET ILLVSTRISS. COMITIS *semper provocaverit affectum. Cum verò illustria omninò ingenij virtutisq́; specimina hic dedisset, Anno* 1636. *à* SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO DN. GEORGIO WILHELMO &c. &c. O. R. NOBILISSIMI, *quod in Borussia est,* JVDICII AVLICI; &1645. à SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DN. FRIDERICO WILHELMO &c. &c. &c. DOMINO

NO AC NVTRITIO NOSTRO MVNIFICENTISSIMO (*quem diu ac feliciter hominum rebus præesse Deus velit*) SVPREMI BVLEVTERII SECRETARIVS *constituitur. Quorum munerum grandem molem, cum, pro sua prudentia, probe videret, ne ei succumberet, ita curas partitus est, ut vitæ privatæ consortem asciscerèt sibi*, VIRGINEM *tunc temporis* VIRTVTIBVS SVI SEXVS ORNATISSIMAM, VRSVLAM, VIRI SPECTATISSIMI REINHOLDI Vogten FILIAM VNICAM, VIDVAM *nunc* MOESTISSIMAM, *cum qua* 1639, *mense Martio, solennibus nuptiis, sibi juncta, sterile quidem, ast tranquillissimum, inter purissimum amorem, ac constantissimam fidem, novennij conjugium exegit. Si verò, qua fide & dexteritate gravissimis iis muneribus fuerit functus, quæras, aulam adi, & quâ solicitudine, quibus etiam lachrymis, summi proceres, defunctum desiderent, cognosces. Et qui possent aliter? dum inauditam prudentiæ promptitudinem, qua impeditissimas sæpe res feliciter expediebat; intemeratam fidei constantiam, quam cum semel* SERENISSIMO *obstrinxerat, quodvis pati, quam violare illam malebat; gratissimum conversationis consortium, quo non* DNN. COLLEGARVM *modo, sed quorumvis animos conciliabat sibi, cogitabunt. Mores reliquos, ac vitam VIRI si requiras, non erat vanitatis sectator, sed candoris; hinc si omnibus non placuerit, non è vulgi moribus formatum pectus statue. Animus apertus, candor*

inge-

ingenuus: hinc factum, ut nunquam assentiendo blandiri potuerit, sed gravi severitate, quicquid displicebat, omnibus, non habito fortunæ mentientis respectu, exposuerit: quo si odium nonnullorum incurrerit, sciebat eam veritatis sortem esse; quam tamen fortiter sustinere potius, quàm effœminate deserere istam volebat. Eruditionem variam ita possedit, ut & doctissimos docere potuerit. Pietatem vero ita colebat, ut nunquam, externæ speciei affectator, frontem vultumq; componeret, quo intuentium oculis observaretur; sufficere putabat, si DEO animum probaret atque pectus. Ne tamen & omnem hujus rei testem defuisse putes, audi illos, qui familiarius ipsi jungebantur, quàm nunquam vel summam à DEO miseris atq; damnandis nobis, collatam gratiam; vel debitum pietatis pro eo munere cultum memoraverit, quin uberrimis lachrymis cordis affectum, orisq; confirmaret sermonem. Eâ vero benignitate egestati aliorum succurrit atq; necessitudini, ut, si referre ista omnia hoc loco necessum esset, plurimos forte, qui magna jactantia Christianorum titulum crepant, pudore suffunderet. Vnum saltem hujus posterioris testem accipite: Vix binis, ante feralem morbum, horis, ultimæ sortis exulem, quem sæpius propriis fortunis juverat, haud postremo ex Familiaribus commendans, tanto Argumentorum pondere misericordiam concitat, ut vel, durissimæ præfractæq; mentis, hominem flectere potuisset. Additâ tandem communis, quæ mortalitati adjacet, sortis commemoratione, quâ, quod cuiquam contingit, cuivis metuendum dicitur, claudit Epistolium, Nescimus quid

serus vesper vehat. *Ita ille mortalitatis suæ memor, sed & instantis, fati heu nimis! certus vates exstitit! VI. namq; Aprilis erat, quo, cum hæc scripsisset, aulam, ut munus obiret commissum, accedit, ast cum inter agendum ægre, (nam aliquo jam temporis spatio catharris, alijsq; symptomatibus infestatus erat) habere inciperet, dimißione mox impetrata, hortum suburbanum, cujus colendi insigni studio ducebatur, ut corpus reficeret, ingreditur. Sub primum verò ingressum, Paralysi sinistri lateris opprimitur, accedente syncope Cardiaca; cui malo etiamsi præsentißima opponerentur remedia, nil tamen actum est. Hinc ad Deum erecto animo, magna constantia (nam & rationis, & sermonis plenum usum, mali vis reliquerat) præsentiam sui Sospitatoris venerabatur, devotißimisq; suspirijs, ut ad vitæ terminum hæc concederetur, oravit. Atq; ita evenit, cum VII. Martii post III. matutinam animam, quam, paucis ante Septimanis cœlesti epulo paverat, placide, postquam nuper XLIX. ætatis annum esset auspicatus, ad beatiora dimitteret. Vermem quendam naturæ consulti referunt, qui quotannis, mense Martio, in certis locis, maximè funestis morsibus homines lædat: ast quam impudentior vermis Mors est, qui omni anni tempore, ubivis sævit, ac ferali morsu quoscunq; conficit. Ast sæviat ista, non tamen lædit, quotquot vera fide, qui abjectissimam pro nobis vermis conditionem subiit, sospitatori adhærent. ~~Ast sævit ista non tamen lædit, quotquot verâ fide, qui abjectissimam, pro nobis, vermis conditionem subiit, sospitatori adhærent~~. Si namq; alium in India vermem,*

quem

quem à colore cæruleum, à loco Gangeticum dicunt, iidem notant, cujus ea virtus sit, ut vastum insensissimi hostis, Elephantis, corpus, mirâ arte sternat ac conficiat: Ea fuit potentia piissimi Redemptoris, ut vilissima specie tegens hanc, grandes illos è styge hostes, Diabolum, mortem, fortissime prostraverit atq; devicerit, suis verò periculorum omnium immunitatem concesserit. Hæc cum assidue meditata fuerit BEATISSIMI ROBERTINI *pietas, quid mortem, quid, qui hanc sequuntur, sepulchri squalorem, vermiumq; morsus timuisset! Imo opponebat ijs cœlestis palatij splendorem, &, quo paratum hunc sibi sciebat, vermiculi è cœlis sanctissimi sanguinem. Ita post omnes hujus vanitatis miserias, plenâ tandem, inter beatos, gloria fruitur. Corpori verò dum hodie post XII. supremus solvetur honor, ut frequenti deductione, ultimum affectum* CLARISSIMO VIRO, AC SVMMO MVSARVM ORNAMENTO, *exhibeant Cives nostri, monemus:* HONORATISSIMA FAMILIA *officiose rogat. P. P.* 1648. *ipsa Mortis Dominicæ Die.*



T arripiendus tamen est feralis calamus, ac, quod diu refugiebat, mœrore obrutus, animus, exsolvendum tandem funestum est officium, amori tuo, DVLCISSIME ROBERTINE. Scilicet vincendus est pertinax

tinax dolor, & quo acerbiorem, dulcissimi nominis, inducit memoriam, eo constantius reprimendus, ne muliebriter indulgens ei animo, sanctissimas violet amoris leges. Si namq; dicente, felici Homeri æmulo, Smyrnæo Cointo, is demum amicus est, qui, exstincti etiam, amici memoriam servat, ejúsq; causam dolet, licet non amplius superet: quid iniquius fieri à me posset, quam, si sanctissimam eam, quæ nos junxerat, amicitiam, hoc debito supremo, novissimi officij, fructu privarem? Equidem haud infimi, è literario ordine, subsellij viri sunt, qui, non violandum amoris tenorem, expressuri, Palmam Plinij Syagron, cujus is, in Phœnicem avem, amor sit, ut cum ea & emoriatur, & renascatur, proponunt: ast, quod cum pace tantorum Autorum dicere liceat, parum, si, quæ de interitu amoris addun-tur, cogites exactius, aptè. Divinior quippe longè virtutis, quæ una veri, intra animos, amoris conciliatix, indoles est, quam ut, caduca cum, mortalis corporis, mole, una moriatur atq; cadat. Hinc longè acutius, veri amoris effigiem exhibuisse illi videntur, qui cum, nec gravissima temporum vicissitudine, nec remotissimis locorum intervallis, amicitiæ leges solvi docuissent, mortis ipsius, violentissimum Dominatum, isti subjecerunt. Erit ita meus in Te, DVLCISSIME ROBERTINE, amor, ac, si oculis te meis auribusq;, supremi arbitri obsecuta decreto (sine eo enim si fuisset, præsto esses,

nec

nec quicquam in Te potuisset) mors subtraxit; animo tamen nunquam, altissimè radicatas, amoris elidet fibras. Quin præstabit ille hoc mihi, ut præsens mihi semper sis, præsenti colloquaris, præsenetm moneas, ac, quæcunq; vivus præstare solebas, singulari sapientiâ, facundiâq; oris lepore, eadem adhuc, dum vixero, officia exhibeas amico. Atq; ejus rei confirmaturus fidem, hunc ipsum quoq;, quem amori Tuo debebam, honorem, non meis, sed Tuis executurus verbis, ita absolvam, ut & gravissimas, miserrimæ mortalitatis molestias, elegātissimo, quo, pro domestico, amœnissimi ingenij, acumine, è proprij nominis eruto elementis, INTER RVBOS omnem agi vitam, docebas, *Anagrammate:* & felicissimum, superandarum istarum, remedium, ex sapientissimo pariter, quod familiare, familiaris Tibi virtus, MODESTIA VICTRIX, effecerat, *Symbolo*, breviter demonstrem. Et initiò, cum plurima adeò, doctissimorum virorum, extent monimenta, quibus & summas vivendi difficultates, & præsentissima, eluctandis ijsdem, media, ingeniosissimè expresserint, ut, si numeris definire vellem, innumerum deprehenderem: tum verò, an sagacior ullius, quam ROBERTINI MEI, in istis, solertia occurrat, vos ipsi judicate. Quid verò ille? Duram, etiam exquisitissimas, blandientis fortunæ, delicias, vivendi necessitatem propositurus, amœnissimam, ac, centum vernantium folio-

rum

rum, ornatu ſuperbientem proponebat ROSAM, cum addito, quod familiare ſibi, ſi transpoſueris, ſuppeditat nomen, Lemmate, INTER RV-BOS. Hîc ſi quid aptius poterat inveniri, edicite. Siquidem, eſt & Roſæ ita elegantiſſimum decus, efficaciſſima virtus, ut, regio etiam, inter flores, conſiſtat loco; aſt quæ, inter horrentes ſpinas, atq; RV-BOS, incunabula ſua habet: & hominum vitæ non usq; adeò, omne felicitatis gaudium invidet benigna mater, Natura; vel, qui hujus Dominus atq; Parens æternus, D. O. M. indulgentia, ut non variis, ijsq; gratiſſimis, eam inſtruxerit dotibus: ſed quas, undiq; & undiq;, innumera adverſitatum vis, circumſtat ac ſepit: & has ſpinis ac RVBIS definiri, vel primis, Linguæ Romanæ, tironibꝰ notiſſimũ videtur, qui, pro moleſta, ſpinoſam dici vitam, ſunt edocti. Aſt ingrediamur, agite! patet namq; diffuſa undiq; ſcena, commune communis vitæ theatrum, ac veritatem dictorum ipſi cognoscamus. Nascitur, ac velut, è caliculo ſuo, emicans Roſæ purpura; è maternis clauſtris, in publicum prodit, tenerrimꝰ fœtus: & ſimul, conſentiens amicorum, cernitur gaudium, quo novam hanc domus felicitatem gratulantur, ipſa interim nata prole, lachrymis atq; ejulatu, ſalutante novi hoſpitij ſortem. Scilicet prævidens quaſi, denſiſſimas, variarum difficultatum, RVBOS, ſentit jam earum punctiones, dũ, dolore multo obſtetricante, in lucem eductus, algo-
re,

re, ſiti, fame, aliisq́; infeſtatur moleſtiis, atq́; lætiſſimos plauſus, planctibus mixtis, interpellat. Unde non imprudens, ejus gentis, barbaries videtur, quæ partus hominum, miſeriæ, auſpicia ploratu; mortes verò, feliciſſimas illius clauſulas, planctu proſequebatur. Aſt eluctatus pauliſper primis illis, impotentiſſimæ ætatis, neceſſitatibus homo, ac ſolutus quaſi, cunarum atq́; faſciarum, vinculis, liberius vivere incipit, atq;, in lætiſſimam ſuorum ſpem, feliciter ſuccreſcens, omni roſa amœnius vernat, viget, floret: quis iterum omnes, grandium curarum laborumq;, enumeret RVBOS? Quot ei ætatis lubrico adjacent inſidiæ, quæ ſtimulis eandem acutiſſimis agentes, omni modô ac arte, corrumpere primum ejus conantur florem, ut ante, quam, perfecta maturitate, prodeſſe Roſæ hujus virtus poſſit, virulentiſſimis quaſi, nocivorum vermium, morſibus eroſus vigor, marceſcat ac emoriatur. Et ſolet quidem hiſce malis obviam ire, curioſa Parentum educatio, quâ omni Hortulano, ſtolones, atq́; germinum tenerrima corpora, curante, ſolertius id agunt, ut ſecura illorum ſuccreſcat proles: aſt hujus moleſtiſſimæ curæ, quid aliud, quàm acutiſſimæ iterum RVBI, quæ Parentũ animos, dum, ut debite iſta perficiatur, procurare ſatagunt, miris miſeriſq́; modis angun,t atq́; pungunt, videntur? Quis vigilatas ſæpe noctes, quis ſubtractas proprio corpori, ut melius proli ſit, impenſas, quis mille alias, hanc probè

curantium Parentum, molestias exponat? Quæ tamen omnes, immane quantum, augentur, si vanam spem, irrita studia videant Parentes, si eludat piam hanc solicitudinem, vitiosa degeneris prolis indoles, cujus impetu abrepta, in varia scelerum præcipitia, non gravissimos modo his dolores, sed ignominiam etiam parit longè turpiorem. Nullius RVBI tantus aculeus, nullius aculei tantus dolor, quantus optimorũ Parentum, è degenerantis sobolis, turpitudine. Sit tamen ea Parentum felicitas, ac, cœlesti gratiâ, sua adjuta cura, feliciter educet prolem, ut, superato illo, primæ juventutis, lubrico, statam virilis perfectionis attingat maturitatem; capiat uberrima, durius exactæ juventutis, præmia; honoribus publicis ornetur; indulgentissimæ fortunæ utatur bonis; divitijs cumulatissimis affluat; innumerô clientum cœtu stipata, ubiq; in publico incedat; domi tranquillissima, quæ quidem verè, omnis humanæ felicitatis, punctum constituit, conjugij felicitate fruatur: &, ut verbô rem absolvam, è proprio voto, & arbitrio fortunam fingat, ast nihil hic RVBORVM latere putas? O nimium erras, ita qui arbitraris, cùm hic demum amplissima spinarum occurrat messis. Quis enim eminentissimis honoribus, gravissima onera; blandissimæ fortunæ, certissimam ruinam; abundantissimis divitiis, pallentes curas atq; metus; devinctissimis clientelis, fucatam maximè perfidiam; desideratissimæ deniq;
con-

cõjugum tranquillitati, impeditiſſimas ſæpè adjacere turbas, ignorat? Et ſi horum nihil adſit omnium, ipſa rerum humanarum vanitas, quæ uno ſæpe momentô, ſplendidiſſimæ felicitati terminum figit, multa & variâ, pro ſtabiliendo rerum noſtrarum ſtatu, curâ animum lacerat: quod tamen nunquam ita benè exequimur, ut viciſſitudinis lege eximamur. Hâc ita, cum rebus, ſpes quoq; noſtras abjiciente, ac eripiente; tantò gravior, poſt erepta bona, incumbit dolor, quantò ſuavior, è poſſeſſis, miſcebatur voluptas. Adeò æterna conſtat veritas Böethianj illius:

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes:
Apiumq; par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, ac nimis tenaci,
Ferit icta corda morſu.

Scilicet RVBI hæ ſunt, hæ ſpinæ ſunt, quæ roſeam omnis vitæ ſepientes amœnitatem, ſæviſſimô aculeô homines lædunt. Inter has exigenda vita eſt, & exactæ, pravior imminet difficultas. Cum namque diu atq; multum, omne vivendi momentum, mortis obſederint inſidiæ: tandem, ſub decretorium, è cœleſtis arbitrij conſtitutione, terminum, omni impetu nos oppugnat, totq; aculeis pungit atq; mordet, ut, omni RVBORVM ſentiũq; aſperitate, gravi-

orem ſentiat, inter morbi mortisq; neceſſitatem, afflictiſſimus homo. Vel an putemus, quempiam eà ſive ingenii, ſive facundiæ eſſe promptitudine, ut omnes eos dolores, pleniſſimosq; extremi metus angores, qui moribundos nos exercent, dignè, non dicam, proferre, ſed animo ſaltem ſecum concipere queat. Et tamen exigua ea ſunt omnia, quæ ab acutiſſimis morbi doloribus; â ſuccumbentibus, deficientis paulatim corporis, viribus; â violentiſſima, ſanctiſſimæ illius copulæ, qua, carneæ compagi cœleſtis rector jungitur animus, ruptura, morituro imminent: Si ad alia iſta, quæ animam ipſam, huic enim & ipſi horrendas, atq; virulentas, adnatas RVBOS optimè noſtis, torquent & angunt, conferantur. Scilicet quodcunq; vitii impulſor animus cogitavit, quodcunq; indulgenti voluntas approbavit conſenſu, quod deniq; obſequioſo actu, exequi unquam viſum eſt, corpus univerſum: id omne, ultimas ſuas tum exſerens vires, acutiſſimis miſeros nos lancinat ſpiculis, ac, quam falſo ſchemate mentiri ſolebat, ſvavitatem, tantò aſperioribus punctionibus, compenſat, quanto mollius paulò ante blandiri ſolebat. Peccata, ac vitioſos corruptæ mentis actus, dici à me ipſi intelligitis, quorum utut ſpecioſa, cum ſpinis & carduis, oculo illudat amœnitas, graviſſimè tamen, cum iisdem lædunt. Atq; hinc audias graviſſimos illos queſtus, & miſerandos ploratus, quibus & ſanctiſſimi

quiq;,

quiq;, compunctionum harum dolores lamentantur, dum, non moribundi modo, sed vivi adhuc, & incolumes, earundem aculeis vexantur. Neque enim ullius ea felicitas est, ut, aliarum omnium, quas enarravim9, RVBORVM expers licet sit, & immunis, peccatorum evitare spinas queat: quin si, amœnissimo, amœnitatum rusticarum, scriptori Columellæ, vastissimarum spinarum RVBI dicũtur; hæ revera peccatorum rubi, tam amplissimâ spinarum vastitate diffunduntur, ut ubiq; aculei earundem promineant. Etsi, haud incuriosiori naturæ scrutatori, Plinio, ea RVBORVM quarundam vivacitas observatur, ut, nunquam decidentia folia, inter ἀείφυλλα numerentur: tam pertinaci vigore, execrandæ hæ peccatorum spinæ, sucerescunt, ut in nondum nato homine, germen suum, damnandâ fœcunditate, propagent, nec, nisi cum mortuo eodem, se patiantur eradicari. Hæ ergo sunt acutissimæ illæ RVBI, hæ virulentæ spinæ, quæ nostrum, ex æquo, omnium animas non minus, quam corpora, cum omni vitæ articulo, ac conditione; tum vel maximè, sub novissimum mortalitatis terminum, diris modis pungunt atq; mordent: quas cùm accuratius, pro incomparabili, quà pollebat, prudentia expenderet ROBERTINVS, quod omnibus videbat commune, proprium id sibi, non tam familiari nomine, quam continuato vitæ ordine monitus, INTER RVBOS agere, statuebat. E-

quidem nunquam adeò cœlestis benignitatis immemor vivebat, ut non devotissimâ pietate hanc prædicaret, quâ & nascendi, & vivendi ea sibi conditio contigisset, ut nulla felicior, vel nuncupatis votis, experi possset: quod si tamen omnem eam molestiam, quâ stipatam istam videbat, solertius cogitabat, communis difficultatis satis, & abundè, occurrebat. Ita dum isthîc ROSEA felicitas emicabat; hic RVBORVM spinarumq; adjacebat morsus. Vt clarius dictorum constet veritas, haud molestum erit, singula pressius prosequi. Atque hîc primò omnium, celebratissima Parentum virtus, se nobis sistit, quæ ita adhuc omnium oculis obversatur, animisq;, ut, solemni consecratione, immortalitatem obtinere videatur. Ecquis enim, qui Pater huic fuit, PLVRIMVM REVERENDI ATQVE CLARISSIMI VIRI, GERHARDI ROBERTI, honoratissimam memoriam, quam solidissima rerum divinarum cognitione, exactissimâ judicandi peritiâ, integerrimaq; vivendi sanctitate, adversus temporum injuriam, mortisq; ipsius tyrannidem, felicissimè confirmavit, piissima recordatione frequentius non usurpet? Optimæ vero matris, BENIGNAE PREISSIAE, tam præclara virtus fuit, ut, verè benignô cœlô nata, multis, publicam virtutis gloriam, præripuerit. Vel an parum videtur, ita omnibus virtutum probare puritatem, ut SERENISSIMIS

MIS etiam CAPITIBVS, gratissima suboriatur oblectatio? Et tamen eam felicitatem, matris ROBERTINIANAE fuisse, non tantum, cui CELSISSIMA BORVSSIAE PRINCEPS, eam destinaverat, subjectissimum servitium: sed &, quo prosecuta Illa hoc fuit, inoffensus, omni vitæ tempore, clementiæ affectus, clarissimè ostendit. His ergò natum ROBERTINVM nostrum, qui parum æstimat, ignarus omnis ejus felicitatis, quam bene natis, conspirans prudentum consensus, concedere solet, jure dicendus est. Neq; tamen adeò felix hic ortus putandus, ut RVBIS suis atque spinis caruisse credatur. Adfuit communis, avitæ contagionis, malignitas, &, quæcunq; hanc insequi solet, vitæ exigendæ calamitas. Sint sancti, sint pij, sobolis genitores; nunquam tamen ulla hujus laudis, ita in prolem derivatur, ut non fœdior vitiorum squalor, istam opprimat: quemadmodum, nec ulla ullius ea sanctitas atq; pietas, quæ non magna impietatis parte obscuretur. Norant has mortalitatis spinas, norant has RVBOS optimi Parentes: hinc ante, quàm adultiores nocere possent, in prima statim herba, suffocandas arbitrabantur. Atq; eo fine, non sanctissima modô, divini sanguinis, rigatione, perfundebant, ut, hoc quasi igneô imbre, quem, Olivæ Byzantniæ fœcunditatem, juvisse, amatoriorum haud obscurus scriptor refert, infelices illæ atq; damnandæ RVBI exurerentur; contra divinus

nus pietatis proventus promoveretur: ſed & curioſiſſimâ educationis culturâ, ne ſupullularet, prout pertinax lolij ſolet eſſe ubertas, alicubi noxij quicquam, ſolerter providebant. Ita, ſub patria cura, feliciſſimè ſuccreſcens, ubiq; magni ingenij oſtentabat certiſſima documenta, dum, per ætatem, ſufficere ipſe ſibi judicaretur. Hic ergo relictus ſibi, quo uno, virtutem ac eruditionem acquiri, pretio didicerat, promptiſſimo animo impendit, dum, patriis relictis ſedibus, varias peregrinationes ſuſcipit, ac, ne olim in propriis laboribus lateret,

Multorum mores hominum luſtravit & urbes,

ſingulis ita innotuit, ut non amorem modò omnium, ſed cultum præterea, atq; admirationem, plurimorum provocaret. Alibi proponere nos meminiſtis, cum, primum exeqviarum honorem, ſolveremus deſideratisſimo Viro, quàm ſagax Germaniæ, Belgij univerſi, Angliæ, Galliæ, Italiæ luſtrator fuerit: nunc, quo eventu ita egerit, oſtendendum eſſet, niſi & hoc notius, qvam ut docendi â me ſitis, vobis conſtaret. Ecquid enim excidere unquam vobis poteſt, admiranda ingenij ſublimitas; ſubactum judicij acumen; expeditisſima conſiliorum promptitudo; ſtupenda memoriæ benignitas, quibus omnibus ita excellebat, ut, cum pares paucos admodum, ſuperiorem haberet neminem? Auſim, & invidiâ ſuffragante, affirmare, neq; vos, ſi boni eſtis, negabitis, commune, cum Virorum Doctisſimo

mo quodam, Bibliothecæ vivæ, atq; circumambulantis, tenuiſſe nomen: adeo feliciter, quod anxia cura, in communibus promptuariorum digeſtis, alii quærũt, è refertisſimo, doctisſimæ mentis, penuario, ex tempore depromebat, qvodcunq; appetebat deſiderium amicorum. Et hinc ea porrò proficiſcebatur felicitas, quam non tantum inter ſuos (horum enim quid non debebat amor?) ſed & inter ſummos, univerſi literarij orbis antiſtites, ac maxima ſeculi noſtri nomina, experiebatur: quorum, cum ſemel ijs, communi Magni Gruteri Elogio, commendaretur, per diffuſisſimos omnium, qvæ diximus, regnorum tractus, & patrio, &, quibus hunc ætas negabat, fraterno, publicis id etiam teſtantibus ſcriptis, fovebatur affectu. Quæ omnia dum auditis, qvid rurſus aliud, qvam floridam, vernantium ROSARVM, felicitatem, concipitis? Et ſanè ſunt ea amœnisſima germina, è conſtanti, optimè exigendæ juventutis, ſolertia ſubnaſcentia, quam non minus, ac felicem agrorum ubertatem, indefeſſa colit cura, & plurimus labor: Sed jam, ipſis curæ, laborisq;, admoniti nominibus, RVBOS ac ſpinas cognoſcitis, quæ difficile, iſtud felicitatis incrementum, reddunt. Sive enim, quam Parentes obeunt, educandi cogites curam, annon ea, dicente Stoicô, difficile regimen, inſtituendæ Juventutis, præſtat, quod aucturus Philoſophus, plenum inſuper timoris atq; metus, dicit: ſive

verò, quas continuo, quindecim annorum, decursu, tantô studiô sustinuit, peregrinandi perspicias molestias, quis ea omnia, quæ à solo cœloq; peregrino, ignoto, incumbunt viatoribus, hoc præsertim tẽpore, qvo virtus ipsa, nisi cum re, vilior alga est, recensere qveat? Adeò ubiq; peregrinationis durum est iter, peregrinatio autem ipsa, plena solicitudinis, plena difficultatis. Et num alia causa videtur, qvæ, ut bonas cœloq; cognatas mentes, tantis, certissimis clementissimi affectus testibus, privilegijs ornaret, Pijssimus Imperator, impulerit, quam ut aliquo saltem, benignioris fortunæ, lenimento, gravissima illa miseria, quâ amore scientiæ, exules facti, de divitibus pauperes, semetipsas exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, & graves injurias, sine causa, sæpe perferunt, compensaretur. Hæ, inqvam, sunt R V B I, inter quas felix ea eruditionis, virtutisq;, quâ claruisse nostrum audivistis, enascitur R O S A! Quanquam quoties varias, sine successu, curas impendi videas, qvandocunqve laudatur quidem, cum pietate, reliqua virtus atq; doctrina, ast obstante, novercantis fortunæ, rigore, algere cogitur? Eam miseram plurimorum sortem dico, quos, quemadmodum hiantes, plenô jam calice, R O S A S, eminuliq; floris purpurâ, oculis lætum blandientes, importuna Boreæ austeritas; sic proxime eminentem, virtutum scientiæq;, maturitatem, inclementior fortunæ tempestas adu-

rit,

rit, atqve omnem, cum flore, fructuum ſpem evertit. Sed non eâ fortunâ damnarat ROBERTINUM, mitius fatum! Cœlo qvippe curæ, & patris pietas, & filij virtus erat, hinc digna utraq; præmia diſtribuens, amplisſimis honoribus, ornare noſtrum hunc conſtituerat. Qvemadmodum autem, vix conſtat, qvodcunq; ſubitum; cum duret contra maximè, qvodcunq;, continuato ſucceſſuum gradu, perficitur: ita diſponere ROBERTINIANOS honores, ſummo rerum arbitro, placebat, ut amplitudine ſemper creſcentes, ſupremo, inter ſui ordinis claſſem, tandem abſolverentur augmento. Ita noctis ſidus, â cornibus, ad mediam progreſſum magnitudinem, in perfecto orbis circulo ſubſiſtere, nec unqvam, ad ſolis amplitudinem, provehi vides. Nec aliam honorum ſeriem ROBERTINO obtigiſſe, aliunde itidem ſcitis. Cum namqve REVERENDISSIMI ET ILLUSTRISSIMI DOMINI, DN. ADAMI, COMITIS A SCHWARTZENBERG, &c. &c. ſecreta, ſolenni horum curæ præfectus, ſanctisſimâ fide geſſerat: â DIVO GEORGIO WILHELMO, in ſecundo honoris gradu conſtitutus, Nobilisſimi, qvod ſupremum Juſtitiæ ſacrarium Patria veneratur, DICASTERII; poſt verò, â SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO FRIDE-

RICO WILHELMO, MARCHIONE BRANDENBVRGENSI, S. R. I. ARCHICAMERARO, ET PRINCIPE ELECTORE &c. &c. &c. DOMINO AC NVTRITIO NOSTRO MVNIFICENTISSIMO, ad ſummum honoris apicem evectus, ac ſupremi, in Boruſſia, REGIMINIS, arcanis adhibitus, SECRETARIVS conſtituitur. Scilicet ſunt hæc illuſtriſſima, & opulentiſſima ea virtutis præmia, quibus ſuos ornat ſectatores, quæ quisquis parum æſtimare novit, virtutis ipſius haud percipere videtur ſublimitatem. Neq; verò aliundè, vel ſublimior, vel ſolidior, quem omnes tamen ambiunt, honorum ſperari gradus poteſt: cùm, quicquid alibi fulget, aut eminet, ſubitâ caligine obruatur, grandiq; opprimatur ruina, ſolâ contrà, quæ virtutis præmium, dignitate conſtante. Hæc verò dum audis, cave, RVBORVM immemor, purâ amœnitate florere, iſtud decus putes. Non jam prærupta ea, quæ eo propius, quo ſublimior omnis honor eſt, adjacent, præcipitia dico: è quibus quoties deſpiciunt, in illud magnitudinis ſuæ præceps, non modò exanimantur & trepidant, ad varios, eosq; lubricos, è ſublimi, caſus; ſed plorant etiam ſæpe, ac ingemiſcunt, &, quò majoribus ſe periculis obnoxios vident, eò inſtantius, ex illo faſtigio ſuo, ſi tuto liceat, deſcendere optant. Sed nolo, ut dixi, ea hoc loco adducere, adverſus quæ, ſat munit

nit bonas mentes prudentia, atq; virtus: Invidiæ ſaltem ſpicula, & intricatas maxime, graviſſimorum laborum, cogitate SPINAS, & facilè, quibus moleſtiis omnis, in alto conſtituta, fortuna ſepiatur, decernetis. Ita ſanè eſt, prout fortiſſimus ille pariter, ac eruditiſſimus Filii Principis informator, Manuel dicit, eò quemq; ab invidiæ telis, quò à gloria, eſſe remotiorem: nec incertius, facundiſſimi Symmachi, effatum; honorem in exordijs lætisſimum, mox graves, intra animum, laborum excitare æſtus. Vos teſtes hujus dicti ſiſto, quoscunq; divinum arbitrium, Principum gratia, & veſtra virtus, conſiliis publicis admovit: quoties, dum alii, dulci quiete ſopiti, ſecuri ſtertunt, vos, inter inſomnes noctes, curis vigiliisq; animum fatigatis, ſicq;, ingruentis auroræ, exſpectatis labores. Et exoritur ea vobis nova, ſed novis, citra numerum, moleſtijs, quas, ut aliis ſua conſtet tranquillitas, non promptè minus ſuſcipitis, quàm fortiter geritis: pro iis tamen omnibus, quid interdum gratiæ referatis, ſi quæramini, quam aliam dicetis, niſi quæ plerumque, in magnorum Principum familiis, regnare ſolet, invidiam? Adeò terram, feris, quod de Creta referunt, reperire liceat; Rempublicam invidia carentem, nunquam licebit. Adeò parvis juxta, ac magnis civitatibus, commune invidiæ malum, &, quam matrem quaſi, jungit eidem, prudentisſimus Annalium conditor, veri ignorantia, ſive contem-

prius. Quæ cùm ita sint, illud, opinor, quod sub initium dixi, liquidò constabit, vitam omnem, sive ROSEAE felicitatis amœnitate floreat, sive turbatioris fortunæ tempestate marcescat, RVBIS suis undiq; cinctam, quibus mordeatur, pungaturq;, dum novissimô mortis aculeô confossa, emoriatur omninò. Expertum ita & ROBERTINVM, nemo quidem, qui communi omnes lege obligari cogitaverit, mirabitur, ast eò gravius tamen omnes dolebunt, quò tristius ejus fatum videtur. Agit ita, cum genere nostro mors semper, ut vel aperto, cum eo, congrediens conflictu, post pugnæ interjectam moram; vel ex insidijs id impetens, subitò, & præter opinionem, tela eidem sua infigat: è quibus posterius hoc, tantò semper videtur magis miserandum, quantò duriùs nos premunt insperata. Atq; hinc, quin difficilis ROBERTINI mors nobis (ipsi enim, qui diu, parata, ad id certaminis, mente, difficilis neutiquam esse potuit) acciderit, ecquis dubitet? Reversus pridiè ex itinere, quod, boni publici causâ, susceperat, summo mane, supremum, supremi, in Patria, Regiminis, Senaculum adit, indeq; defunctus publicis curis, hortum suburbanum, cujus cultum, uti semper propria oblectatio, ita, hoc die, verni temporis opportunitas svadebat, ingreditur. Sed ô infelicem ingressum, quem tam tristis egressus insecutus! subitò enim violentissimâ, sinistri lateris, Paralysi, violentissimo

quasi

quasi mortis spiculô, correptus, sternitur,&,aliquot saltem horarum, intercedente spatiô, mortalium rebus,in iisq;,dulcissimis maximè amicis, qui salutaturi reducem fuissent, triste illud dicit, VALETE! Videtis acutissimam mortis RVBVM, inter florētissimam Viri ætatem, inter amœnissimum, cultissimi horti,vigorem,inter dulce spirantes, Genialis Veris, Zephyros, inter lætissimam omniū spem, enatam; eas, subito incremento, vires sumsisse, ut omnem prioris felicitatis florem, unô impetu,exstinxerit. Et annon hoc, INTER RVBOS, est vivere? Hæc, hæc erant, quæ incomparabili sagacitate, assiduè cogitabas, ROBERTINE DVLCISSIME; & ita cogitabas, ut, cum nihil, solidi ea gaudij, proferre tibi videres, neq; nocere possent. Hôc fine & domesticum eum, è nomine, monitorem tibi sistens, morsus & punctiones istorum evitare, quàm prudentissimè studebas: & si, prout nunquam ea, ex asse, felicitas, mortalitati contingit, imminerent jam horum aculei, mature de remedio, quod opponeres, providebas. Illud autem quodnam fuerit, non rogaturos vos puto, quod ante jam, MODESTIAM VICTRICEM dictam â nobis, adhuc cogitetis. Rem miram, neq; tamen absque admiratione magis, quàm veneratione, OPTIMI MAXIMI creatoris, dicendam, natura plurimis in locis exhibet, dum, vel ex ipsis malis, remedia oriuntur;

vel

vel proximè iisdem junguntur, atq; ita, dicente Elegantiæ Arbitro,

Vnde datum est vulnus, contigit inde salus.

Veniam dabitis, si temporis, patientiæq; vestræ, rationem habens, sepositis reliquis omnibus, unico saltem, quod istorum loco esse queat, rem hanc omnem confirmavero. Et opportunè, credò, Sardinia animo se subjicit, quæ cum lethali, virulentissimorum insectorum, Solifugarum, veneno infamis sit, peculiari Dei beneficio, fontem, præsentissimi, adversus istarum plagam, remedij habet concessum. Ita, quæso, BEATISSIMI ROBERTINI, concipite animum: Obsitus & ille familiaribus, omni mortalitati, RVBIS, morsus harum, evitare non poterat: Sed, quod opponeret istis, domesticum, intra eum ipsum animum, nascebatur remedium, MODESTIA VICTRIX. Non ornamentum, atq; ultimam, reliquarum virtutum omnium, perfectionem tantum; sed &, fortunæ omnis, felicissimum condimentum, quo, quicquid hæc in nos statuat, saluberrimè suscipiatur, & toleretur, MODESTIAM esse, in vulgus notum, & alibi, à nobis, dictum est: Nunc ergo illud tantum agendum est, ut, quàm proxima cognatione, RVBIS istis cognata sit, tam laudatissima virtus, constet. Et sanè, si, ad verum, res exigatur, haud falsus sim, si, ipsum MODESTIAE ortum,

ortum, RVBIS iſti, omninò adſcribam. RVBORVM flores quosdam, feliciſſimo remedio, oculorum lippitudini opponi, eorumq; juvare aciem, conſultiſſimus naturæ Plinius docet: Et annon, extremè perverſus, videatur, quisquis communem mortalitatem, INTER, variarum infirmitatum, RVBOS, tranſigi audiens, miſerrimam vivendi conditionem, penitus pervidere aut nolit, aut non poſſit? Imò neminem, eâ felicitate, gaudere diximus, ut non ſæpius iſtarum ſentiat aculeum, hincq; niſi ſenſus ipſius expers ſit, quâ parte laboret, cognoſcat. En vobis primam MODESTIAE radicem, quæ, cum defectus qemq; ſuos doceat, ſimul illud, quàm ſuperioris opis indigi, neutiquam nobis ſufficiamus ſoli, inculcat. Hæc dum accuratius cogitantur, uberiori mox incremento MODESTIA provecta, nihil eſſe, quod ſpiritus in nobis altos gignat, hinc ſpernendum omne iſtud, & hos ipſos, humili ſubmiſſione, deprimendos oſtendit. RVBOS iterum hîc vobis ſiſto, de quibus, quem paulò ante citari meminiſtis, quod gracilitate curvati, capita in terram defigant, affirmat; Eſt ea MODESTIAE indoles, quæ ſe vacuam & inanem, obſtante avitâ defectione, tanquam primâ miſeriæ ſemente, bonorum omnium probè ſciens; mox criſtis poſitis, humum reſpicit, ac originis ſuæ, non obliviſcitur. Et Deo proindè, in terram abjecta, humili ſupplicat precatu, ut ſuâ gratiâ, quicquid deſit ſibi, compenſetur; Et pi-

issimo affectu, quibus cum vivit, homines reverita, nemini se præfert, facilè omnes perfert, ac patitur, submittendo deniq; se, omnibus inferiorem censet. Atq; ita dum agit, summo augmento accrescit, atq; omni felicitatis provētu abundat; superbiâ interim, inter gravissimam adversitatum sortem, Deo pariter, ac hominibus invisâ, atq; exosâ. Quod enim de RVBIS porrò additur, eos defixis in terram capitibus, novo semper fœcunditatis argumento, subindè ex se ipsis renasci, idem MODESTIAE evenire deprehendas. Tanto quippe, & divinâ adjuta gratiâ, & hominum permota favore, lætiori indies vigore floret; quantò minus, de se, sperare poterat ipsa. Scilicet immota, divini oraculi, constat veritas, MODESTIS & humilibus animis, adeò junctissimam Dei esse gratiam, ut & hospitium suum, intra eos, fixerit: impugnante contra perpetuò, elatos ac fastuosos, ejusdem potentia. Inprimis tamen si RVBI, præter alios morbos, serpentibus adversari creduntur, est ea propria, ita comparatæ MODESTIAE, felicitas, ut nunquam stygii, ex orco serpentis, virus, & quicquid hinc, vitiosissimorum morborum, animo inducitur, admittat. Id autem ut possit cœlestis, quam perpetuò colit, gratia præstat: hujus enim auxilio freta, vix quicquā, quātum per hominē licet, quod vel illi9 provocet severiorē vindictā vel offēdere hominūbenevolentiā queat, admittit. Hæc, hæc ergò, quā inter RVBOS, imbecillitatis suæ, enatam, inoffenso ductu, sectatus ROBERTINVS, MODE

STIA VICTRIX est, cujus obsequens suggestibus, quantis peccatorum sordibus pollutus esset, exactissimè discebat. Hinc cùm, præter debitam, cœlestis justitiæ, vindictam, nihil sibi polliceri posset, nec, qua evitare istam posset, rationem, penes se, inveniret ullam, MODESTIAM, ejus mali VICTRICEM fore, confidebat. Et ô felix consilium! cujus divinissimos fructus, quis exprimat? Erat id tuum studium, ô BEATISSIMA ANIMA, quoties non modò, uberrimis fletibus DEO Tuo, culpas tuas deprecans, ejus justitiæ, Te submittebas; sed & bonitati ejusdem, tibi, universoq; generi nostro, tam clarè, tam variè demonstratæ, Te committens, quicquid delendis illis, prodesse poterat, impetrabas. Hæ piæ illæ lachrymæ, quæ, simulac, immensum illum, æterni Parentis, amorem cogitabas, contineri non poterant; sed, exundante alveo, largissimo imbre, genas humectabant. Eas nunc, importune Censor, qui Dei tibi partes sumens, corda quoq; hominum scrutari, & judicare audes, Eas, inquam, ac contra, tot oculatissimorum testium, consensum, devotissimam, optimi Viri, pietatem suggilla, eamq;, quod publicè non ostentaverit, animo quoq; eximere aude! Quoties Hypocrisis, cum supercilioso illo, tumidoq;, Evangelistæ, meritorum ebuccinatore, longas precum series, & aliam, affectatæ pietatis, ostentat speciem: fortius interim stupentis, & muti ferè, Publicani, clamantibus suspiriis. Est ea MO-

 DESTIA,

DESTIA, quæ una feliciſſima, cultûs divini, præceptrix videtur. Hâc ergò ducente, Deum adibat; hâc ſuggerente, adorabat; hâc commendante denique, gratiam impetrabat. Neq; aliter, inter homines ſupremorum pariter clementiam, ac reliquorum amorem, lucrabatur. Summos namq;, quibus ornabatur, honores, nil aliud, quàm perpetuos debiti, quo illis, ad obſequium; his ad officium, obſtringeretur, monitores ſtatuebat. Imò perpetua ea animum ſolicitudo, ita gerendi illos, urgebat, ut utriq;, quod deberet, ſolveretur. O verè ſapientem & cordatum, quiſquis ita, honores ſuos, examinat, ut non magis ipſos, quam, quæ adjacent iis, onera cogitet! Sic quantum alii, ſuperbiâ præcipitante, deprimuntur, tantum ſublimabit eum, MODESTIA VICTRIX. Aut extremè fallor, aut primam modeſtiæ matrem eſſe, noſſe quantum alteri debeas, aſſeretis omnes: quemadmodum nil ita promovet ſuperbiæ arrogantiam, quàm, ſi omnia tibi tribuens, nemini obſtrictum te jactes. Teſtatur id omnium dierum experientia, qui omnium, niſi deſperatæ ſint pertinaciæ, debitorum, eò humiliores proponunt mentes, atq; voces, quò grandiori debito, creditoribus obligantur. Ac ſi ad emolliendum horum rigorem, feliciſſimum id medium eſt, debita agnoſcere, & promptiſſimam ſolvendi voluntatem, ut vires deſint, modeſtè demonſtrare: non rei pecuniariæ tantùm, ſed aliorum omnium, eadem ratio videtur.

Omnes

Omnes, variis officiorum debitis, mutuò obſtringimur, quæ tamen ſi exſolvere, ex aſſe, non licet, voluntatem ſaltem ejus rei, non deeſſe demonſtremus. Ita egit Beatus hic noſter, hinc, quantum poterat, fidem ubiq; firmare ſtudebat; ſi verò, negotiorum mole victus, aut temporum iniquitate, prout homines ſumus, deficiebat quandoq; : id primò omnium, quam multa ſibi deeſſent, animo repetebat; tum modeſtâ excuſatione, defectuum impetrabat veniam, animumq;, in ordine, continere pergebat. Neq; hæc dum dico, vel tantillum ejus laudis, quam, paulò antè, perfectiſſimæ Viri virtuti, tribui, adimo; ſed communem illam, generis noſtri, ſortem, quâ nemo adeò conſummata eſt virtute, ut non ſæpe, in magnis voluiſſe ſat eſſe, confiteatur, mentibus veſtris propono. Hoc quisquis exactè cogitaverit procul a ſuperbiâ, MODESTIAE ſtudebit; quoties tanta, & tam multa, perfectioni ſuæ, cognoverit deeſſe. Quantum enim animi, ex re quapiam præclarè geſta, acceſſerit, tantum detrahi, eâ imperfectionis, quæ alia gerenda impedit, meditatione, eidem videbis. Hæc ROBERTINO mens erat; hinc nihil, & difficultati ſuperandæ, & moderandæ felicitati, convenientius videbatur, quam MODESTIA VICTRIX. Et meritò quidem: id enim agit MODESTIA, ut, ſi rectè quid egeris, non tuis id viribus, ſed ſublimiori DEI gratiæ, acceptum referas; ſi erratum verò fuerit, non voluntatis, ſed virium defectu, id eveniſſe, demon-

demonſtret. Atq; hæc ea VICTORIA, quâ, ROBERTINVS meus, & vindicem DEI iram, & , quibus hæc incenditur, peccatorum impedimenta, & vivendi difficultates, & difficilimarum curarum moles, cum inter nos ageret; cum verò ſubtrahere eum nobis, ac propius cœlo jungere, vellet DEI bonitas, mortem quoq; ipſam, feliciter vicit, atq; ſuperavit. Neq; enim, quam audiviſtis, gravis ei, imminebat moriendi neceſſitas, cujus animus diu religioſa hac MODESTIA inſtructus, probè nôrat, quam nihil ſibi, quod noviſſimi hujus hoſtis, inſultui opponeret, adeſſet: hinc omninò deſperans, de ſuo robore, à Chriſti DEI bonitate, & omnipotentia, quod hic ſatis eſſet, auxilium ſtatuebat petendum eſſe. Atq; hinc, quod in ſe, per MODESTIAM, non inveniebat; à Deo, per fiduciam, obtinebat. Vel an aliunde divinæ illæ voces, quas, in morte jam, natantibus quaſi oculis, tam conſtanter, flaccescens paulatim, proferebat lingua, *Chriſtum ſibi adeſſe, plenum Hoc pectus eſſe, nec proindè timere, mortis impotentem tyrannidem.* Et porrò: *Gratiis ſolemnibus DEO actis, id inprimis prædicabat munus, quò à teneris jam, abſq; Chriſto, felicem ſe eſſe non poſſe, didicerit: hinc eo, quantum divinâ adjutus gratiâ potuiſſet, ſtudio ſemper occupatum fuiſſe, ut animo tam divinum hoſpitem conciperet, gereret, teneret: nec proinde jam infelicem ſe, præſente eôdem, eſſe poſſe, cum contra, abſq; eo, quàm miſerrimus futurus eſſet, probè videret.* Hîc jam, quisquis es, quid mortis impetus in mu-

in munitum, tam divina virtute, pectus possit, edicas: quæ tamen, cùm non aliundè, quàm ab humili MODESTIA, & agnitione defectuum humanorũ, felicius proveniat, quid poterat dignius, BEATISSIMI VIRI, obversari animo, quàm MODESTIA VICTRIX? Imò dignum Deo, dignum Principe, dignum Te, dignum deniq; bonorum omnium imitatione, animo semper suggessit MODESTIA VICTRIX. Hinc & digna se præmia, Deo diribitore, inter beatos jam capessit. Postquam enim è rigidissimis, vitæ mortisq; RVBIS, in perennantia cœli roseta es translatus, non evanidorum illorum atq; fugacium, qualibus, intra fatalem, horti tui, amœnitatem, educandis, tam feliciter occupari solebas; sed immortalium florum honore coronaris: ac iis rosis quas sanctissima, divini sanguinis, purpura tinxit, caput redimitus, cœlesti, VICTRICIS, quia piæ, MODESTIAE, triumpho gaudes. Cujus uti unius rei memoria, jacturæ pariter, atq; doloris, levat difficultatem: ita, quô lenior indies ejus sensus reddatur, præsentem te nobis, dulcis semper, & nominis, & ingenii tui recordatio, exhibebit. Atq; eô fine, sacram hanc, & nobis, & omnibus visendam, legendamq; semper tabulam, publicè suspendo.

NOSCE

NOSCE. TE. IPSVM.

VIRTVTI. ET. HONORI.

ROBERTI. ROBERTINI.

GERHARDI. ROBERTI. ÆDIS.

LOEBENICENSIS. PASTORIS.

ET.

BENIGNAE. PREISSIAE. F.

QVI. POST.

VTRAMQ. GERMANIAM. ANGLIAM. GALLIAM. ITALIAM.

INEXPLEBILI. SCIENDI. CVPIDITATE.

PERLVSTRATAM.

OB. INCOMPARABILEM, IN. OMNI. DISCIPLINARVM. GENERE,

ERVDITIONEM.

ET. INTER. EXTEROS. PRIMIS. REI. LITERARIAE. ANTISTITIBVS. ADMIRATIONI. FVIT

ET. IN. PATRIA. SECRETISSIMIS. PROVINCIÆ. CONSILIIS. ADHIBITVS.

INOFFENSA. SEMPER. SANCTITATE.

FIDEM. PRINCIPI.

OBSEQVIVM. SVPERIORIBVS.

AMOREM. AMICIS.

AVXILIVM. EGENTIBVS.

CERTANTE. CVM. PRVDENTIA. PIETATE.

EST. TESTATVS.

NON. ME-

NON. MEMORIAE. QVAM. IMMORTALEM.
SIBI. COMPARAVIT.
SED. CORPORIS. MORTALIS. QVO. RECONDITVM.
SIT. ERGO.
VBERIBVS. CVM. LACRVMIS.
DVM. CONJVGIS. OPTIME. ET. BENE. MERENTISSIMI.
OSSIBVS.
SVA. IN. EODEM. CONDITORIO. MISCEAT.
MONVMENTVM. HOC. POSVIT.
VRSVLA. VOGTIAS.
IPSE. VERO. CVM. TE. QVISQVIS. HAEC. LEGIS. NOSCERE. IN.
TENEBRIS. NEQVEAT.
ALIENA. VOCE.
CVJVS. REI. CVRIOSISSIMVS. SEMPER. FVIT.
TE. IPSVM. VT. NOSCAS. ROGAT.
AC. ITA. BENE. AGERE. JVBET.
NATVS. CERTISSIMO. PATRIAE. AC. REI. LITERARIAE.
BONO.
cIↄ. Iↄc. V. NON. MARTII.
DENATVS. VIX. RECVPERABILI. VTRIVSQVE.
JACTVRA.
cIↄ. Iↄc. XLVIII. VII. IDVS.
APRILIS.

ORATIO
AETERNAE MEMORIAE,
ET
MERITISSIMO HONORI
PLVRIMVM REVERENDI, EXCELLENTISSIMI CLARISSIMI
DN. JOHANNIS BEHMII,
SS. THEOL. D. ET P.P. EMERITI,
ECCLESIAE, IN BORVSSIA, AVLICAE,
PASTORIS VIGILANTISSIMI, CONSISTORIIQVE SAMBIENSIS FIDELISSIMI,
COLLEGAE AC AMICI MEI
DESIDERATISSIMI,
DICATA.

Sed quam gravissimus æquè, ac pertinax, præter opinionem, Autoris morbus, haberi prohibuit.


I quanto incremento, communem felicitatis publicæ vigorem, juvat atq; promovet, spectatissima Optimorum Virorum virtus, tanto squalore obruitur ille, quoties fatorum inclementiâ horum jacturam patitur: facile non minorem, ex acerbissimis funeribus luctum, quàm oblectationē, è felici, tanti boni, possessione, bonis mentibus suboriri, omnes arbitrabuntur,

buntur,Etenim cũ omnis affectus privati nõ alia certior,quam quò unicè nititur ille,ſtatus publici,ratio detur; ſic autem ita vel felicitate gaudium, vel difficultate curas auget & dolorem, prout eorum, quorum conſiliis ſuſtinetur,vel floret,vel marcet virtus: haud aliena, ab ipſo rerum ſenſu, dixiſſe mihi ſum viſus. Voluiſſet modo ſupremus omnium Rerumpubl: conditor atq; aſſertor, liceret ea dictis potius, atq; tacita mentis meditatione, quam funeſtâ etiam publicæ cladis experientiâ, videre confirmata: non is, qui paſſim, inter triſtiſſima deſideria, atq; graves queſtus,auditur, nos exerceret luctus. Vel,an ſine luctu privato, admitti ea res poſſit, quæ & ſupremum communis patriæ ſenaculum paulo ante, & ſanctisſimas DEI nunc ædes, juſtiſſimo dolore, perfudit? Menſis nondũ exactus integer eſt, cum fidiſſimum SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI Patriæque pectus; inſtructiſſimum ſaluberrimorum conſiliorũ promptuarium; incomparabile eruditionis prudentiæq; gazophylacium;elegantiſſimum ordinis ſui ornamentum, CONSVLTISSIMVM VIRVM, ROBERTVM ROBERTINVM, Supremorum Regiminis patrij conſiliorum SECRETARIVM DIGNISSIMVM, tam acerbâ, quam inopinâ & ſubita morte exemptum mortalium rebus, conditorio ſuo, (quo luctu, quo dolore, comite, alia opera declaravit) intulimus. Nunc,cum funere cumulatum funus, novo vulnere ſauciam patriam af-

fligit, quis dolori modus exiſtat? Parum erat Tibi, Sanctiſſime Vindex, prudentum conſiliis orbare patriam, cana atq; ſpectatiſſima pietas ſubtrahenda etiam erat. Hinc dum ſubactiſſimam ROBERTINI ſui prudentiam, triſtiſſima deſiderat curia provincialis; Eccleſia EMERITI, quia optime MERITI, ac canorum non minus, quam candoris nive VENERANDI SENIORIS JOHANNIS BEHMIJ, SS. TH. D. ET P.P. per univerſum Chriſtianorum orbem CELEBERRIMI, ECCLESIAE in AVLA PATRIA AVGVSTANAE PASTORIS VIGILANTISSIMI, CONSISTORIIQVE SAMBIENSIS ASSESSORIS FIDELISSIMI ſanctiſſimam amittit pietatem. Sic geminatis mortibus, gemini ſtatus turbans felicitatem, æternum cæleſtis providentiæ arbitrium, annon juſtiſſimam lugendi cauſam indicit? Sentiunt decantatiſſimæ Solis atq; Lunæ arbores, ſui in cœlo ſideris defectum, & ita, prout rerum harum Autoribus placet, ut uberrimis etiam lachrymis illum proſequantur, ſentiunt: nos verò ita ſenſus omnis ſimus expertes, ut qui lucidisſimorum ſiderum inſtar, illuſtriſſima pietatis atq; prudentiæ claritate, incrementa hucusq; patriæ promoverunt felicitatis, eorum triſtiſſimum non percipiamus occaſum? Abſit ea â nobis & impietas & imprudentia! Quin, uti haut ita pridem CLARISSIMO è Curia, VIRO affectum noſtrum, prout potuimus, ſumus teſtati; ita SANCTISSIMO MERI-

TISS-

TISSIMOQVE, de Ecclesia Patriæ, SENI, novissimum pietatis officium exsolvere conamur. Et quandoquidē semel, Cælestium siderum facta fuit mentio, quidni ulterius, purissimo eorundem jubare nos oblectantes, quam clarissima terris nostris, lux fuerit BEHMIVS, porrò expendamus? Sanè nec alienum ab iis, quæ sub primum exequiarum honorem, MAGNI VIRI memoriæ consecravimus, neq; ab eo, quod æterno suo cum honore, tam laudatissime gessit, sanctissimo munere, ita si agamus, acturi videmur: Cum eidem sanctissimo testi, quem OLEAS DEO hos sacros viros, Divinorumq; Mysteriorum dispensatores, dicere isthic audivimus, FACES quoque eosdem vocari, intra absconditorum, ultimi seli, Mysteriorum librum, cognoscamus. Equidem, qui curiosius, profanæ Historiæ excutiunt annales, inter alia, notant, non defuisse, quibus lychnorum fuerint addita cognomenta: Sed jure quodam familiari, sanctis sacrorum antistitibus, id tituli convenire, sacra pagina; & ex illis, BEATO HVIC NOSTRO, meritissimè deberi, ita res omnis confirmat, ut quæcunq; de facibus & luce seorsim admiranda, proposuit hominum solertia, ea junctim omnia in Hoc ipso effulsisse, sitis deprehensuri. Ac initio quidem, si, non absq; insolito naturæ miraculo, faces eas, quarum flammas excitet, decantatissimus Epiri fons, cognovimus, non aliud Divinæ hujus lucis, qua resplenduit postmodum semper BEHMIVS

NOSTER principium, quam Cœleſtem Baptiſmatis ſtatuite fontem. Hôc namq; ſimul ac abluendus tradebatur, illapſus menti æternus DEI ignis, ita eum omnem illuſtravit, ut, quodcunq; pietatis, ſanctitatis, ac reliquarum clariſſimarum virtutum occurreret, lucidiſſimo mox, intra eundem, refulgeret ſplendore. Conſtat alias, unicum hoc, divinitùs conſtitutum, ſalutis medium eſſe, absq; quo uti felicitatis, & quæ hujus mater eſt, bonitatis nulla ſpes; ſic, conferente eodem, quicquid boni agimus, quicquid ſalutare nobis evenit, obtinetur. Dum namq; ſacratiſſimo hoc tingimur liquore, eam ejus vim experimur, ut ſubito omnis peccati extinguatur feruor, contra, Divini amoris ſanctiſſima incendatur flammula, quæ pectora, pulſa nativi erroris vitiiq; caligine, puriſſima luce perfundens, quid agendum omni ſit vita, clariſſimè oſtendit. Neq; aliter eveniſſe BEATISSIMO HVIC NOSTRO omnes norunt, quibus ignotus ipſe non fuit. Vel an aliunde omnem eam vim, qua, Cœleſtibus operans, ac Divino honori, claruit, aliunde ortam putemus? Jejune inſipiens ſit, qui Divina, absq; Deo, tractari poſſe arbitretur: neq; tamē plus ſapiat, qui Dei nos, absq; admirāda, Divini illius fontis, virtute, compotes reddi credat. Eſt hoc primum Dei in hominum animos vehiculum, quem ubi conceperunt hi, magis magisq; Divinis Myſteriis, Divinaq; virtute illuſtrantur. Tanta quippe Dei bonitas eſt, ut niſi humana expel-

latur

latur protervia, quam ſemel ingreſſus, animæ ſedem nunquam deſerat, ſed æterna honoret occupatione. Atq; hic, quis omnem eam ſanctiſſimam, puriſſimæ ſerenitatis illius, claritatem deſcribat, qua tanti hoſpitis receptaculum eſt illuſtre? Lux ſanè Deus eſt, & qui nō omnem lucis Divinæ partem præſentem habeat, qui tam arctiſſima Dei præſentiâ gaudet? Et tamen, cum pij omnes, id experiantur, multo clarius iis affulget, qui, ſpretis quaſi rejiculis, aliis omnibus, id unum omni ſolertia ſtudioq; curant, ut Divinorum Oraculorum percipiendæ menti, ac profeſſioni eorundem publicè inſtituendæ, præparentur. Eos dico, qui totos ſe Divino Theologiæ ſtudio, ut arctius cum Deo verſentur, colloquantur, interpretes immenſæ mentis exiſtant, mancipant; Hi enim dum ſemper & ubiq;, in apertiſſima rerum Divinarum luce, agunt, & ipſi illuſtriſſime effulgent, & alios clariſſima illuſtritate perfundunt. Lucernam piſcem, lingua ignea exerta relucere, nautisq; viæ ducem ſe offerre, conſultiſſimus naturæ Plinius refert: Et annon idem agunt Deo ſacri, quos diximus, viri, dum doctrinæ virtutisq; cœleſtis lumine ipſi illuſtres, agitatam, inter mille, inſanientium fluctuum, ac truculentiſſimorum piratarum pericula, Eccleſiæ naviculam, tam feliciter ducunt, regunt, afferunt, ut adverſus iſtorum furorem, horumq; inſidias, ſalva perſtet atq; illæſa? Cujus quidem rei cur tandem aliud proferamus fundamentum, quam

quod

quod propediem, solenni veneratione recolet, omnis piorum cœtus, cum admirandum, æterni Spiritus, sub ignearum linguarum specie, primos Jesu Christi testes, magnosq; per orbis universi tractum, legatos initiantis, contemplabitur adventum. Hæc, hæc cælestis illa Fax, quæ adhuc sanctorum virorum incendens mentes, & clarissima luce illuminat, & vivacissimo animat calore. Et istorum omnium memoria, ne unquam Orientalis Ecclesiæ Patriarchis excideret, λαμπαδάριον iis quendam jungebant, qui sub publicos, Liturgiarum processionumq;, ritus, facem, Clarissimo Meursio testante, præferret, atq; ita, quâ doctrinæ vitæq; luce resplendere deberent, admoneret. Qua quidem face, quid tandem aliud sapientissimi Viri, quam cœlestem illam lucem, commendare Religiosis voluerunt, cujus ductum uti sequuntur ipsi, ita felicissimi, ad cœlestis lucis claritatem, duces, aliis, quibus sunt præfecti, existunt. Sed omnibus credo ista constare, illud verò expectari, ut quam salutariter, ab hoc nostro, isthæc præstita sint omnia, explicetur. Hic ergò postquam Divino evocatus consilio, cœlesti docendi homines muneri esset adhibitus, ac ad Cathedram Ecclesiasticam non minus, quam Academicam evectus, sic utramq; illustravit, ut quam prius, solerti omnis vitæ studio, intra animum conceperat, cœlestis lucis flammam, ejus radio clarissime omnia relucerent. Ita namq; quotquot ad audiendum
eum,

eum, ſivè quibus artibus aſſerenda, adverſus contradicentium ſtrophas, Cæleſtis veritatis puritas, Academicis explicaret; ſivè quo pietatis ſtudio, Divinæ ſanctitati conformanda eſſet vita, ſicq; cœlum ipſum occupandum, concioni Eccleſiaſticæ oſtenderet, acceſſerant, experiebantur, ut omni inſcitiæ vitiorumq; pulſa caligine, clariſſimo lumine inclareſcerent. Scilicet Phari inſtar Cathedra erat, quam Divina mentis facula illuminans, quicquid afflictiſſimæ Chriſti naviculæ, inter tot Syrtium voragines, imminebat periculorum, & clariſſimè indicabat, &, qua ratione evitari poſſet, certiſſimè docebat. Neq; enim unquam ea temporum felicitas eſt, ut ſolida ac pura ſecuritate feratur iſta, ſed innumeris undiquaq; naufragiorum obſepta metibus, ſemper, quo angatur, habet. Ita dum tempeſtatum procellarumq; deſæviit violentia, infames ſcopuli minantur interitum: & hos feliciter præter vecta, ne vadorum verticumq; omnino ſorbeatur gurgite, inſtat metus: quem tamen modis omnibus auget belluina monſtrorum feritas, ac nunquam ſatiandus piratarum furor. His verò omnibus, quod felicius Cœleſti illa, qua illuſtrem Deo, ſacri viri mentem gerunt, face opponas? Noverat id probe BEHMIVS hic noſter, nec proinde ſanctius quicquam curabat, niſi, ut quam Divina, Cœleſtis doctrinæ, facula illuſtratam gerebat, mentem omnium uſibus, dum incenſi eadem & ipſi toti arderent, aliisq; ſimilē navi-

gationis securitatem, ostenderent, impenderet. Factum hinc vidisses, ut omnes undiq; huc confluerent, qui eo studio ducti, vel jam admovissent clavo, in hac Ecclesiæ nave, regendo manum; vel felicius id suo tempore, è Divino arbitrio, facturi, ei operæ curas suas destinassent. Scilicet non immatura tantùm juventus, quæ in officinis ejus artis ætatem terens, præludiis Academicis exercebatur, sed & gravior plurimorum senectus, quos, docendis aliis, præfecerat jam cœlestis ordinatio, ut discerent, docentem hunc, avidissime audiebat. Ita commune quasi omnium perfugium, dum hos tortuosis dubiorum casuum consiliorumq; impeditorum, sinibus protractos, in planum ac tranquillum æquor reducebat; illorum animos eâ luce perfundebat, ut feliciter, pericula ea, prætervecti, placido ac tranquillo cursu, magis magisq; proveherentur. Doctissima, ac Cœlestis sapientiæ luce, undiquaq; radiantia ejus adi scripta, quisquis de eo dubitas, ac quis eorum fulgor, mentis aciem sit perstricturus, experire. Tanta, in explicando perspicuitas, in distinguendo subtilitas, in disputando dexteritas, in confutando soliditas, in dicendo deniq; vehementia & sublimitas, ut nec sublimius, vehementiusq; dicere, solidius confutare, dexterius disputare, subtilius distinguere, perspicuè magis explicare, ullus alius possit. Etannon istis qui polleat, omne cœlestis doctrinæ punctum tulisse, ipsi Dei Apostolo dicitur, qui Doctoris

Eccle-

Ecclesiastici, hinc inde explicans munus, non aliis, quam quos proposuimus, terminis definit? Quam feliciter autem præstiterit ea omnia, VIR BEATISSIMVS, non tantum condensa illa, quæ docentem stipabat, testabatur corona; sed & tristissimum partim illud & anxium, quo requirit defunctum Patria, desiderium, partim flagrantissimus ille ardor, quo, quæ ab interitu vindicata superant, scripta publica, ut aliquod gravissimæ jacturæ leminentum habeant, conquirũt, obtentaq; evoluunt. Nõ importunè opinor, occurrere mihi, hoc loco lychnulũ, ad quem Epicteti olim, desudare consueverat, sapientia, ejus æstimationis, ut trecentis eum, non nemo emens denariis, Epicteti similem, ab ejus usu, eruditionem sibi promitteret. Vano equidem id successu, susceptum res ipsa loquitur, quem tamen felicius subsecuturum iis spondemus, qui illuminandis mentibus, eos Lychnulos, quos Divina NOSTRI HVIVS sapientia incensos, omni orbi communicavit, comparaverint sibi. His enim dum rectè ac solerter fuerint usi, id luminis menti exoriturum videbunt, quod subito omnem cœlestis veritatis, omni sole clarius, claritatem pandet. Ea namq; æterni Numinis bonitas est, ut cum mortalitati, docti juxta ac indocti, obnoxij vivant, nec proinde, quorum viventium sapientissimis monitis, saluberrime juvabamur, æternum uti liceat, alio modo perpetuo nobis prodesse ea jusserit, dum, quæ Divini Spiritus

instinctu, animis conceperunt, adversus temporum omnium, mortisq; ipsius, injuriam, æneo charactere describere homines docuit. Cujus quidem Divinæ artis eminentia, uti diu jam, publicis encomiis, certatim est nobilitata, unde nec actum, hoc loco, agere, nec aliis impendendam hanc operam, alienis occupare, consultum nobis videtur: ita majori longè venerationis cultu, tam pia, tam salutaris, supremi Autoris D. O. M. qua succurrere inscitiæ generis nostri clementissime voluit, sapientia est honoranda. Typographorum hic commemorari operas, ultro videtis, quarum beneficio, cum aliàs in auras emissa, vox, ipsa aura levius, citiusq; evanescat, immortalia ac æterna, Divinarum pariter atq; humanarum rerum, præcepta obtinemus; quarum subsidio mortalitatem supergressi mortales, immortali, post fata, cõsortio nobis cõvivunt, alloquio recreant, consilio instruunt, ac docent. Et hoc illud est, quod nõ modo, antiquissimi Oraculi, involucrum, ad mortuos, ut beati simus, nos ablegat, sed & recentius, non optimi minus, quam sapientissimi Regis effatum, optimos consiliarios, mortuos arbitratur. Iis verò quin meritissimo jure annumeraverimus, BEHMIANA scripta, nemo facile dubitaverit, nisi crassissimis ignorantiæ obrutus quis tenebris, quid ad Solis meridiani illustrissimos ubiq; fiat radios, pervidere neutiquam possit. Sed ne nos etiam in publicæ lucis rebus, ita versemur, ut claritatem mutuasse iisdem

argua-

arguamur, ne verbulum dictis addemus, sed cum quam felix, vera docendo, fuerit, satis ex his constet, nunc quam potens, adversa veris confellendo, extiterit ostendimus. Non leve viatoribus, a desultoria, ignium fatuorum, fraude, qua, duces se præstantes, extremæ sæpè perniciei sequentes sistunt, imminet periculum, quod tamen prudentior industria, facile evitans, regio rectoq; tramite procedit. Et quis omnes eas eorũ enarret imposturas, quas ex uliginosis, depravatarum mentium, emicantes sordibus, ita falso illustrare splendore, solet aberrantium, â cœlesti veritate, cohors, ut puram mentientes lucem, quam facilime, nisi istud cœlo oriundum jubar, detegendis evitandisq; iis strophis, affulgeat, incautos fallant ac seducant. Erat, ut felicius id præstaretur, cœlo patriæ donatus, MAGNVS BEHMIVS, qui ea doctrinæ soliditate, ea magnanima præsentiâ, instructum animum gerebat, ut nec ferret puris ac sanis Dei contradicentem Oraculis, cum quo non congrederetur; nec cum ullo congrederetur, quem nõ turpi rubore suffusum, æterno silentio, victoriam cedere juberet. Ranarum coaxantium strepitum, non facilius, quàm lampade lacui, quem colunt, admotâ, cujus percussæ fulgore conticescant, compesci ajunt. Ranarum instar errones dictos esse, resecandorum adhuc mysteriorum, in sacro codice, liber affirmat, qui citra rationem, citra pudorem, imo citra sensum ferè, meras verborum inanias jactant,

atq;, dum vano coaxationum ſtridore publicè privatimq; moleſti ſunt, multo fuco, ineptias ſuas incruſtant. Aſt propius, clamoribus iſtis, Divini verbi admoveas facem, & quam ſubitò, territi ejus ſplendore, ipſis piſcibus mutiores futuri ſint, videbis. Quemadmodum enim malè affectus oculus, ægrè aut omnino non admittit ſolis radium; ita vitiatæ mentes, nunquam ſuſtinent, Divinæ lucis puritatē. Quod quia exactiſſime norunt, Deo docti viri, nullū aliud medium, felicius horū vanitati opponūt, ſicq; & hanc, ne noceat retundunt, & ſecuritatē ſuis aſſerunt illæſam. Atq; ita dum agunt, nec laborum magnitudine, nec periculorum immanitate, ab hoc inſtituto ſuo dimoventur. Certè nunquam dimotum hunc noſtrum, omnis ejus, inter labores & pericula, exacta probat vita. Vel an ignoti ſunt, continuati, dierum noctiumq; vigilatarum, labores, quibus, tantæ rei ſucceſſum promovere, aſſiduè ſtudebat? Ignotæne ſunt, graviſſimæ illæ, variorum itinerum, moleſtiæ, quas, per omnes patriæ diſtrictus, ut omnium felicitatem obſervaret Eccleſiaſticam, & ne quid iſthanc turbaret, proſpiceret, promptus ac lubens ſubibat? Ita dum ubiq; vigilis prudentiæ radium diffundebat, nullibi obrepere per inſidias, adverſantium valebat dolus. Sed nec ignotiora ſunt præſentiſſima ea pericula, quibus ita expoſitam vitam, haud raro vidit, ut ſi, abſq; Deo fuiſſet, evadere ea nunquam potuiſſet. Familiarior quidem eò, omni pietati, afflictio eſſe ſolet, quo animoſius inferni,
mun-

mundiq; regnum impugnans, cœlestis exercitus castra sectatur, ac summo summi Imperatoris imperio promptius obsecuta, innocentiæ studet atq; sanctitati; ast graviora tamen, ab incursionibus istis, pericula, publicis sacrorum Antistitibus imminere, dies omnis docet. Neq; id vel à ratione, vel status, quem tuentur, ipsius conditione alienum videtur. Quod si namq;, hostium & insidiæ, & vires eorum maximè virtutem insequuntur, qui ductu suo rem gerentes, exemplo militem animantes, gravissimas clades inferre possunt, quod sublatis illis, de facilitate victoriæ, multa sibi promittant: eadem versutissimi, ex inferis, Strategi est calliditas, qua, cum animosos eos non magis, quam felices horum, in prima acie constitutorum, Dei militum, impetus, plurimum adeò nocere sibi sentit, ut nisi summotis iis, de victoria vix cogitare ausit, omnem hosticę crudelitatis vim, in eos convertens, ipsorum clade & interitu, vulgati gregis militē, vel in defectionem, vel interitum, agere præsumit. Nec quies ulla, dum quicquid technarum habet, subacta exercitatissimi latronis versutia, contra hos educens, hinc ferocissimis calumniarū spiculis, impetit, inde per cuniculorum insidias, captat, & si neutrà ea successerit, virulentum consilium, aperta crudelitate, vim inferre vitæ eorum audet. Testis hujus fortis certissimus unicus nobis esto BEHMIUS, qui omnem eam nefarij hostis sævitiam inprimis est expertus,

tus, dum, horrendis sycophantarum maledictis ei odio superiorum exponebatur, ut dubia jam vitæ ipsius securitate uteretur. Nolumus, quod ingrata odiosorum memoria sit, ista refricare, sed istud potius admirabimur, quam & præsentissimo præsidio, adversus omnia ista, BEHMIVM suum texerit cœlestis bonitas, & ab ipsis, periculorum circumsistentium, terroribus vires atq; animum sumpserit, hic noster. Adeò non prisci tantum seculi vates, ab omni persecutorum truculentia, immunes vindicavit Dei patrocinium, sed eadem adhuc omnibus, quotquot intemerata fide partes ipsius sectantur, præstat securitatem. Et qui fieret aliter? Quod si namq; ita Sacrosancta, inter barbaras etiam incultissimasq; gentes, Legatorum jura esse constat, ut si violare istos, male feriatorum quorundam, ausa fuerit temeritas, certissima internecione nefas luat: quam solenniora eorum arbitremur privilegia, qui cœlitus ad nos ablegati, Summi Regum Rectoris vices gerunt, ac quæ exigatâ nobis, æterna, sanctissimæ hujus voluntatis, constitutio, ab eodem instructi exponunt? Extant sanè non concepta modò cœlestis edicti, quo munitos in orbem omnem ablegavit eos, verba, cum ne Christos suos tangat quispiam, pupillam quippe oculi sui, istos quisquis læserit, lædere, seriò omnibus imperat; sed & gravissimæ vindictæ, quæ ferro ac igne delevit nefarios istorum violatores, passim occurrunt exempla. Lucernam quan-

quandam ἄσβεστον, Veneri cuidam Arcadicæ ſacram, autores memorant, quæ, cum, ſub dio, omnib⁹ ventorum flatibus, pluviarum itidem ac imbrium, expoſita fuerit, injurię, id tamē virtutis a Numine obtinuerit, ut jugē flammam, alens, extingui neutiquam potuerit. Neminem adeò vecordem putaverim, qui non ſpecioſum fabulæ figmentum, videat: at altiùs ſapiamus, & potentiſſimam Dei protectionem, qua inter medios furentis crudelitatis turbines, illæſas haſce Eccleſiæ aſſerit faces, idq; efficit, ut eo majus flammæ accedat incrementum, quo concutiantur fortius, cognoſcemus. Hinc ſæviat orcus, furat mundus, inſurgant Tyranni, & una omnes conſpiratione, obruere lucis hujus conentur ſplendorem, nihil tamen fieri aliud videbunt, quam ut clarius ubiq; effulgeat, nedum extinguatur. Non importunè hoc loco, illuſtris in Italis, Herois occurrere videtur, prudentia, qua tutiſſimam eam, inter præſentiſſimum, undiq; mortis periculum, ſecuritatem expreſſurus, candelæ particulam laternæ incluſam, in quam, ex omni orbis cardine, ventorum ſæviat conſpiratus, cum Lemmate FRVSTRA proponit. Ipſi, me tacente etiam, quorſum hæc dicantur, videre videmini: candelæ loco ſunt, Deo chari iſti viri, qui intra Divinæ potentiæ, tanquam tutiſſimæ laternæ, delitefcentes tutelam, ſecuri intumeſcentium odiorum, tempeſtates prætereuntes, inoffenſo, quod ſuarum partium eſt, ductu, ad æternæ veritatis, quæq; hanc

Fff ſub-

ſubſecutura olim eſt, felicitatis ſedes, ſectatoribus ſuis præeunt viam. Ita verò dum agunt, communi quidem, cum Lychnis, ſorti ſubjacent, ut aliis inſerviendo conſumantur: aſt non ideò, vel difficilius, vel infelicius ſuas peragunt partes, cum, quantum corporis viribus, ſubtrahat, continuatorum laborum magnitudo, ac ingraveſcentis ſenij moleſtia, tantum animo roboris, qui intus agit, Dei addat virtus. Huic enim uti familiare eſt, in debiliſſima hominum imbecillitate, omnem potentiæ ſuæ demonſtrare vim: ſic non aliter evenire hic videas, dum ſeneſcentibus annis, juveneſcunt animi, & decreſcenti artuum robore, mentis accreſcit vigor. Mirãtur auream eam Callimachi lucernam, quam, cum Minervæ conſecraſſet, toto anno ardentem, absq; ulla vel guttula olei affuſa, conſervavit. Et quantò majori admiratione digna ea res, quam hoc in argumento, efficaciſſima virtutis Divinæ operatio, generi noſtro præſtat, videtur? Prout rerum omnium, quæ ortæ ſunt, præceps in occaſum prolapſus eſt, ita homini certi ætatum conſtituti ſunt gradus, quorum continuata ſucceſſione, in eam tandem vitæ, quam ſenectutem dicimus, defertur partem. Huic cum innumera adjaceant mala alia, tum illud non in minimis numerandum, quod dicente Regum ſapientiſſimo, confringatur urceus aureus, & conteratur hydria, dum conſumpto paulatim, quem fovendis vegetandisq; corporis ac animi viribus, natura conceſſerat,

ſerat, nativo humore, generoſus ille balſami deficit liquor, ut non animus minus, quam corpus multo defectu infirmetur. Inter hanc verò, extremæ ſenectutis, impotentiam, en potentiſſimam Divinæ gratiæ vim, cujus, tanquam ſaluberrimi olei, benigno affluxu, omnem, deficientis naturæ, ſupplente debilitatem, ita vegetantur mentes, ut inſtauratis quaſi juventutis viribus, agere videantur. Atq; ita non unum, cum Callimachi, ſub Minerva tutelari, lucernum, ſed aliquot annos, intra clariſſimum, laudatiſſima, ſed aliquot annos, intra clariſſimum, laudatiſſi-na, morum actorum, ſplendorem, durantes, Diviniori longè, quàm quod natura ſuppetit, alimento, vitam ſuſtineri, apertè docent. Spiritus ille Dei eſt, qui olei inſtar ſalutaris intra animos effuſi, & formæ & virium indies renovat incrementum, ac novum juventutis omnibus reſtituit florem. Nihil horum omnium quisquam negaverit, qui refloreſcentem ſubinde in langueſcente, venerandi ſenis noſtri, per ætatem corpore, animi cogitaverit vigorem. Ita quippe omnibus graviſſimi, diſtractiſſimiq; muneris ſui, ſufficiebat partibus, ut nulli deeſſet, & ita nulli deerat, ut ſufficiētiſſimè omnes expediret. Ipſi, credo, meminiſtis, ſub proxima vitæ termino tempora, ea dicendi, e Cathedra ſacra, cum auditoribus agere facultate, ut nihil â priſtina fulminandi tonandiq; remiſiſſe impetu videretur. Et cum ſemel iterumq;, collapſis viribus, ita omnino, in loco ſolenni, concideret, ut exanimis omnibus putaretur ac

 extin-

extinctus, mox tamen excitata cœleſtis, quem animo gerebat conceptum, ſpiritus facula, nova illuminandi effulgens virtute, ſolitos repetebat labores. Neq; alium Academia vidit, quæ cum, poſt IX. Rectoratus, cum ſumma aſſerti boni publici laude, geſtos, ultimum eo, quæ proximè beatiſſimum antecedebat obitum, anno eidem commiſiſſet, tam ſalutarem hunc ſibi experta eſt, ut revera optimè ſenſiſſe, qui Rerumpubl: medicos ſenes dixerit, fateri cogeretur. Adeò promptiſſimis conſiliis res impeditiſſimas expediebat, patria ſolicitudine, quibus laborabat, neceſſitatibus ſubveniebat, gravi autoritate, intra debitum omnia ordinẽ, continebat, & ut verbo abſolvam, omnia prout decebat, decore agebat. Quanquam nec iſtud exiguum, conſiſtentis intra tenorem ſuum, fortitudinis indicium erat, quod, cum, indigno meritis modo, à nonnullis tractaretur, nihil ille talibus moveretur, quæ tamen & integrum ætate viribusq; animum, mœrore inducto, conficere potuiſſent. Hic ſaltem nõ poterant, quod intus agens Deus, ac cœleſti teſtimonio animum firmans, facile importuna illa rigidiorum tolerare judicia doceret. Audiviſtis quantò ſplendore doctrinæ virtutiſq; lucem, Divinæ gratię fomento paſtam, omni vitæ tempore, inter variam difficultatum caliginem, ſemper fulgentem, conſervaverit, nunc ut nec ſub mediam mortis noctem, defecerit iſta, porro cognoſcite. Miranda illa mundi luminaria, & in his magnum in-

primis

primis mundi oculum, inexhaustumq; lucis omnis fontem, non alià lucere lege videmus, quam ut stato temporum lapsu, Ecclipseon subeant vicem, ac, quo mundo omni voluptati sunt & usui, jubar suum, brevi caligine commutent. Eadem generis nostri conditio est, ut nemo in eo natus, qui non clarissimum virtutum fulgorem, mortis tandem umbra obrui, experiatur. Nec proinde ea quidem lege eximi poterat BEHMIVS, quod eadem, qua reliqui omnes, culpa, vindicem delictorum mortem provocasset: ast si raro, ita omnem, cœlestibus luminibus eripi claritatem constat, ut non aliqua ejus emicet particula, idem evenisse Beatissimo nostro, est compertum. Jacebat lectulo suo affixum exangue corpusculum, ac, lampadis instar pabulo destitutæ, μαρασμῷ quadam consumi videbatur, cum interim ardens cœlesti igne animus, plenos undiquaq; & sapientiæ & pietatis radios spargebat. Exortum quippe in eodem magnum illud, quod gentium revelationi ab æterno, destinavit æternus parens, lumen, ita purissimo illũ illustrabat splendore, ut, pulsa omnis mortalitatis caligo, cedere extemplo cogeretur. Succedebat contra isti perspicacissimum mentis, natantibus jam media in mortis umbra oculis, acumen, quo piam pro Ecclesia Republicaq, patria solicitudinem, constantem conculcandæ mortis fortitunem, indubiam redivivæ quondam carnis spem, immotam deniq; jamjam imminentis æternæ felici-

tatis fiduciam, clarissimè omnibus testabatur. Atq; ita fragilem, vanamq; mortalis lucis, usuram relinquere visus, ad æternam, immortalis, in cœlis, vitæ lucem, eo ipso tempore, quo, post torpidam noctis umbram, novo creata singula vigore resurgentis solis animat benignitas, promovetur. Hic si quod non infrequens, in illustriorum mortibus, scimus, cœlum observare, ac omnia inde legere liberet, non deesset, quod memorandam maximè, hanc BEATISSIMI Viri emigrationem redderet. Quid namq; horrisonus ille fulminis ictus, quem, ipso placidissimi obitus momento, sereno cælo missum, nec antegressus, nec insecutus alius, videtur? Mihi quidem, si conjicere quicquam licet, ita omnino videtur, præconem eum fulminantis iræ Divinæ fuisse, qua æstuans rerum omnium imperator, cœlestia illa, Ecclesiæ lumina, malè grato mundo subtrahit, errorumq; caliginem, & nubila minatur; inde verò simul certissimè eo argumento confirmatum, hoc quasi Divino vehiculo, sanctissimam animam, ad beatiora evectam, dum prout nubem rumperet fulmen, ita cœlesti gratia beatorum sedes isti pandebantur. Neq; aliter rem se habere, Deum ipsum testem vobis sisto, qui doctos, quasi splendorem firmamenti, & qui ad justitiam erudierint multos, tanquam stellas in perpetuas æternitates effulsuros, sanctissimo non minus, quam verissimo Oraculo edicit. Quęcum ita sint, jam liquere id omnib⁹ puto, quam nihil

nihil claritatis ei, per mortem decesserit, qui provehente eadem, beatorum splendori mixtus, sidera omnia luce vincit, ac illustritate. Non possum quin, quandoquidem in eo rerum ordine, omnis nostra opera est versata, quam inter acutissimos Emblematum autores, reperio, lucernam versatilem huc transferam, hanc enim quocunq; etiam invertas modo, quin summa ejus imis mutes, nunquam tamen vel quicquam effusuram olei, vel amissuram luminis deprehendes. Fuit ea lucerna BEHMIVS noster, cujus cum constantem ac jugem flammam, turbatissima etiam adversitatum tempora, evertere nequiverint, tum ne mortis ipsius truculentia extinguere valuit: sed dum prostratum corpus, imis terræ visceribus recondendum erat, sursum erectus animus, Cœlum petiit, ejusq; non occidua luce, pristinam claritatem adauxit. Atq; nunc ergo illustre quondā militantis Ecclesiæ lumē, jam verò illustrius triumphantis sidus, æternū mihi salve. Salve, ac fruere novo illo æternitatis honore, si tamen quis rerum humanarū sensus, pios manes, tenet, patere novissimo hoc officio, quod pietas in Te Doctorē & Patronum olim, tandem Collegam etiam meum addictissimum, exegit, felicitatem illam tuam turbari, quo exsoluto, nihil nisi, ut novas eas in cœlis delicias gratuler, semper vivam verò, dum terris ipse interfuero, magni nominis afferam memoriam, sum conaturus. Tibi verò D.O.M. prout universa Borussorum

russorum Ecclesia immortales, quod illustrissimam tanti Doctoris virtutem suo bono commodare, ac non nisi summa maximaq; quævis, perficere ejus ministerio volueris, gratias agit: ita supplex te & cernua, ut grandem eam cladem, quam illius jactura intulit, benignè compensare, atq; puram veritatis tuæ lucem, adversus errorum omnium caliginem, asserere porrò digneris, per plenum gratiæ & veritatis Filium Jesum Christum, veneratur ac adorat.

ORATIO HABITA, IN SOLENNI MAGISTRORUM RENUNCIATIONE, CUI, UT ANTEA, PROGRAMMATA EUM ACTUM ABSOLVENTIA, PRAEMISIMUS.

INVITATIO AD HONORES PHILOSOPHIAE SUPREMOS SUSCIPIENDOS.


Vod Deus feliciter fieri, ac æternum salutare, ampliando Nominis sui honori, reiq; literariæ emolumento esse jubeat, Ludos Academicos, quibus strenuam, legitimè, intra Philo-

Philosophiæ castra, certantium, industriam, publicis concertationibus, & conflictibus, comprobatam, debito honorum præmio ornemus, solenniter intimamus. Ita namq; communi, omnis ferè Historiæ, consensu docemur, quotquot Respubl. vel fundarunt, vel augere fundatas voluerunt, omnes Ludorum introduxisse solennitatem, ut non modò præmiorum honoribus, ad solertiorem virtutis cultum, instigarent suos; sed & spectaculorum voluptate, quæcunq; suborirentur molesta, compensarent, ac quasi edulcarent. Constat id, & primo Romæ incremento, quod à conjugiorum, intra ipsos Ludos, constitutorum origine, dependebat: & Græcorum, quos hâc vice curiosius contemplari constituimus, annalium fide. Hi enim, inter variam aliorum Ludorum festivitatem, duos inprimis solennissimos proponunt, Eleorum Olympia, & Atheniensium Panathenaica: quorum ista quidem, ad restituendam Græciæ, qua tum laborabat universa, vastitatem; hæc verò, quam Sapientiæ præsidem, vanissimo titulo, præfecerant, Minervæ honoribus consecrata narrant. Neq; alia prout in reliquis omnibus, felicissimè priscorum æmulatus est virtutem, DIVI ALBERTI, gloriosissimi, Reipubl. inter nos literariæ, fundatoris, mens fuit, quâ, ut illustrior cœlestis Sapientiæ, inter mediam barbariem, & meram vastitatem, elucesceret splendor, ac, adversus istam, firmius constaret, sacra illi ædes, publicâ, Honorum Philosophicorum, concessione, Ludos quasi quosdam fieri jussit, quò & singulorum, in certando, virtus omnibus appareret; &, quorum id merita requirerent, solenni honorũ præmio donarentur.

Et ſanè, quid prudentius, incremento literarum, artiumq́; promovendo adhiberi poterat? Evenit ita aliàs, ut &, ſine præmio, langueat virtus; & continuus, ſine interpoſitâ oblectatione, deſeratur labor. Aſt quàm animosè, utriusq́; ſuſcipitur cura, ſi, quo ſublevetur hæc, ſperare non modo, ſed obtinere etiam, iſta, quæ diximus, licet. Quod ſi verò utriusq́;, in Græcis, feſtivitatis ſolennitas, quolibet exacto quadriennio, repetenda jubebatur; ego æquisſimum rebar, ſi Academicorum Ludorum pompam, (quæ, utut, ſingulis ſemeſtribus, inſtituenda erat, obſtante temporum difficultate, intra quadriennij ſpatium, intermiſſa eſt) reducens, humili obſequio, DIVI FVNDATORIS, exſequerer voluntatem. Hæc præ omnibus cogitans, inſtitutum hoc meum exponere publicè, ac omnes & ſingulos, qui, inter Academicorum exercitiorum palæſtram, ætatem hucusq́; ita exegerunt, ut, veræ ſapientiæ artibus mentem, concinnaq́; optimarum actionum rectitudine, voluntatem, dignis debitisq́; modis exornarint, ad hos, Ludorum publicorum, Honores, officiosè & amicè volui invitare. Neq́; enim, ad ſæpius dictos, Græcorũ, Ludos, promiſcuè omnes; ſed, prohibitis hinc iis, qui crimine quodam, aut aliâ turpitudinis nota, virtutem macularant, reliqui ſaltem, qui, cum omni ſtirpe, macula carebant, admittebantur: nec Academicos Honores, niſi ſpectatisſimæ eruditioni atq́; virtuti, concedi voluit DIVVS FVNDATOR. Hoc itaq́; curare ibi cogebantur Νομοφύλακες, *ut & merẽtibus, & debito modo, victoriæ honores, atq́; præmia tribuerentur: Hic res ea commiſſa eſt COLLEGIO PHILOSOPHI-*

CO, &

CO, & singulis, qui, consentiente Hujus suffragio, constituti sunt, Decanis. Et curatum hucusq;, bona fide, illud fuit, ut, citra respectum rerum aliarum omnium, merentibus atq; dignissimis, legitimè ij cesserint Honores: Nec proinde jam desperabitis eundem successum, DOCTISSIMI JUVENES, quoscunq; virtus atq; eruditio, tantis capessendis præmiis, dignè præparavit. Quin obtinebitis, quæ diu exegit solertiæ, ac virtutis vestræ, meritum, præmia, ac, postquam masculum vestrum, in superandis literariis conflictibus, declaraveritis robur, eâ triumphi laureâ, quæ fortunæ temporisq; omnis secura, immortales vobis parabit honores, donabimini omnes. Ac quandoquidem, volente ita DEO, & AMPLISSIMI COLLEGII consilio, brabeutes ego sum constitutus, en! fidem meam, sanctissimè vobis obligatam, qua, quod cujusq; promerita fuerit virtus, singulos, æquissimo jure, percepturos, spondeo ac promitto. Sed &, quo felicius obtinere istud possitis, modos omnes propositurum, ac, quantum per vires licuerit, quicquid morari, aut impedire laudatissimum institutum conetur, validissime deplusurum, solenniter contestor. Vos modo vobisipsis ne desitis, nec, quod, jure vestro, debitum vobis, opportunissima temporis occasio, offert, negligatis. Injurius non minus in se est, quisquis debita virtuti præmia, aspernatur, atq; rejicit: quàm qui aliena, sibiq; indebita, appetit. Sed meliora de vobis ingenua vestra mens, indefessa industria, publice spectata eruditionis specimina, ac vita deniq; laudatissimè exacta, ominantur. Adeste ergò, & quod D.O.M. clementissimus indultus, SERENISSIMI AC POTENTISSI-

TISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI FRIDEDRICI VVILHELMI, MARCHIONIS BRANDENBVRGICI, S.R.I. PRINCIPIS ELECTORIS, & ARCHICAMERARII, MAGDEBVRGI, BORVSSIAE, &c. &c. &c. DVCIS, &c. &c. DOMINI AC NVTRITII NOSTRI CLEMENTISSIMI munificentia (nam & hanc tàm abundantissime, promovendæ Ludorum horum solennitati, impensam, nemo unquam, absq; turpissima, ingratissimi animi, nota reticuerit) tàm benignè, inter tristissimam ferè Academiæ faciem, concedit, gaudio hilares fruimini, atq; læti. Atq; hæc si vobis mens est, ut mature me accedere, nominaq; vestra profiteri haut gravemini, cum ejusdem promptitudinis oblatione, rogo. Sed quandoquidem, & Olympicos, religiosissimè omnium, celebratos; & Panathenaicorum celebritati, solennia sacra præmissa, Historia profana testis est: absit à nobis ea profanitas, ut tam sacram rem, tam arctaq;, divinæ sapientiæ, junctam cognatione, absq; pietatis sacro inchoemus. Te ergo æternum, sapientiæ omnis & virtutis, parentem atq; fontem, D.O.M. cernui veneramur ac supplices, ut, quod Tuis Honoribus, ac saluti publicæ, consecravimus, ita felicissimo successu suscipi, ac confici etiam, jubeas: prout ipse virtutis, sapientiæq;, &, quæ hinc promanat, felicitatis humanæ, benignissimus assertor existis ac protector. Ita fiat!

P.P. Dominica SEXAGESIMA
M DC LI.

INVITATIO
AD PUBLICUM DNN. CANDIDATORUM EXAMEN.


Um in omnibus solertissime curandum est, ut, quæ laudabiliter, suscepta sunt, sic ritè peragantur etiam, ne fœdo exitu, quam speraveras, gloriam corrumpant atq; laudem: tùm id maxime etiam necessarium videtur in iis, quæ publica solennitate instituuntur, quorum tantò major vel illustritas, vel turpitudo, quantò curiosiùs omnium oculis animisq; publica, quam privata, observantur. Accuratissimè id egisse Græcorum, quos haud ita pridem proposuimus, Ludorum curatores, hoc quoque, præter alia innumera, argumento confirmatur, quod quicunq; ad istos admitti vellent, non modo nihil se fraudis facturos, quo minùs Ludi ritè fierent, sed &, continuos decem menses, in ludicra exercitatione, loco peculiariter progymnasmatibus iis destinato, propositi certaminis consumsisse, conceptis verbis jurare cogerentur. Neq; alia mens *DIVI FUNDATORIS ALBERTI fuit, quâ LUDOS ACADEMICOS, quo nomine hac vice, PROMOTIONUM PHILOSOPHICARUM ACTUS, notare placuit, instituens, ejus rei quàm maximè solicitus fuit, ut non modo omnia, ex præscripto, prudentissimorum Statutorum, ritè, citra fraudem & affectum, fierent, sed &, specialissimâ constitutione, ut antequam, in publico, ad conflictus, doctissimorum discursuum, subeundos, sisterentur, privatis colloquiorum exer-*

exercitiis, paresne an impares istis essent, tentarentur. Prudentissimum sanè institutum, quo & LVDORVM ipsorum, si à dignis, cum applausu, peragantur, crescit splendor; & conflicturorum, ne, expertes conflictuum, publicâ ignominiâ, temeritatem luant, consulitur honori. Est ita omnis hominum ratio, & prudentum imprimis, ne quicquam, nisi deliberato, suscipiant; atq; hinc cum ardua, rerum gerendarum, interdum clarissimè effulgeat difficultas, curiosissimè prius suas experiuntur vires, quas, si tenuiores istis deprehendant, multis prius, præviis exercitiis, confirmant quasi, ac perficiunt, quam publicæ se committant fortunæ. Quod utinam cogitarent, temerarij seculi nostri Icari nonnulli, qui rerum sæpe maximè indigi adhuc, solâ persvasione (cum reliquis enim, qui commilitonum profectus, debito cum modo, juvant, nihil nobis est rei) turgidi, divinas scientiarum habenas tractare, ac, non concessâ faculâ, alios collustrare audent. Ast quid mirum, si, utut non Icarici, alius tamen præcipitii tristi monimento, nominis obtineant æternitatem? Rectius quidem semper ii agere videntur, qui prudenti, ut diximus, deliberatione, non sapientum modo consulta, sed naturæ ipsius, ab imis ad summa, continuato successu, omnium perfectionem evehentis, ductum sectantes, id agunt, ne uspiam imparati res gerendas suscepisse judicentur. Atq; ita res suas instituerunt, ORNATISSIMI ALIQVOT VIRI JVVENES, PHILOSOPHIAE AC OPTIMARVM ARTIVM CANDIDATI LECTISSIMI, *qui cum, propositâ nuper,* LVDORVM ACA-

ACADEMICORVM, imitatione invitati, solennes eorundem suscipere honores, animo constituissent, ast rei magnitudinem excutientes, dexterrimè, quanti periculi res esset, arduum illud tentare opus, ac, imparibus viribus, in medio actu, cum publica omnia illusione, deficere, pervidissent: hoc modo, rectissimè omnium, consultum sibi iri putabant, si, privatim, ante omnia, experimentum virium facientes, domesticæ, AMPLISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICI, se submitterent censuræ. Quam optimam mentem, uti simul, ac cognovimus, suâ laude, ob spectatam prudentiam, dignissimam arbitrati sumus: ita, postquam, vigore Legum nostrarum, Tentaminibus, ac Examinibus rigorosis, intra privatos parietes, institutis, eos virium, eruditionis puta ac virtutis profectus, invenimus, qui, & sufficere publicis congressibus possent, & debito honorum præmio ornandi essent, nunc, gratiis primum Deo actis, nobis ex animo gratulamur, ac, clarius etiam testandi gaudij causa, publicos, PVBLICI EXAMINIS, conflictus, futuro Mercurij, & qui sequentur, Horis à I. Pomeridianis, instituendos, hisce indicamus. Quod si verò, solennissimâ convocatione, eos, qui de certaturis pronuntiaturi erant, Græcia invitabat: nostrum quoq; duximus, omnes & singulos, quibus ea competit cura, ut judicent DNN. CANDIDATOS NOSTROS, officiosissimè & amicè invitare. Neque tamen, antequam solenni id & prisco ritu fiat, illa curiosissima, juxta Historiæ Græcæ scriptores, quâ judices constituebantur, prudentia, ob summam amœnitatem, videtur omittenda. Cum

namq;

namq; & mulieres omnes (si unum, quod præter ordinem contigisse Pausanias tradit, Viraginis potius, quam mulieris, tollas exemplum) & qui tinctis utebantur vestibus, viri, omnino ab eo excluderentur: nudi adesse magistri, ac judices cogebãtur omnes. Cujus quidem instituti si evolvas mentem, quæ tandem alia videtur, quàm, citra omnem affectum, cujus mulieres tenacissimæ semper habitæ fuerunt, è simplici, & nativo veritatis candore, quem nullus fucus tingat, judicia esse pronuncianda. Sed, cum & facile id omnibus occurrat, nec ille nos metus torqueat, missis iis, illud, quod res jubet, ago: ac proinde, TE, MAGNIFICE DOMINE RECTOR, VOS SPECTABILES FACVLTATVM SVPERIORVM DECANI, VIRI ADMODVM REVERENDI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, CLARISSIMI, PRAESTANTISSIMI, DOMINI COLLEGAE AC FAVTORES HONORANDI, VT ET, QVICVNQVE GRADVVM ACADEMICORVM HONORIBVS, JVRE AC MERITO VESTRO, ESTIS INSIGNES, AMICI HONORATISSIMI, VOS, *inquã, ut, si citra graviorum occupationũ damnum fieri possit, exoptatissimam vestram præsentiam,* LVDIS HIS NOSTRIS PHILOSOPHICIS, *in Auditorio Philosophorum publice instituendis, dicto tempore commodare, vires* DNN. CANDIDATORVM, *ac horum*

quid valeant humeri, quid ferre recusent,

amicè ac benevole explorare, & super iisdem æquo animo judicare haud dedignemini, nomine, AMPLISSIMI

COLLE-

COLLEGII PHILOSOPHICI, *cum reciprocâ, devinctißimorum officiorum, oblatione, rogo atque invito. Vos autem id statuite, quicquid ab* AMPLISSIMO COLLEGIO, *& mea præsertim tenuitate, utile ac officiosum proficisci poterit, omne id vobis, sanctißimâ semper obligatione, promptißimè pro eo constiturum. P.P.* 1651. *Dominica JVDICA.*



INVITATIO

AD SOLENNEM PROMOTIONIS ACTVM
D. O. M. BENIGNE VOLENTE
INVICTISSIMO POLONIAE SVECIAEQVE REGE
JOHANNE CASIMIRO,
POTENTISSIMO ELECTORE BRANDENBVRGICO DVCE BORVSSIAE
FRIDERICO WILHELMO,
NVTRITIO MVNIFICENTISSIMO,
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO
M. ALBERTO LINEMANNO,
MATH. PROF. PVBLICO CELEBERRIMO,
CONSENSV AMPLISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICI
OLYMPIA ACADEMICA SOLENNITER
SVNT CELEBRATA,

In quibus
Inter publicos privatosq; conflictus
Exactissimis certaminum Censoribus
AMPLISSIMIS ACADEMIAE PATRIBVS
AC
RELIQVIS HONORATISSIMIS SPECTATORIBVS
Confirmatam Eruditionem
&
Masculam virtutem
ita probarunt

ORNATISSIMI VIRI JVVENES,

Quos, nisi ordo, pulchrorum omnium pulcherrimum, cujus tamen ipsius etiam bonam partem, sors constituit, ita jussisset, quo ordine numerarem (tanta virtutis eruditionisq; à primo ad ultimum paritas) vix scirem.

DN. GEORGIVS CARAENIKE, Fridlando-Polonvs, Scholæ, quæ Lyccæ illustris est, Conr.
DN. MAVRITIVS CAROLVS, Boyzenburgensis Marchicus.
DN. CHRISTIANVS COLBIVS, Regiomontanus-Borussus.
DN. CRVSIVS ALBINVS, Londino Dithmarsus.
DN. ALBERTVS ROBERTSONIVS, Neo-Stetino Pomeranus.
DN. GEORGIVS FVNGCIVS, Regiomontanus-Borussus.
DN. HENRICVS BVSSENIVS, Soltquella-Palæomarchicus.
DN. SAMVEL SCHRÖTERVS, Rosnaviensis-Hungarus.
DN. JOHANNES TROSTIVS, Revalia-Livo.
DN. ABEL FINCKIVS, Strandensis-Holsatus.
DN. MAVRITIVS SCHARLIBVS, Brandenburgo-March:
Dn. CONRADVS OLDIVS, Hamburgensis.

Vt

Vt
Communi omnium & judicio & applausu
si non
HERCVLEVS OLEASTER
similium tamen isti
SVPREMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM
BRABEVM
Ipsis debeatur.
Quod ergo
Dum mea voce & manu
In Auditorio Majori D. V. IDIBVS Apr.
Ipsis conferetur,
FAVETE
Ei Solennitati
DOMINI, PATRONI, AMICI, AC CIVES REI
LITERARIAE
EIVSQVE REI TESTANDAE E.
Post datum, Horis ejus diei matutinis, majori,
Cathedralis Templi,
Campana, signum
BENEVOLI ADESTE
SED ET PRO EO AFFECTV
Addictissima servitia ac Officia
DICTI COLLEGII
Ac imprimis,
Qui illius nomine istud submisse, ac amicissime orat
M. VALENTINI THILONIS,
Orat. P.P. Decani
Certi exspectate.
P.P. cIɔ. Iɔc. LI. IV. ID. APR.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS, DOMINI MEI CLEMENTISSIMI

MAGNIFICE DN. LEGATE, MAGNIFICE DN. RECTOR,

SPECTABILES, PLVRIMVM REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, CLARISSIMI, AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, SPECTATISSIMI, DOCTISSIMI DOMINI, HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI; NOBILISSIMI DOMINI STVDIOSI.



HOc unum ergò, ſolennitati, Olympicorum Academicorum, rite abſolvendæ, deeſſe videbatur, ut, quæ accuratiſſimo Ampliſſimorum Academiæ Patrum, cæterorumq; Clariſſimorum ac Doctiſſimorum Virorum Judicio, tot privatis publicisq; congreſſibus probatæ, Dnn. Candidatorum, virtuti ac eruditioni, addicta ſunt, præmia reipſa quoq; concederentur iisdem, ſicq;, quod jure merito ſuum erat, feliciter capeſſerent. Et quid vel æquitati, cujus prima lex, tribuere, quod ſuum eſt, cuiq;, jubet, vel tempori ipſi, quod undiq; effulgentibus victoriæ honoribus eſt illuſtre, convenientius, quàm, ut, qui poſt certamina legitimè confecta, victoriæ reportarunt laudem, triumphi quoq; præmiis potiantur? Deum ipſum, ſi liceat, ad divinorum ſublimitatem, progredi exili ſermoni, horrendorum cruciatuum, infa-

infamisq; mortis,gloriosissimum victorem, hisce, cum piorum cœtu,diebus sumus venerati. Hinc, quasi applaudens Domini sui ac patris honori, natura omnis, victâ rigidissimæ brumæ inclementiâ, novo amœnitatis honore reflorescens, triumphi quasi ostentat splendorem. Atq; ita,dum commune, communis victoriæ, gaudium, omnem mundi universitatem occupat, nemo justissimo Candidatorum nostrorum invideat gaudio, quo, intra lætissimam triumphorum Academicorum festivitatem, effusi, debita victoriæ brabeia poscunt? Sed & ipsi vos, A.H. non favere modò, tam laudabili Candidatorum gaudio, verum etiam gaudere, tàm felici Collegij nostri bono, adeò clarè, honoratissima vestra præsentiâ,declarastis,ut nihil jam,quàm æquissimam eam præmiorum concessionem,communi, tacitorum desideriorum, consensu, videamini amplius exspectare. Nec vanam hanc vobis spem, pro mea quidem virili, elabi patiar, ubi, postquam paucissima,de Olympicorum victorum brabeo,corona Oleaginea, exactissimo præmiorum Philosophicorum symbolo,præmisero, reliqua rite agi, fuero expertus. Ita ergo,quod bona vestra cum pace. A.H. explicare liceat,Olympicorum accuratissimus refert scriptor, Herculem, cum primus Olympia Eleis instituisset,honorandæ victorum virtuti, præ omnibus, selectum destinasse Oleastrum. Dum vero, Jovis ornandis ludis, Minervæ adhibitam arborem

borem auditis,annon cogitatis, prudentissimo Herculis consilio, natam, cum armis, è Patris cerebro, Deam, armis regendis, gerendisq; feliciter præfectam esse? Neq; tamen, dum eandem Sapientiæ armorumq; prȩsidem auditis,illud etiam obscurius animo obversabitur vestro, quam non modo, nulla armorum, absque prudentiæ consiliis, felicitas speranda: sed quam prope etiam literarum, a militia, distent castra. Occurrent sanè in utrisq; gravissimi hostes, conflictus subeundi non minus crebri, quam duri ante, quam, de subacta istorum feritate, triumphare queat victor. Ex quibus omnibus illud initiò clarissimè elucet, & ejusdem iniquitatis rem esse, seu exercitum victorem, seu togatum Minervæ militem, post res feliciter gestas, præmio fraudere: & æquissimum esse, ut, qui simili labore exercentur, simili Minervæ præmio ornentur. Agitur ita, quoties Honores Philosophici cultoribus Sapientiæ, conceduntur, qui ita similes Olympico Oleastro deprehenduntur, ut denotandis istis studuisse, autorem Herculem, haud immeritò censeamus. Ne omnia ejus rei capita proponam, illud primo omnium cogitate, quod de ortu Oleastri observat Plinius, nunquam felicius, quam in montanis, quorum amantissimus sit, locis promoveri. Et annon idem de doctrinæ literarumq; præmiis constat? Amant & hæc excelsissima præruptorum montium juga, ad quæ, nisi senticosis aspretis & salebris,

pro-

progredi nunquam potes. Adeò non datur plana, atq; expedita, ad ſublimes honorum dignitates, decurrere via; ſed ſudore plurimo, majori etiam labore, ut divina, divinæ virtutis, prole, potiaris honore, eſt enitendum. Scilicet quemadmodum omnia, quò venuſtiori illuſtria ſunt elegantiâ, eò majori conſtant difficultate: ita, qua nihil divinius, illuſtrius nihil exſtat, cœlo oriunda virtus, non, niſi vel ſanguine, vel ſudore, labore ſane utrobiq; exquiſitiſſimo, ulli vult venire. Expreſſuri id Iaſij videbantur, cum, ſuis manibus, ita fabrefactam Dianæ proponerent imaginem, ut, faciei in ſublimi maxime poſitæ loco, vultus, intrantibus triſtis, exeuntibus lætiſſimus appareret. Clariſſima ſanè dictorum effigies: cum namq; mera triſtitia, è continuato laborum ſucceſſu, qui primum celſiſſima Sapientiæ ſalutant limnia, animos torqueat, mox, ubi intra ſecretiora Divæ recepti adyta, ac familiarius in iis verſati, ipſos vultus penitius contemplantur, ſubita viciſſitudine, formidabilem paulo ante torvitatem, in blandiſſimos riſus, certiſſimosq; amoris indices, converſam deprehendunt. Neq; aliud communiori etiam, Parnaſſi, invento, primi Sapientiæ Magiſtri, docuerunt olim; cum in amœniſſimo quidem, ſed arduo ſimul, atque edito maximè, montis vertice, Muſas collocabant; ut non magis, ſummas ſapientiæ delicias, incomparabili, tranquilliſſimi verticis, amœnitate, quam graviſſimam, potiendi iſtis, difficulta-

cultatem, salebroso & invio fere accessu, declararent. Et profecto ita est: neq; amœnissimum Parnassi vigorem, si absq; Musarum Domicilio fuisset, ad eam nominis immortalitatem, fuisse perventurum; neq; florentissimum Regnorum statum, si absq; Sapientiæ sit honoribus, vera gaudere felicitate. Sed neq; illud obscurius, credo, latet, neutrius possessionem, citra gravissimas molestias, concedi. Probe, ut omnia, intellexisse hoc videtur etiam, immortalis memoriæ Princeps, Divus Fundator; hinc, postquam, cœlesti gratia, & divina, quâ instructum animum gerebat, virtute, superstitioni atq; armorum sævitiæ profligatæ, verum pietatis cultum, & aureum illud, humanisq; omnibus majus, pacis bonum, substituerat, illustrissimum Patriæ splendorem restituisse, omnibus aliis videbatur, neutiquam verò sibi. Plus ultra ergò pergens, ita demum consummatissimam felicitatem, concessam suis credebat, si, in Parnassum, Regium hunc conversum montem, Musarum sede ornâsset. Quod cum felicissimè successisset, ac jam plenâ literarũ amœnitate, Borussus hic effloruisset Parnassus, ut constaret solidius ejus vigor, debitos quoq; Musis honores adjunxit, ast ita, ut, ipso montis nomine admonitus, nisi labore fessis, aditum ad illos nemini patere vellet. En vobis Oleastrum nostrum Academicum, lætissime in Parnassio Regij montis vertice florentem, e quo fortissimus Borussiæ Hercules, omnibus ac singulis strenuis

ſtrenuis Olympiorum Academicorum victoribus, præmium deſtinavit. Vos modò, quicunq; in hac optimæ mentis Palæſtra ſudatis, id curate, ut dignos, tanto tanti Principis præmio, edatis conflictus. Non equidem gladiis & ſanguine, ſed calamis atq; atramento confligitur: tranquillitatis namque, & quietis certiſſima ſemper teſtis Olea fuit, nec proinde vel ſanguine maculanda, vel tumultibus atque pugnis, in primo flore, opprimenda. Sed neq; deſidiæ ac otioſæ inertiæ, Oleaſtri præmium competit, quod tantum ſtrenua pugna acquirit: idem vos quoq; ſtatuite, non otiando, non deliciando, ſed ſudando, ſed laborando, honores obtineri. In ſublimi, Oleaſtri natales, conſtitutos diximus: & non, niſi in ſummis, honorum præmia, a virtute collocata audiviſtis, ad quæ, niſi ſudans atq; anhelus, nunquam aſcendas. Videas nonnullos ita, in Muſarum caſtris, agere, ut pro Phœbo Bacchum, pro Minerva Vacunam, pro caſtiſſimis Muſis, laſcivam colant Venerem, & tamen ad Olympica non admitti modò, cupiunt; ſed & victoriam, ſi diis placet, arroganter ſomniant. Quidā eo temeritatis progrediuntur etiā, ut, dum alij ſtrenuè pugnant, ac inter literarios conflictus ſudant, ipſi, interim rerum omnium ſecuri, otientur, ac poſt, quaſi inter ludum & jocum naſcantur victores, brabeum flagitare audent. Aſt falſa mens, falſus animus: nam prout priores illi, ad ventrem, & vile terrenarum voluptatum abjecti lu-

tum nihil ardui, nihil sublimis capere possunt; sic, quos proximo loco dixi, vanissimo inanium persuasionum turgentes vento, justo quidem altius efferri, ac montana Oleastri literarij incunabula, supergredi videntur, sed mox, nisi mature alio deflectat iter, gravissima, omni Icaro miserius, præcipitandi ruina. Quam verò sapientius vos reliquæ cœli oriundæ mentes, quæ uti sublimem vestrum cogitatis ortum, ita ejusdem stimulis actæ, sublimia cogitatis, dicitis, agitis, dum, quæ uno minor est Jove, sapientiam curatis? Euge adeste Deo, bonisq; omnibus, charissima pectora, ac, quam feliciter ingressi estis, eadem via læti pergite, dum ad ipsum Parnassi evecti verticem, suprema laborum prçmia capessatis. Non deerit vobis bonus eventus, qui æternus Boni Genij comes fuit: vos modo vobis ne desitis ipsi. Macti, macti animis; macti, macti virtute! neq; admittite, ut in medio, felicissimi cursus, progressu, quicquam vos sufflaminasse dicatur. Si difficultas viæ vos terreat, id cogitate, inviam nullam, nisi vitio, viam dari. Virtuti pervia sunt omnia: non sentes, non arma, non conspirantes fortunæ horret furias. Qua non datur progredi, perrumpit: & aditum, si negatur, sibi ipsi recludit. Ea si vobis mens, esse autem vestra indoles, vestra opera, &, ni fallor, ingenua vestra facies, & apertus vultus, loquitur, id vobis eventurum, non vanus vates, confirmo, ut illustrissimis victoriæ honoribus ornati, non Oleastri, sed perrennaturi

honoris

honoris fructus, quibus & vobis, & aliorum tam publicis, quam privatis, rebus, saluberrimè profitis, carpatis. Si namq; Oleastri folia, ea virtute celebrantur, ut innumeros, in re medicâ, præstent usus, quis ea, quibus honores hi literarij alios juvant, commoda singula enarret? De quibus tamen antequam dicam, paucula saltem, nisi molestum, de Olea, ex amœniori literatura, præmittere est constitutum. Augustissimum, quidam illius autores, Deorum proponunt convẽtum, in quo, cum diu multumq;, quas singuli suæ tutelæ legerent arbores, esset actum, ac steriles plerisq; placuissent, Minerva, Olivam, propter fructus, gratiorem sibi esse professa sit, hujusq; sapientissimi judicij, id encomium, a Jove Patre, retulerit,

O nata merito sapiens dicere omnibus,
Nisi utile, quod facimus, stulta est gloria.

Ea Herculis mens fuit, quâ, ut, publica Honorum Olympicorum commoda, victores doceret, non alio, quam cognato arctissime, tàm celebratissimæ ipsi Jovi arboris fronde, virtutem honorare voluit. Nec alia nobis, dum Oleastro, Philosophicos honores exprimimus, quàm ut omnem horum perfectionem, illustrissimumq; decus, publica, qua prosunt, utilitate absolvi, innuamus. Equidem non desunt, qui vanæ gloriolæ causa, laureolas captant, ac capiunt, & jam egregiè se ornatos arbitrantur, si titulorum typho inflati, superbiant, inq; publico cho-

ros ducant:alias interim piſcibus etiam magis muti, nec eruditione, nec conſilio alios juvent. Longè aliter cordati ſtatuunt,qui uti unica virtute veros obtineri ſciunt,ita,cum probe gnari ſint,omnem virtutis laudem actione contineri, ne dignos, quos ſuſceperint, honoribus ſe putant, niſi aliis juvandis totos eos impendant. Quæ dum probè,pro cœleſti mente,iterũ perſpiciebat Divus Fundator, peculiari cautione voluit, ne ulli,niſi honoribus publicis ornato, publice docendo juvare alios liceret. Scilicet nec ſaluberrimo Oleaſtro, niſi qui publica inter Olympia virtute,eo ſe dignum præſtitiſſet,potiebatur: nec ſolennibus publice docendi honoribus dignum voluit,niſi qui illis, tanquam probatæ virtutis teſtibus, eſſet ornatus. Et jam, veſtra ſponte, credo, apprehenditis, quàm aptiſſimè Oleaſtre ſalubritas, ſummis Philoſophiæ honoribus, depingendis conveniat: quod tamen ut planius fiat,ea adhuc, quæ expreſſius,de Oleaſtri,in re medica, commodis notari diximus, tenete. Atq; hinc ſi non Elephanto modo, feliciſſimum, adverſus venenum,a devorato, concolori fronde, Chamæleonte,conceptum antidotum,eſt Oleaſter; ſed humani etiam corporis inflammatos oculos ſedat, auribus laborantibus medetur,ulcera excreſcentia leniter erodit,atq; purgat: idem beneficij, Viri Honoribus his ornati, quoties animos hominum docendo juvant,præſtant. Peſtilens atq; dirum,tum ignorantiæ,tum vitij, venenum homi-

hominum mentes infecit, & tanto graviori eas morbo affligit, quanto & divinior corpore existit ea pars, & periculiosius illius, quàm hujus, semper habitum est malum. Et tamen huic tam internecino malo, non aliunde, quam à virorum istorum doctrina, præsentius paratum est remedium, dum, profligata ejus malignitate, & pretiosissimâ rerum saluberrimarum cognitione, & aurea virtutum mediocritate, suæ integritati restituuntur ac saluti. Quod ut melius succedat, inflammato, affectuum inordinatorum æstibus, animo, frigidam affundit, ac pulsa, quæ nasci ab istis solet, caligine, purissimam reducit lucem, qua perfusus animus, plana omnia ac aperta, intra serenissimam apricitatem, contemplatur. Cæterum, quod in omni ferè corporum nutricatu deprehendimus, duplici potissimum, principum organorũ, officio, ita eum absolvi, ut oculorum acies exactè cibaria dignoscat, atq; à nocivis, ea, quæ prosunt, discernat, cujus vero ministerio, intra corpus demittatur, oris atque palati subveniat usus non aliter animorum alimenta perfici statuite. Animus enim interior mentis oculus quasi est, qui quicquid, deferente externo visionis sensu, cognoscit, accuratè in primis expendit, ac, qua parte juvent, quâ noceant itidem, decernit. Ast nondum ita intimè inhærent, ut pascendo eidem prosint, ergo ut penitius recipiantur, inq; succum, quod ajunt, & sanguinem convertantur, succurrit doctrinæ ille sensus,

ſus, auditus, cujus ope illabuntur menti, quæcunq; docendi antiſtites proponunt. Sed prout vix commodè corporis aſſumitur pabulum, vitiato palato: ſic,ſi aures vitio quodam, quod præcludat ſaluberrimorum monitorum aditum, laborare inceperit, fruſtra omnia docebuntur. Huic ergo tàm gravi morbo,Oleaſtro omni felicius,ſapientum doctrina parat medicinam, dum crebriori inculcatione,expugnat mali pertinaciam, ac ſalutari mentem perficit incremento. Sed & quoties tumida arrogantiæ, ſuperbiæ, φιλαυτίας ulcera eminere, & excreſcere videntur,mox iis vitiis oppreſſos, helleboro omni,& Oleaſtro ipſo, præſentius purgant ſapientum præcepta, & leniter erodentia tumores eos,ad ſedatam compoſitamq; modeſtiam,reducunt. Atq; hæc opulentiſſima emolumenta, hi opulentiſſimi Oleaſtri Academici fructus, quibus docendo alios, non privatam modo ſingulorum felicitatem,ſed publicam quoq;, communium corporum,aſſerunt ſalutem. Neq; verò tanti eos facimus, qui medium hunc Orationis ſufflaminaturi curſum, quaſi nimium Honoribus his noſtris tribuamus, audacter ſatis crepant, Adeóne ergo,tuis tantum honoribus ornatos ad docendum admittis, reliquis eorum carentibus, omninò hinc remotis? Quibus id breviter reſponſi datum volumus, ad Academicas quidem docendi Cathedras (abſit enim,ut extra oleas vagati, alienæ rei cenſores eſſe velimus) nullos niſi eos, quos diximus,

mus, aut admittere nos, aut admissuros. Et qui admitteremus, quos Divum Fundatorem, cujus Sacrosancta ubiq; constitutio nobis est, excludere, paulo ante est auditum? Est siquidem, publica hæc honorum collatio, constitutio quasi quædam, & solennis ad docendum vocatio, absq; quâ ut nullibi, ita minimè omnium hoc in loco, docendi partes arroganter usurpare quis debet. Si autem usurpari a quorundam temeritate videas, temeritatis quoq; pœnas lui suo tempore videbis: reliquis interim, qui ritè Honoribus his initiati, ad docendum accedunt, ob amplissimos, quibus communem hominum rem mactant, usus, æterna, citra mortalitatē, florentib9 laude. Est is Oleastri vigor, ut, teste eodem, quem sæpius allegavimus, rerum naturalium scriptore, neq; cariem sentiat, neq; vetustatem. Et quid magis in vulgus notum est, quàm Musarum immortalitas? qua ita omnem temporum vincunt injuriam, ut &, qui mortales sunt, ne omnes moriantur, efficiant. Sed, vel ob vulgatissimam horum notitiam, ea hoc loco non attingentes, eam saltem literarum immortalitatem proponim9, quam, peculiari munere, Honores hi Philosophici, suis largiuntur. Atq; hic illud cogitetis, quæso, quod, communissimo effato, quilibet nostrum in liberis suis vivere censeatur: & proinde singulos, eo ad immortalitatem propius accedere, quo, fœcundiori stirpis generisq; propagatione, nominis quandam sibi confirmant perennitatem.
Non

Non aliter evenit iis, quicunq;, dum doctrina & virtute aliorum mentes formant, id agunt, ut, quomodo verè vivendum sit, discant. Vel an ignotæ sunt, summorum capitum, celebratissimæ voces, quibus plura se suis Doctoribus, quam parentibus, debere, ultro sunt professæ. Et ne ratione carere dicta viderentur, illud etiam addiderũt, nobilioris longe se vitæ, Doctorũ, quam Parentum, beneficio, participes factos. Quorsum ergo hæc dico? quorsum, nisi ut constet, tot liberos procreari, à præceptoribus, quot discipulos saluberrima institutione educant, ac proinde, eo constantiori immortalitate, quotquot, post honores Philosophicos obtentos, legitimi constituuntur Doctores, frui; quo felicius temporum vicissitudini numerosior, quam rarior, resistit proles. Quæ dum cogitarunt optimæ semper mentes, ejus rei maximè solicitæ fuerunt, ut, præter alia innumera grati, in Doctores suos, animi argumenta, publica encomiorum commemoratione, æternitati memoriam commendarent. Et sufficit sane id honoris omni cordato, qui, utut sæpe calumniarum petatur telis, aut difficiliori arctæ sortis opprimatur necessitate, id tamen felicitatis restare sibi, post fata etiam, novit, ut gratâ discipulorum, liberorum moralium, memoria, non fortunæ modo, sed morti ipsi dominaturus, nunquam emoriattur. Sed ne ipsi nobis blandiri, ac propriorum honorum jactatione intumescentes, Oleastro egere videamur, non pluri-

pluribus ista prosequor, sed, quia, aliis doctioribus discursibus, occupandæ vestræ sunt aures, strepitu eas meo, porro non defatigabo.

Intercedentem

DNN. CANDIDATORVM COMMENDATIONEM

excipit

RESPONSIO.

VIR EXCELLENTISSIME, COLLEGA FAVTOR AC AMICE HONORATISSIME.

DVm exactius, quæ EXCELLENTIA VESTRA non cocinnè minus polita, quàm solidissimè confirmata Oratione, AVGVSTISSIMO AVDITORIO, de æqua præmiorum pœnarumque distributione, proposuit, cogito, talia ea deprehendo, quæ veritati, ac æquitati omninò respondent. Vel an quisquam adeò rerum omnium ignarus agat atque, expers, ut, una hac meritorum æstimatione, omne virtutis sustineri incrementum, &, quæ istius comes plerumq; esse solet, non privam modò singulorum salutem, sed publicam Rerumpubl. constare felicitatem,

ignoret? Imo si omnem, universitatis hujus, curiosius lustres compagem, non ullâ re aliâ, quam Sacrosancta hac justitiæ administratione, fortius invicem devinciri, deprehendes. Adeò non ad fabulas recurrendum, &, cum Democrito, bini omnium Rectores Dij, Pœna & Beneficium, constituendi; sed Deum ipsum, omnem orbis universi statum, gemino hoc quasi fulcro, justissima malorum bonorumq; compensatione, videmus confirmasse. Neq;, ut verum fatear, aliud omnis verborum meorum intendebat ambitus, quam ut, quemadmodum Olympicis victoribus, ita omnibus & singulis, qui res suas strenuè ac feliciter egissent, præmium deberi, constaret. Nunc cum tàm eleganti, doctissimaq; pariter oratione, E. V. idem demonstraverit, quàm neutiquam difficilem, in eo exequendo officio, quod non modò benevolo E. V. amori, sed & insigni Dnn. Candidatorum merito, adeoq; justitiæ ipsi & æquitati, debeo, esse me deceat, facilè quivis arbitratur. Eos enim, prout verissime E. V. monuit, stitimus Candidatos, quorum spectatissima virtus, & probe confirmata eruditio, ita, in Musarum ipsos castris, depugnasse, publicè est testata, ut meritissimo suo jure, victoriæ triumphiq; honores sibi deposcant. Atque hinc si grande omnino, & solito longe majus gaudium, binorum, unis iisdemq; ludis obtenta, filiorum victoria, parenti excitabat: quis miretur, si duo-

duodecim hi Musarum filij genuini, pulcherrimâ omnes victoriâ illustres, & jam triumphali ornandi honore, tenerrimo adeò gaudij me perfundant sensu, ut stimulatus quoq; eodem, alacrius atq; promptius ad peragendum, quod debeo, pergam? Ne ergò, vel precibus E.V. quicquam negasse, vel defuisse Augustissimi Auditorij exspectationi, Candidatorumq; desiderio videar, lubens ac ultrò agam agenda, vos modo, Doctissimi Dnn. Candidati, quæ vestrarum partium sunt, agere ne detrectetis.

Ac initio, quandoquidem res sancta vobis committetur, sanctâ quoq; mente, tractandam eam â vobis, scitote: quo fine, solenni Sacrosancti jurisjurandi formulâ, non aliter vos acturos, fidem mihi vestram devincietis. Neq; id mirum vobis videbitur, si, quæ alibi, paulò ante, proposuimus, memoria repetatis, neminem, nisi juratum, vel ad certamen, vel præmium Olympiorum admissum: & corporis tamen ista concernebant actum, quid ergo hic, ubi animus ipse divinissimo exercitio occupandus est, fieri deceat? Euge ergo agite, quam præibit vobis minister Academicus, juramenri formulam, vos prompta piaq; mente pronunciate.

Post JVRAMENTVM.

Nunc ergo, quod feliciter, suoq; pariter honori, ac incremento, rerum humanarum, promoven-

do, salutariter fieri jubeat D.O.M. Ego M. VALENTINUS THILO, ORAT. P.P. AC SACRAE REGIAE MAJESTATIS IN POLONIA ET SVECIA SECRETARIVS, AMPLISSIMAE FACVLTATIS PHILOSOPHICAE nunc DECANVS, pro ea, qua conspirans hujus benevolentissimum suffragium, instructum me voluit, autoritate, vos DOCTISSIMOS DNN. CANDIDATOS,

TE GEORGIVM CARAENICKE, FRIDLANDO-POLONVM, SCHOLAE, quæ Liccæ est, ILLVSTRIS CONR.
TE MAVRITIVM CAROLVM, BOYZENBVRGENSEM MARCHIACVM.
TE CHRISTIANVM COLBIVM, REGIOMONTANVM BORVSSVM.
TE CRVSIVM ALBINVM, LONDINO-DITHMARSVM.
TE ALBERTVM ROBERTSONIVM, NEO-STETINO POMERANVM.
TE GEORGIVM FVNCCIVM, REGIOMONTANVM BORVSSVM.
TE HENRICVM BVSSENIVM, SOLTQVELLA PALAEOMARCHIACVM.
TE SAMVELEM SCHRÖTERVM, ROSNAVIENSEM HVNGARVM.
TE JOHANNEM TROSTIVM, REVALIA-LIVONEM.
TE ABELEM FINCKIVM, STRANDENSEM HOLSAT:
TE MAVRITIVM SCHARLBIVM, BRANDENBVRGOMARCHIACVM.
TE CONRADVM OLDIVM, HAMBVRGENSEM.

Vos, inquam, omnes & singulos, initiò quidem ARTIVM HVMANIORVM & LITERARVM BACCA-

BACCALAVREOS, porrò PHILOSOPHIAE MAGISTROS, ac, quo singulari splendore, SERENISSIMA D. SIGISMVNDI MAJESTAS, honores hos illustrare clementissimè voluit, NOBILES creo, pronuncio, ac confirmo: talesq; ut ab omnibus ubiq; habeamini, solennissimo hoc, è priscis, ritu, attestante augustissimâ hac, Honoratissimorum Hospitum, coronâ, publice intimo ac edico.

Cæterum cum omnis honoris fructum, onus sciatis, non aliâ lege hunc vobis concessum putate: neque enim, prout audivistis, superbiæ instrumentum esse, sed, totum alienis commodis impendere se, debet vester honor. Ita quem multo pugnæ labore acquisivistis, non minori, ut inoffensus constet, est confirmandus. Atq; eo fine, Sacrosanctum illud ac divinum, cui juratam obstrinxistis fidem, docendi munus, quod uti ipsum è cœlis doctorem DEUM, supremum Præsidem, ita nihil aliud, quod æquè hominum imbecillitatem juvet, secundum habet, vobis committo. Quo ipso ut ritè semper posthac, ac debite, defungamini, paucis adhuc, ex prisco instituto, ritibus estis docendi.

Ac initio quidem, cum honoratissimus docentium ordo sit, quem omni veneratione discentes prosequi fas est, in honoratiorem superioris Cathedræ vos evoco locum, ut edito eo in loco constituti, in aperta luce, tanquā in specula, versantes, omnium

vos

vos oculis obſervari, idq; proinde curandum aſſidue vobis, ne quadam actionum inconcinnitate, maculam decori huic veſtro aſpergatis, cogitetis. Semper ferè, quibuscunq; autoribus, ſeſſio in Cathedra, doctoris munus notat; aſt quod tamen nemo digne gerat, niſiqui, ne in Cathedra peſtilentiæ ſedeat, ſolertiſſimè providet. Hinc ſi hujus tantum generis doctor, Spiritui Sancto, dicitur beatus; facilè, quàm in felix & damnandus reliquis Cathedræ honor exiſtat, conſtabit. Ita ergò Cathedram occupate, ut doctores ſitis, aſt ſalutares, veritatis ſtudioſi, qui, rejectis falſitatum errorumq; venenis, ſaluberrima pietatis ſapientiæq; monita, animis diſcentium paſcendis inſtilletis. Ita namq; ſtatuite, non magis aerem, contagioſæ luis veneno vitiatum, ſi attrahatur, corpori, quàm errorum toxica, animis hominum nocere. Quod ne vobis contingat, id præ omnibus curate, ut veritas & honeſtas Cathedras veſtras ornet, atq; ita, omni ornatus ſplendore, honorem veſtrum illuſtrari ſentietis, cum reliqua, inter errorum coecitatem palans turba, etiam ſummis honoribus illuſtris, turpiſſima nominis ignominia laboret.

Hinc eodem porrò fine, libros propoſitos vobis videtis, eosq; primum apertos. Non eſt res facilis ac obvia ſapientia, ſed, quæ, dicente clariſſimo Eccleſiæ doctore, cui lacteum Eloquentiæ flumen nomen

men dedit, intra profundiſſimam putei abyſſum, demerſa latet, hinc itaq; ut protrahatur, labore multo opus eſt, ſudore multo. Puteus iſte ſapientum ſcripta ſunt, horum profundiores ſcrutandi receſſus, ac, quicquid reconditum iis continetur, indefeſſa ſolertiâ exhauriendum. Nihil absq; magno labore Deos homini conceſſiſſe, procul dubio audiviſtis, neq; aliter rem ſe habere, experti, cum, quæ ad hoc honoris vos evexit, eruditionem, non molli otio, ſed indefeſſâ induſtria, continuatoq; ſtudio, acquirendam vobis vidiſtis. Nunc ergò, cum non minori curâ tueamur, quam quærimus, honores, & multum a ſapientiæ perfectione, omnis doctiſſimorum etiam ſcientia, diſtet, non ceſſandum à labore, ſed plus ultra progrediendum, ut quibus mediis, quicquid poſſidetis ſcientiæ, acquiſiviſtis, iisdem & conſervetis eam, & augeatis, ſtatuetis. Neq; tamen commodius futurum id experiemini, quàm ſi libris incumbentes, eosdem evolvatis, ac, quod menti ornandæ profuturum videatur, ſolerter ſeligatis.

Claudo tamen eos rurſus, atq; ita illud vos moneo, ut non omne in libris ſubſidium collocantes, ex iis tantùm ſapiatis. Antiquam vocem, quæ loqui iſtum, ut videatur, jubet, noſtis: Vobis quoq; dictum id credite, ac proinde id curate, ut, quæ è doctorũ ſcriptis excerpta, animo concepiſtis, prompti

quoq;

quoq; ac faciles, aliorum usibus promovendis, depromatis. Tantum siquidem sapere quilibet judicatur, quantum memoria comprehendisse videtur. Est hæc inexhaustũ illud promptuarium, quod omni, rerum divinarum, humanarumq; scientia instructissimum, quodcunq; hominum usus postulat, liberali copia suppeditat. Hic itaq; thesaurus, ut, quotidiano studio, magis magisq; ditescens, salutaria aliorum rebus quam plurima, uberrime eroget, vestrum erit curare.

Quâ spe fretus, hanc doctrinæ in vobis sedem, publico doctorum insigni, pileo hoc exorno. Commune omnibus ferè gentibus reperimus, capitibus bene meritorum, peculiaria addere ornamenta. Hinc Regum Imperatorumq; diademata; hinc victorũ triumphatorumq; laureæ, & innumeri generis coronæ aliæ; hinc libertate donatorum pilei; & si quos alios ornandorum capitum, ritus, aliarum gentium habuit consuetudo. Doctoribus, ac maximarum earum molestiarum, quæ literas comitantur, victoribus, pileus antiquissimo ritu est destinatus. Cui quidem rei quæ tandem alia subsit ratio, quam quod jure merito, eam corporis partem, quæ quasi arx regia, cœlestem vitæ omnis reginam, rationem, continet, honorandam putarint. Et vos ergò, qui inoffenso ductu, divinum hujus regimen, in regia virtutum scientiæq; via, estis secuti, debitum

tum capiti ornamentum capeſſite. Diu magiſtrorum capita,per eruditionem, geſſiſtis, magiſtri nunc ergo pileum,per honorem,gerite. Sed heus! ne ulla re maculetur novum hoc, honoris veſtri decus, illud agite, ut nunquam, cœleſti rationis excuſſo imperio, cupiditatum ſubjaceatis tyrannidi. Hæc enim uti turpiſſima ſervitus: ita nihil,quod magis officiat honori, occurrit.

Annulo inſuper manum veſtram orno,quem inſignis Romæ dignitatis indicem fuiſſe, cum probe ſciatis, id hic non repeto, ſed obligationis veſtræ monitorem expono.Solennius obſtrictam fidem, quæ arrha confirmata eſt, non ignoratis: atq; hinc ſapientiæ ſtudio obligatos vos, quoties arrham hanc aſpicietis, cogitabitis. Fabula eſt, quicquid de Magicis Iarchæ Annulis,quorum peculiari excitato ſono,rerum gerendarũ opportunitates intellexerit, dicitur: Hic ſapientiæ & prudentiæ annulus,ea virtute eſt, ut & loci, & temporis,& modi ipſius,quo gerẽda ſunt ſingula,indicet rationẽ. Experiemini id revera,ſi quicquid acturi ſitis,prudenter ſuſcipiatis, ita namq; & facile ſuccedere,& feliciter terminari,cernetis. Quin ſi periculorum ſecuritatem, ſuus Iarchæ annulus, occulta vaticinandi virtute, præſtitit: a prudentiæ hoc annulo idem ſperate. Cum namq; haud poſtrema hujus pars ſit,futurorum prævidere even-

tus: ita cavere vos imminentium telorum, ut quâ noceant, impetum docebit. Nec jam dubium vobis puto, quo honore colendus is annulus, qui tot bonorum conciliator vobis exiſtit.

Nunc ergò, peractis ritè omnibus, ad inferiorem, quàm ante occupabatis, Cathedram vos dimitto, ne unquam ita extollamini, ut imorum vobis excidat memoria. Optimis quibusvis, e tenuiori fortuna, ad ſplendidioris faſtigium evectis, id ſolenne fuiſſe, ut perpetuum ſortis priſtinæ monitorem habuerint, conſtat: Et vos proinde, è viliori conditione, ad honorum hunc ſplendorem, ſublimatos vos cogitate. Ita tutiſſime magnus honor geritur, ſi humilitatis modeſtiâ ſuffulciatur.

Cæterum cùm à, mortalitatis noſtræ, corruptione, quævis tantum mala exſpectanda; quicquid contra deſideramus boni, cœlitus impetrandum: eò converſi, D. O. M. devoti, ut, quæcunq; hic acta ſunt, glorioſa ſibi, hominum publicis privatisq; rebus ſalutaria, vobis non inutilia eſſe jubeat, adoramus. Faxit is, ut, quemadmodum jamjam, in ædem ſacram, lucidiſſimo facum ſplendore deducti, divinâ benedictione confirmandi, progrediemini; ſic cœleſtis ſapientiæ luce ubiq; ducamini, quo uberrima, divinæ gratiæ, benedictione indies creſcatis, dum, ſuo tempore, cœle-

ſtem

ſtem beatorum ingreſſi ædem, ac æternâ ejus luce perfuſi, perfectiſſimâ, divinæ ſapientiæ, luce æternum reſplendeatis. Ita fiat!

FINIS.

BENEVOLO LECTORI. S.

Conſtitueram & indicem, & mendorum ſeriem, opellæ huic ſubjungere: cum vero, ob inſtantes nundinas, feſtinaret Typotheta, facilem, defectus ejus, veniam, tempore excluſus, mihi promitto. Vnicum tamen, quin monerem, omittere non potui, paginâ videlicet 145. ordinem verborum, lineâ 8. & 9. turbatum, ita reſtituendum:

PRAECEPTORIS, ET ANTECESSORIS MEI, NVNQVAM ABSQVE HONORE DICENDI.

Ita feliciter age, & conatibus noſtris porrò fave.

GLORIA DEO.


CONSTANTIAM MIHI DEVS REBVS MALIS DES ET BONIS

„ Sphinx, prudentis Reipub. Moderatoris imago. pag. 257. seqq.

[illegible]
Regni Polonia
et
Princip. Pruss

Val. Thilo.